# PHOENIX REDIVIVUS, ID EST: CORPUS SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS DE MATHA, ...

Lucas : a Purificatione, Juan : de Jesús María

Digitized by Google

42
5 K
39

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




P. F. Barht. à S. Ant. Trinit. disc. pinx. Madriti. I. et A. Schmuzer sc. Vien.

Digitized by Google

# PHOENIX REDIVIVUS,

ID EST:

# CORPUS SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS DE MATHA,

## FUNDATORIS ORDINIS SSS. TRINITATIS

De Redemptione Captivorum novo cultu reviviſcens,

SEU

Hiſtoria hujus ſacri Corporis Româ in Hiſpaniam tranſlati, & Feſtivitates poſt declaratam ejus Identitatem adornatæ:

Ubi pariter recenſetur Donatio ejusdem à Capitulo Vaticano Conventui Madritenſi Diſcalceatorum Trinitariorum facta.

*Deſcribuntur præterea ſolemnitates, & Conciones novendiales in ejusdem Collocatione habita.*

AUTHORE

P. F. Luca â Purificatione Excalceatæ Familiæ Trinitariæ Hiſtoriographo Generali, qui hoc opus idiomate Hiſpanico exaravit, quod deinde ob materiæ præſtantiam Latinitate donavit

P. F. Joſephus à S. MARIA, Familiæ Matris Redemptoris ejusdem Ordinis SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum Vice-Commiſſarius Generalis Emeritus.

*Cum Licentia Superiorum.*

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Joannis Petri v. Ghelen, Sacræ Cæſareæ Catholicæ Majeſtatis Aulæ Typographi, 1737.

Digitized by Google

*ADMODUM REVERENDO, RELIGIOSISSIMO,*

*AC*

*DOCTISSIMO*

# PATRI NOSTRO
# ALEXANDRO
## A CONCEPTIONE

Ordinis Diſcalceatorum SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum

## MINISTRO GENERALI
*DIGNISSIMO.*

ET *Tuæ*, & meæ felicitati plurimùm congratulor, *Admodùm Reverende, ac Religioſiſſime Noſter Pater Generalis. Tuæ* quidem: utpote qui poſt tot exantlatos labores, profuſos ſudores,

res,

Digitized by Google

res, & diuturna comperendinatorum deſideriorum tormenta glorioſam tandem cantâſti victoriam, ſuperatíſque adverſariorum machinationibûs non ſolùm eviciſti, ut Identitas Sacri Corporis N. glorioſiſſimi Patriarchæ *S. Joannis de Matha* Apoſtolicæ Sedis oraculô declararetur, verùm etiam ut poſſeſſio ejusdem Sacri Corporis à Reverendiſſimo, & venerabili Capitulo Vaticano *Tuo* Conventui Madritenſi transſcriberetur, cujus etiam Eccleſiæ incredibilî pompâ, & magnificentiſſimo apparatu illud intuliſti, ac in Altari majori inter feſtivos totius Hiſpaniæ applauſus collocâſti: Meæ autem, cui ter beata ſorte obtigit, non ſolùm ipſa Lipſana Sanctiſſimi Fundatoris noſtri (quæ, ut *Tuæ* devotioni erga hunc glorioſum Sanctum dignè litares, Arcæ à mirifico artis, auri, argenti, unionúmque con-

Digitized by Google

connubio ſuſpiciendæ incluſiſti) coràm intueri, venerari, ac admirari, ſed etiam Librum, qui Hiſpanico idiomate ſolemnitates, tam ob declaratam Identitatem, quàm ob collocationem hujus S. Corporis celebratas, luculenter, graphicéque deſcribit, *Tuâ* indulgentiâ in Latinum ſermonem transferre, atque adeò Orbi univerſo honores glorioſiſſimo Patriarchæ Noſtro impenſos, *Tuámque* indefeſſam in Ejus cultu promovendo ſolertiam palàm facere, & ante oculos ponere. Amplum hìc ego mihi, diffuſúmque video aperiri campum in *Tuas* laudes quàm latiſſimè excurrendi, ſed quòd *Tuæ* modeſtiæ gravis eſſe nolim, prurientem ſtylum, & capiſtra quaſi mordentem calamum ab hoc propoſito invitus revoco. Cùm tamen nunc menti meæ obverſetur Orator ille, qui, ùt Sabellicus

teſtatur, in panegyrico Philippi Regis Macedoniæ ſermonem ſuum hîs verbîs coronavit: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, te filium habere Alexandrum*, nihil aliud impræſentiarùm in *Tui* commendationem adjiciam A*dmodùm Reverende, Religioſiſſime, ac Doctiſſime N. P. Generalis*, niſi *S. P. N. Joannem de Matha* in *Te* multò nobiliorem habere Filium, & quidem, nè Philippo quidquam concedat, *Alexandrum*, qui Ejusdem ſopitum cultum *Tuâ* induſtriâ, ac ſolicitudine ad vitam revocâſti, aut, ùt preſſiùs loquar: Hoc unum dixiſſe ſufficiat, Sanctiſſimum Patriarcham noſtrum *Te* filium habere *Alexandrum*, cujus inſignes dotes, & præclara facinora, ſi quis enarrare conſtituat, næ ille tantundem laboris in ſe ſuſcipiet, quàm ſi ſolis atomos dinumerare vellet. Quamobrem cùm *Tuîs* potiſſimùm labo-

Digitized by Google

laboribûs, & expensîs ſteterit ſplendor harum Feſtivitatum, obligationem mihi inductam putavi, ut earum Latinam deſcriptionem in *Te* tanquàm fontem ſuum, è quo tota earum majeſtas emanavit, refunderem: hinc quemadmodùm *Tu* editionem Hiſpanicam Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino *Alexandro* Aldobrandino Sedis Apoſtolicæ ad Aulam Hiſpanicam eo tempore Nuncio, poſteà verò Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinali creato dedicâſti, ità & ego hanc meam Latinam verſionem *Tibi* præcipuè inſcribere decrevi, qui eodem *Alexandri* nomine refulges, & jam in vigeſimum ſecundum annum ſecundiſſimè Supremo Ordinis Magiſtratu, non ſinè maxima gloria, & incremento Sacræ Religionis noſtræ fungeris. Patere itàque, ut has pagellas tot titulis *Tibi* devinctas paternis pe-



dibus

dibus *Tuis* ſubjiciam, eáſque velut anathema quoddam meæ in *Te* obſervantiæ tholis *Tuæ* clementiæ venerabundus appendam. Debetur id ſanè meritorum *Tuorum* præſtantiæ, cui & ipſa quóque Civitas Madritenſis, ſi verum profari velit, ſe devinctam fateatur, neceſſe eſt; illa enim, quæ hactenus nullius unquàm ſacri Fundatoris Lipſana ſuô gremiô exceperat, quamvìs multa Sanctorum Corpora in ſinum ſuum læta congeſſerit, *Tuâ* operâ, & induſtriâ ſe tanta nunc felicitate mactam gloriatur. Scilicet parùm *Tibi* viſum fuerat de toto noſtro Excalceato Ordine benè mereri, niſi etiam Regiam illam Hiſpaniæ Gemmam, Madritum dicere volebam, tantô beneficiô *Tibi* obſtringeres. Sed quid mirum *Te* de hac ampliſſima Urbe benè meritum fuiſſe, qui de omnibus optimè mereri nunquàm deſi-

Digitized by Google

deſinis. Multa ſunt, quæ in *Tui* commendationem hìc dici poſſent, niſi religioni mihi ducerem præſtitutos brevitatis limites tranſilire. Pro Colophone itáque, ut *Tua* felicitas evadat cumulatior, S. Ordinis noſtri ſplendor illuſtrior, & celeberrimi nominis *Tui* fama glorioſior, iſtud unicum exopto: Adde *Joanni Joannem*, Patri Filium, Fundatori Reformatorem: Effice, inquam, ut Venerabilis N. Pater *Joannes à Conceptione*, Trinitariæ Religionis Reformator, & Excalceatæ Familiæ noſtræ piiſſimus Inſtitutor ſibi debitos pridem Sanctorum honores *Tuâ* ſolertiâ, & dexteritate tandem aliquando conſequatur, & ſolemni apotheoſi in cœlitum album quamprimùm referatur. Aſſere noſtris temporibus decus iſtud immortale, ut Roma eum ſuô oraculô Beatum pronunciet, quem univerſa olim Hiſpania

Sancti

Digitized by Google

Sancti titulô coronavit; neque enim res iſta *Tibi* difficilis evadet, qui ad hoc tantùm natus eſſe videris, ut invictas difficultates excelsô illô animô *Tuô* pervincas, & ſuperes, quemadmodùm non unô argumentô comprobâſti. Plura ſcribere volenti perſpectus modeſtiæ *Tuæ* candor ſermonis filum incidit. Pareo quidem importuno interpellatori, ejus tamen ingratiîs hanc meam latinam Dedicationem ſequentibûs verbîs Hiſpanicîs concludam: *Guarde Dios à Veſtra Reverendiſſima los muchos años como puede, yo deſeo, y la Religion neceſſita.*

*Admodùm Reverendi, ac Religioſiſſimi Patris Noſtri Generalis*

Subditorum minimus
Fr. JOSEPHUS à S. Maria.

Digitized by Google

# PROLOGUS AD LECTOREM.

SPlendor, & magnificentia illarum Feſtivitatum, quæ in hac urbe regia ob collocationem, & obtentam proprietatem Corporis mei glorioſi Patris, & Patriarchæ, S. JOANNIS de Matha Madriti in N. Conventu Excalceatorum Trinitariorum celebratæ fuerunt, omnium expectationi ex aſſe ſatisfecit, quin ingenium aliquod, quantumvìs Criticum, & deſultorium vel minimum reperiret, quod jure reprehenderet, aut cenſoriâ virgulâ notaret. Sed cùm injuria temporum, ceu edax quædam rerum teredo, univerſa conſumat, gratitudo noſtra flagitabat, ut eas calami operâ ad ſeræ poſteritatis memoriam integras, recentéſque transmitteremus; nam, ùt prudentiſſimè locutus fuit Petrus Secundus, Rex Arragoniæ: *Ea, quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, vivaces litteræ debent memoriæ commendare.* In Privilegio ad Cœnobium Virgin. de Veruelo.

Ad augendum harum Feſtivitatum ſplendorem Catholici noſtri Monarchæ, Sereniſſimi Principes Aſturiæ, & Infantes Hiſpaniæ, Re-

 gium

gium Conſilium Caſtellæ, Supremum S. Inquiſitionis Tribunal, ac denique hæc nobiliſſima, Imperialis, & coronata civitas Madritenſis tanto fervore, ac pietatis ſtudiô ſuam operam contulerunt, ut eis potiſſimùm tam exquiſitam horum Feſtorum pompam, majeſtatémque, quam tota propemodùm Hiſpaniæ nobilitas, & innumerabilis populi multitudo ſuâ præſentiâ, & concurſu adhuc illuſtriorem reddidit, in acceptis referamus. Unde cùm S. mea Religio tam grandium beneficiorum memoriam alta mente repoſitam aſſervet, faciendum putavit, ut eorum deſcriptio typis mandaretur, & in lucem publicam evulgaretur, quatenùs perpetuum aliquod noſtræ gratitudinis monumentum ob tot gratias receptas extaret. Idipſum ſuadet aureum illud Chriſtianæ eloquentiæ flumen, Sanctiſſimus Patriarcha Joannes Chryſoſtomus, quando dicit: *Optimus beneficiorum cuſtos, eſt ipſa memoria beneficiorum.*

D. Chryſoſt. Homil. 25. in Matth.

Cùm verò non ſolùm in Hiſpania, ſed etiam in majori parte Europæ publicus rumor nonnulla ſparſerit, quæ circa Translationem hujus Sacri Corporis contigerunt, exiſtimavi, me pio Lectori rem gratiſſimam præſtiturum, ſi hiſtoriæ ſeriem ab ipſis initiis auſpicarer, & ſuccinctô ſtylô referrem diverſas viciſſitudines, quibûs hæ ſacræ Reliquiæ jactatæ fuerunt ab illa hora, qua glorioſiſſimus Patriarcha meus beata mor-

morte ex hoc ærumnabili ſæculo emigravit usque ad ſolemnem earum Collocationem in hoc templo Madritenſi Excalceatorum Trinitariorum.

Scribam verò ea duntaxat, quæ ad meum propoſitum conducunt, atque in hunc finem adducam dicta authentica, & documenta originalia, quæ præſenti materiæ illuſtrandæ idonea judicavero: nec committam, ut inani verborum ſtrepitu, & plauſibili quodam, ſed jejuno narrationis apparatu Lectoris mei patientiâ abutar.

Hæ ſunt duæ illæ cauſæ, quibus inductus ſum, ut exile hoc opuſculum publici juris facerem, quod licèt in ſe vile ſit, ac deſpicabile, ornatur tamen eloquentiſſimìs Concionibûs, quæ tam poſt declaratam hujus Sacri Corporis Identitatem, quàm per novendialia Feſta, ob ejus Collocationem inſtituta, ad confertiſſimum Auditorium ingenti omnium approbatione peroratæ fuerunt, in quibus eruditus Lector tot ingenii illecebras offendet, ut facilè ſit diſſimulaturus moleſtiam, quam ob rudem ſtyli mei barbariem, qui nihil in ſe boni habet, niſi quòd obedientiæ juſſu hanc lucubratiunculam in ſe ſuſceperit, neceſſariò ſibi accerſet.

## N O T A.

QUamvìs in hoc libro agatur de Corpore glorioſiſſimi Patriarchæ mei, S. JOANNIS de Matha ab illo tempore, quo ejus ſacratiſſima



Digitized by Google

anima ad meliorem vitam tranſiit, usque ad præſentia tempora, & licèt tumultuariè omnia ferè referantur, quæ per decurſum tot annorum his ſacris Lipſanis evenerunt, hodie tamen pro majori gloria hujus Sancti Corporis emerſit nova quædam circumſtantia, quam paucîs ſaltèm attingere operæ pretium exiſtimavi, ut tantò major claritas huic hiſtoriæ accedat.

Res in hunc modum eſt comparata. Religio mea ex obligatione, qua illam Capitulum Vaticanum in Decreto Donationis obſtrinxit, tenebatur inſignem quandam Reliquiam ex hoc ſacro Corpore Romam transmittere, ut inferiùs Part. 2. Cap. 1. latiùs viſuri ſumus. Aſt RR. PP. Trinitarii Calceati ſuîs precibûs effecerunt, ut dictum Illuſtriſſimum Capitulum ejus Reliquiæ poſſeſſionem in ſe tranſcripſerit. Huic accedit, quòd poſtmodùm Illuſtriſſimus Dominus Alexander Aldobrandinus, Sedis Apoſtolicæ in Hiſpania Nuncius in ſocietate Excellentiſſimi Domini Marchionis de Villena, ſupremi regiæ aulæ Præfecti, qui ſecum clavim ſuæ Majeſtatis attulit, aliorúmque duorum Senatorum urbici Magiſtratûs, & unius Secretarii, qui clavim Civitati Madritenſi ab Ordine noſtro datam penes ſe habebat, aſſiſtente Domino Ludovicô de Cerda, filiô primogenitô Excellentiſſimi Domini Ducis de Medina Cœli, præſentibûs quoque Superioribûs meæ S.

Re-

Digitized by Google

Religionis ex mandato Summi Pontificis, Sacram Arcam, quæ Corpus mei glorioſiſſimi Patriarchæ felicî gremiô complectitur, denuò aperuerit, indéque fiſtulam, ſive os unius brachii pro dictis Patribus deprompſerit, quam Reliquiam eis N. R. P. Generalis ultrò obtulerat. Hæ duæ inſignes Reliquiæ poſteà collocatæ fuerunt in Eccleſia Madritenſi dictorum RR. PP. Trinitariorum Calceatorum, atque hoc pacto ex novo cultu iſtarum duarum Reliquiarum major honor, & veneratio huic Sacro Corpori acceſſit.

Hoc ritè intellectum magnum præſenti hiſtoriæ lumen conciliat; cùm ex hoc conſtet, quòd etiam poſt Collocationem hujus Sancti Corporis in noſtro Conventu Madritenſi Trinitariorum Excalceatorum Arca rursùs reſerata, & pro RR. PP. Trinitariis Calceatis una inſignis Reliquia ſeparata fuerit, quibus etiam Capitulum Vaticanum illam ceſſit, quæ ex pacto, quod intervenerat, ei debebatur: Ambæ hæ Reliquiæ, ùt dictum manet, in Madritenſi templo RR. PP. Calceatorum Trinitariorum religioſiſſimè aſſervantur.

IN-

# INTERPRES AD LECTOREM.

QUotidiana experientia novîs ſemper argumentîs comprobat, veriſſimum eſſe, quod Rex Prophetarum enthuſiaſticâ ſuâ Lyrâ cecinit:

Pſal. 67. v. 36. *Mirabilis DEUS in Sanctis ſuis*; ſuaviſſima ſiquidem Ejus Providentia, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, quorundam Sanctorum venerationem ad tempus interdum obſcurari, & ut ità dicam, emori permittit, ut illam deinde majori ſplendore veluti è tumulo reſuſcitet, ad eundem planè modum, quo aureus Hyperion diurnum ſuum curſum emenſus Heſperiis undis ſe immergit, ut ſequenti luce è roſeis auroræ brachiis eluctans jubar ſuum gratiùs diffundat, & quo Phœnix in aromatica pyra ſe incinerat, ut nova juventute aſſumpta lætiùs deinde vivat; variabilis námque natura humana rerum viciſſitudinibûs gaudet, faciléque contemnit, quod aſſiduè ante oculos habet. Unde clementiſſimus DEUS Sanctorum quorundam honorem ſubinde obfuſcari patitur, ut poſteri eum pro ſuo emolumento majori fervore in lucem producant, quem veteres otiosîs oculîs absque omni fructu ſuo aſpexerant. Idipſum prorſus meo Sancto Patriarchæ JOANNI de Matha contigit, cujus cultus, & veneratio aliquamdiu eclypſim ſuſtinuit, donec diſcuſsîs contradictionum nubibûs, & aſſerta ſacri Corporis identitate veneratio ejus pro innumerabilium hominum bono glorioſiùs revixit, qui nunquàm fortaſſis hujus Sancti patrocinium implorâſſent, atque adeò nunquàm è ſuis miſeriis emerſiſſent, niſi oppoſitionum tempeſtas ejus nomen, & merita latiùs per mundum divulgâſſet.

Neo

Digitized by Google

Nec te moveat, ubi legeris, ſacrum ejus Corpus ſimplicium duorum Religioſorum neſcio, an dicam audaci pietate, an piâ audaciâ ſurreptum fuiſſe; idipſum námque fatum plurima aliorum Sanctorum corpora ſubierunt. Pauca tibi exempla hujus veritatis proferam, ut evidentiùs agnoſcas, non ex Sanctorum imbecillitatate, ſed Divino nutu fieri, quòd corpora Sanctorum furtivîs interdum manibûs in alienas oras transferantur. Noſti, qualis, quantúsque vir fuerit S. Hilarion, hujus tamen Corpus rapuit S. Heſychius, diſcipulus ejus. Audi S. Hieronymum: *Poſtquàm Hilarionem mortuum, & ſepultum audivit, perrexit ad Cyprum, & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo, ut diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo poſt decem fere menſes corpus ejus furatus eſt.* Ad eundem modum ſacerdos quidam nomine Aaron Reliquias quasdam è corpore S. Romani Abbatis ſurripuit, de quo Giſebertus ità ſcribit: *Cùm ſanctæ Reliquiæ feretro componerentur, acceſſit ſupradictus Aaron ſacerdos, eísque, quibus id officium deputatum erat, ſeſe importunus immiſcuit, ac nemine circumſpiciente os capitis, quo ſupernè cerebrum tegitur, quódque vulgò teſta dicitur, furtô ſublegit, atque opimô potitus ſpoliô ad ſuam trepidus repedavit Eccleſiam.* Ità nonnulli Galli caput S. Clementis Martyris clam ſuſtulerunt, illúdque ad Monaſterium Cluniacenſe transportârunt, ùt fusè legitur in Bibliotheca Cluniacenſi ſub Titulo: *Hiſtoria exceptionis Capitis S. Clementis.*

S. Hieron. in vit. S. Hilarion. in fin.

Giſebert. l. 1. de vit. & Translat. S. Roman. c. 7.

Sur. tom. 2. ad diem 2. Junii.

Eginhardus vir celeberrimi nominis, qui Carolo Magno Romanorum Imperatori, ejúsque filio Ludovico Pio â ſecretis, & utrique in ſummo pretio fuit, legatos ſuos Romam miſit, non alio fine, quàm ut aliquot Sanctorum corpora urbi ſubtraherent, eáque in Germaniam deferrent, quod etiam factum fuit, quando Legati ejus noctu cryptam SS. Martyrum Petri, & Marcellini perfregerunt, eorúmque corpora ſécum aſportârunt, quàm hiſtoriam ipſe Eginhardus luculentô ſtylô deſcripſit, ùt videre licet apud Surium ad diem ſecundam Menſis Junii.

Corpus S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi Mercatores Barenſes aperta vi rapuerunt, & Barium in Apuliam tranſtulerunt, ubi etiam hodie colitur. Quid ego nunc loquar de corpore S. Marci Evangeliſtæ? Hoc ſanè inæſtimabili theſauro Venetorum metropolis etiamnum careret, niſi ſub præſidio furti illud obtinuiſſet. Referam propria verba, quæ in hiſtoria Translationis ejus leguntur; *Porrò Venetici, quorum jam ſæpè mentionem fecimus; tum* Alexandriæ *laterent, tulerunt corpus* S. Marci Evangeliſtæ, *& ſubmittentes in ſportam, operuerunt illud ex foliis olerum, ac deſuper carnes porcinas impoſuerunt, cùmque ad navim pergentes incederent, accedebant Saraceni, qui obviabant, ut cernerent, quod portabant, ſed cùm viderunt carnem porcinam, quam ipſi abominabantur, expuentes elongabantur.*

Bolland. to. 3. April. p. 353. & ſeqq.

Corpus S. Athanaſii Alexandrini Archiepiſcopi ſimili ratione Conſtantinopoli Venetias pervenit; Nauta enim quidam Venetus, ùt hiſtoria Translationis loqui-

Bolland. to. 1. Menſ. Maji pag. 252.

Digitized by Google

loquitur, *acceptum corpus glorioſum miſit in ſaccum, quem ferebat, ſed minùs, quàm ipſum erat, longum, ideóque neceſſe habuit complicare ejus tibias. Itáque meliorî, ùt potuit, modô compoſitum ad hoc, ut ipſum auferre poſſet, ſub veſte ſua abdidit.* Et ne diutiùs te morer, ipſum quoque corpus magni Patriarchæ, S. Romualdi Abbatis clandeſtinô furtô ſurreptum fuit, cujus tamen cultus, & veneratio, magìs deinde refloruit, ut jam nihil loquar de corporibus S. Agathæ, S. Benedicti, S. Sebaſtiani, S. Helenæ Imperatricis & aliorum multorum Sanctorum furtô ſublatîs, & in diverſas terras transportatîs. **In vita S. Romuald. Abb.**

Alterum eſt, quod te in hujus operis veſtibulo monitum volui, ne ſcilicet mireris, ſi legeris, omnes ſacros Oratores, qui per decurſum harum feſtivitatum ad concionem dixerunt, Excalceati Ordinis noſtri alumnos fuiſſe; noveris enim Hiſpaniæ conſuetudinem, à more Germanorum longè diverſam, id ferre, ut in propriis feſtivitatibus ejusdem Ordinis Religioſi verba ad populum faciant, nec minori idcirco fide talium Concionatorum dicta excipiuntur, cùm Hiſpani ab ore cujuscunque Religioſi omnem mentiendi libidinem procul abeſſe credant, & præatereà decorum putent, ut encomia parentum filiorum labiis promantur. Hæc tibi communicanda putavi, priusquàm te ad ipſa operis adyta admitterem, ne quid occurreret, quod te jure offendere poſſet: Tu verò levidenſem hunc laborem meum boni conſule, & ſi quid inveneris, quod tibi minùs arriſerit, benignè diſſimula.



Digitized by Google

## *Proteſtatio Interpretis:*

CUm in hoc opere nonnullæ revelationes, & prodigioſi effectus, quos clementiſſimus DEUS per ſervum ſuum S. P. N. JOANNEM de Matha operari dignatus eſt, recenſeantur, ego, ut Decreto SS. D. N. Urbani VIII. ejúsque confirmationi, & Declarationi humiliter inſiſtam, profiteor me eis majorem fidem non tribuere, nec ab aliis attribui velle, quàm illis narrationibus adhibetur, quæ humana duntaxat auctoritate, non verò infallibili Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis oraculô nituntur.

Viennæ 28. Aprilis, 1737.

P. F. JOSEPHUS à S. MARIA.

SYL-

Digitized by Google

# SYLLABUS

*Capitum, & Concionum, quæ in hoc libro continentur.*

Epitome vitæ, & rerum à S. P. N. JOANNE de Matha geſtarum. fol. 1.

## PARS PRIMA.

CAPUT I. *De glorioſa morte Magni Patriarchæ S. JOANNIS de Matha, & de ſplendidiſſimis Exequiis, quas ei Innocentius III. P. M. adornavit. fol.* 17

CAPUT II. *De cauſis propter quas Monaſterium S. Thomæ de Formis primò deſertum, ac deinde ſub poteſtatem Capituli S. Petri redactum fuerit. fol.* 21

CAPUT III. *Quomodò Sacrum Corpus è veteri tymbo ſurreptum, & deinde in Hiſpaniam translatum fuerit. fol.* 24

CAPUT IV. *Sacrum Corpus Nuntio Apoſtolico traditur, & ab eo Patribus Trinitariis Excalceatis Madriti ſub ratione Depoſiti concreditur. fol.* 31

CAPUT V. *Evincit tandem mea S. Religio Declarationem Identitatis ſacri Corporis: Perſertur hujus rei notitia in Hiſpaniam, & inſtituitur Juridica recognitio Arcæ. fol.* 35

CAPUT VI. *Publicatur Decretum, & ordinatur apparatus pro ſolemnibus Feſtis celebrandis. fol.* 39

CAPUT VII. *Solemnitas primæ diei ob declaratam Identitatem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha celebrata. fol.* 42

*Concio prima de Identitate. fol.* 43

CAPUT VIII. *Solemnitas ſecundæ diei ob declaratam Identitatem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha celebrata. fol.* 61

*Concio ſecunda de Identitate. fol.* 62

CAPUT IX. *Solemnitates tertiæ diei. fol.* 84

## PARS SECUNDA.

De ſumptuoſis feſtis, quæ magnificentiſſimâ pompâ ob collocationem Corporis magni Patriarchæ S. P. N. JOANNIS de Matha in Eccleſia PP. Excalceatorum SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum celebrata fuerunt.

CAPUT I. *Vaticanum Capitulum S. Petri meam S. Religionem Trinitariam Excalceatam donat Corpore S. P. N. JOANNIS de Matha, cujus Donationis notitia in Hiſpaniam defertur. fol.* 86

CAPUT II. *Ornatus, & diſpoſitio loci, in quo S. Corpus collocandum erat. fol.* 90

CAPUT III. *Diſtributio Feſtivitatum, & Translatio Sacrarum Reliquiarum ad novam Arcam. fol.* 94

CAPUT IV. *Ornatus Altaris, & templi. fol.* 97

CAPUT V. *Platearum, per quas circumducta fuit Supplicatio, & Altarium in illis extructorum ornatus. fol.* 100

CAPUT VI. *Aliorum Altarium Deſcriptio, & ornatus platearum. fol.* 106

CAPUT VII. Solemnis *Proceſſio, & triumphalis pompa, qua S. Corpus in publicum delatum fuit. fol.* 112

CAPUT VIII. *Dies primus Feſtivitatum. fol.* 115

*Concio prima de Collocatione. fol.* 116

CAPUT IX. *Dies ſecundus Feſtivitatum. fol.* 134

*Concio ſecunda de Collocatione. fol.* 135

CAPUT X. *Dies tertius Feſtivitatum. fol.* 155

*Concio tertia de Collocatione. fol.* 156

CAPUT XI. *Dies quartus Feſtivitatum. fol.* 177

*Concio quarta de Collocatione. fol.* 179

CAPUT XII. *Dies quintus Feſtivitatum. fol.* 206

*Concio quinta de Collocatione. fol.* 207

CAPUT

Digitized by Google

Caput XIII. *Dies ſextus Feſtivitatum, fol.* 230

*Concio ſexta de Collocatione. fol.* 231

Caput XIV. *Dies ſeptimus Feſtivitatum. fol.* 260

*Concio ſeptima de Collocatione. fol.* 262

Caput XV. *Dies octavus Feſtivitatum. fol.* 286

*Concio octava de Collocatione. fol.* 288

Caput XVI. *Dies nonus Feſtivitatum. fol.* 311

*Concio nona de Collocatione. fol.* 313

## PARS TERTIA.

Caput I. *Referuntur nonnulli favores prodigioſi, quos Deus illis præſtitit, qui S. JOANNEM de Matha invocaverunt. fol.* 333

Caput II. *De aliis prodigiis à S. JOANNE de Matha patratis. fol.* 343

Caput III. *Continuatio ejusdem materiæ. fol.* 358

Caput IV. *De aliis peculiaribus favoribus, quos S. JOANNES de Matha ſuis cultoribus exhibuit. fol.* 369

*Epilogus hujus tertiæ partis. fol.* 372

EPI-

Digitized by Google

# EPITOME VITÆ, ET RERUM A S. P. N. JOANNE DE MATHA GESTARUM.

GLorioſiſſimus Patriarcha noſter, S. JOANNES de Matha, qui à tribus Divinis Perſonis in hunc mundum miſſus fuit tamquàm Magiſter, vivúmque prototypon perfectiſſimæ charitatis, Falcone in Provincia Annô milleſimô, centeſimô, ſexageſimô, die vigeſimâ tertiâ Junii lucem vitalem primitùs aſpexit, parentibûs ſatus nobiliſſimîs, Euphemiô nimirum de Matha plana, & Marthâ de Fonnellet, qui propagata â Majoribus traduce illuſtriſſimas Galliæ perinde, ac Hiſpaniæ familias ſanguine attingebant. Divina Providentia, quæ JOANNEM noſtrum ab æterno pro Redemptore Captivorum Chriſtianorum prædeſtinaverat, in honorem hujus ſervi ſui decrevit, ut ejus futura ſanctitas, cùm ſeptis materni uteri etiamnum clauſus detineretur, non vaticiniô alicujus angeli, ùt interdum fieri conſuevit, ſed ipſius ſereniſſimæ Angelorum Reginæ, & digniſſimæ Matris Diviniſſimi Redemptoris noſtri, mundo innoteſceret; hæc namque virginea roſa, cæleſti ſplendore circumfuſa Marthæ, feliciſſimæ nimirum genitrici ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri, precibus tunc incumbenti ſpectabili formâ apparuit, eámque incredibili ſolatiô delibutam prolixè edocuit, ad quantam olim ſanctitatem eſſet eluctatura proles illa, quam tunc in ſuo ventre geſtabat.



Digitized by Google

JOANNES quamprimùm in hunc mundum prodiit, illico clariſſimis indiciis ſecuturæ ſanctitati ſuæ prælusit; nam præterquam quòd etiam in illa tenerrima ætatulâ ſtatis quibûsdam in hebdomade diebûs à lacte materno ad ipſum usque ſolis occaſum ſponte abſtinuerit, obſervatus eſt etiam miris geſtire lætitiis, ſi videret, pauperes largâ eleëmoſynâ donari, quamvis ille, utpote faſciis etiamnum involutus, pretium pecuniæ prorsùs non intelligeret. Prima verba, quibus balbutiente linguâ infantiæ ſilentia perrupit, hæc erant: Ave MARIA. Perſpicuis jam tunc argumentis prodebat, quid aliquando ex ipſo futurum eſſet; etenim ſi fortuito compedes, aut numellas conſpexiſſet, agili confeſtim, alacrique curſu ad illas contendit, eásque ad intuentium ſtuporem ſexcentis baſiis diſſuaviari perrexit.

Inter hæc, aliáque pietatis rudimenta infantiam abſolvit. Cæterùm, ùt annos attigit, quibûs hæc ætas literis condiſcendis adhiberi ſolet, voluntate parentum ſuorum Aquas ſextias transmigravit, ut ibidem in omni virtutum, & diſciplinarum genere erudiretur. Nec fefellit ſpem de ſe conceptam; ingenioſam ſiquidem animam ſortitus tantos brevi in utróque fecit progreſſus, ut dubium, ambiguúmque reliquerit, doctiórne foret, an ſanctior, quamvìs enim indefeſsâ induſtriâ libris usque adeò impalleſceret, ut diu fermè, noctúque ad Cleanthis lampadem ſederet, tanto nihilominùs fervore chriſtianæ charitatis operibus inſudavit, ut crebriùs noſocomia adierit, & aliquando etiam (quod absque horrore vix audiri, vel referri poteſt) teneris labiis ſuis ſaniem cujusdam purulenti ulceris exſuxerit.

Ut autem cor ſuum adversùs inſidioſa carnis lenocinia, & illecebroſas mundi voluptates præmuniret, animámque ſuam ab omni etiam tenuiſſima macula intaminatam conſervaret, literarum ludum reliquit, & in horridam eremum ſeceſſit, ubi ſæpiùs corpus ſuum in nivibus volutavit, ut ardores libidinis penitùs extingueret. Hæc autem converſatio ejus in eremo, quàm accepta fuit ſanctis Angelis, tam exoſa erat larvis ſtygiis, quæ ſexcentas identidem fraudes, & præſtigias ſunt commentæ, ut ſanctum adoleſcentem eremo ejicerent, adeò, ut etiam quidam eorum formâ cujuspiam ex addictiſſimis JOANNIS amicis perſonatus eum acceſſerit, & ſub prætextu gravis infirmitatis, qua ſe oppreſſum mœſtiſſimis gemitibûs ſimulavit, ei perſuadere conatus ſit, ut relictâ tantisper eremo ſibi aſſiſteret. Verùm prudentiſſimus juvenis ſupernâ luce illuſtra-

ſtra-

ſtratus impoſturam ægroti diaboli, quem febris invidiæ impotenter torquebat, haud difficulter detexit, formatòque S. Crucis ſignô infernale ſpectrum non aliter diſpulit, quàm validus ventus fumum diſſipare ſolet.

Deinde verò, cùm ante Crucifixi imaginem provolutus oraret, ſeſéque ab illa híſce verbis compellari audiret: *Fili mi! ſtude ſapientiæ, & lætifica cor meum*, nihil ulteriùs cunctandum ratus eſt, ſed tamquam perfectus Domini noſtri JESU CHRISTI diſcipulus, illico dilectam eremum reliquit, alacrique greſſu Pariſios contendit, cœptum ſtudiorum curſum ibi continuaturus, atque hoc factò ſuò prolixè oſtendit, poſſe quidem interdum bonum aliquod opus alterius gratiâ intermitti, ſi DEUS mandet, non autem ſi diabolus id exigat. Pariſiis tam felici ſucceſſu literarum ſtudiis incubuit, ut ob exquiſitam, & reconditam ejus eruditionem Doctores illius Athenæi conſonís ſuffragiis ipſi titulum *Doctoris Eminentis* detulerint, quo neque priùs, neque poſteà quisquam in illa Univerſitate inſignitus fuit.

Tanta verò de illius ſapientia, & doctrina in illo cantatiſſimo literarum emporio invaluit opinio, ut coactus ſit cathedram aſcendere (quem honorem eo tempore ne principes quidem viri dedignabantur) alióſque ſuæ ſapientiæ radiis illuminare. Hoc muniô auctoratus ardentiſſimô zelô immaculatam Conceptionem glorioſiſſimæ Virginis DEI Matris MARIÆ non minùs linguâ, quam calamô propugnavit, aliíſque libris conſcriptis, & vulgatis incredibilem ſibi nominis exiſtimationem peperit. Multos præterea ibi inſignes diſcipulos educavit, in quibus potiſſimum magnus ille Pontifex Innocentius III. refulſit. Sed quid mirum, ſi Doctor Eminens magnos diſcipulos efformavit?

Clerus Pariſienſis, ùt primùm obſervavit illuſtriſſimum illum ſapientiæ ſplendorem, quem Sanctus noſter de ſe evibravit, eum gremio ſuo cooptare decrevit, eundémque Canonicatu Eccleſiæ cathedralis honoravit. Porrò Epiſcopus Pariſienſis, ut tantum virum arctiùs ſibi obſtringeret, ne ejus diœceſis tantô ornamentô privaretur, illum obedientiæ virtute adegit ad ſacerdotium ſuſcipiendum, quo ſe munere ob raram, & exoticam humilitatem ſuam ſemper indignum putavit. Eo tempore contigit, ut, cùm Epiſcopus, eum ſacris initiaturus, ipſi manus imponeret, & pro more illa verba pronuntiaret: ACCIPE SPIRITUM S. &c. igneus quidam globus cun-

ctis inſpectantibus ex alto in caput ejus deſcenderet, & deinde in forma fulgentis columnæ in cœlum reverteretur. Quô ſignô procul dubio portendebatur, JOANNEM aliquando ad inſtar Moyſis, qui ductu cujusdam columnæ cœleſtis Hebræorum populum ab Ægyptiaca ſervitute liberavit, innumeros captivos Chriſtianos redempturum. Idem præſignavit phasma illud, ſive apparitio, ei in prima lithurgia oblata, cum ſub elevatione ſacræ hoſtiæ, Angelus quidam ſe omnibus ſpectabilem præberet, qui candidâ, & bicolore cruce inſignitâ veſte amictus, decuſſatis brachiis manus duobus captivis impoſuerat, quorum alter formam hominis Chriſtiani, alter infidelis Mauri referebat. Quô ſpectaculô haud obſcurè ſignificabatur, eum à Divina Providentia pro Captivorum Chriſtianorum Redemptore prædeſtinatum fuiſſe, quod etiam Palentiæ in Hiſpania S. Dominico, magno illi Ordinis Prædicatorii Patriarchæ cœlitùs revelatum fuit, cùm ille charitatis ardore ſuccenſus Captivorum Redemptioni manus admovere conſtituiſſet.

Tam peregrini favores propitii Numinis JOANNEM noſtrum in tantum ruborem dederunt, ut is publicos applauſus fugitans alterâ vice ſeceſſum in eremum ſit aggreſſus. Ergo dum ibi inter opaca ferarum latibula animum ſacris commentationibus excolit, rurſus cæleſtem quendam genium videre meruit, à quo officiosè ſalutatus, & poſt longum de rebus divinis ſermonem ad S. P. N. Felicem Valeſium, in remotioribus illius eremi locis latitantem perductus fuit, quicum totô trienniô ſanctiſſimè vixit, donec tandem ambo Annô milleſimô, centeſimô, nonageſimô ſeptimô, ter ab Angelo quodam admoniti, & apparitione candidi cujusdam cervi, crucem rubei, & cærulei coloris inter cornua geſtantis erecti, parili conſenſu Romam perrexiſſent, ut ibidem ab Innocentio III. P. M. (qui, ùt præfati ſumus, diſcipulus JOANNIS fuit) confirmationem novi Ordinis ſui de Redemptione Chriſtianorum Captivorum impetrarent, quam tandem etiam feliciter conſecuti fuerunt; idem ſiquidem Pontifex cœlitùs permotus eorum precibus promptè aſſenſit, ac denique Annô milleſimô centeſimô, nonageſimô octavô, die vigeſimâ octavâ Januarii Ordinem Sanctiſſimæ TRINITATIS de Redemptione Captivorum Chriſtianorum non ſinè apertiſſimis prodigiis inſtituit; eo namque illâ die ad aras operante rurſus Angelus quidam ſub conſpectu Pontificis, totiúsque Populi Romani in aëre poſt conſecrationem apparuit eâdem prorsùs formâ, qua ſe S. Pa-

ren-

Digitized by Google

renti noſtro JOANNI de Matha Pariſiis quondam, cùm ibi primâ vice incruentum ſacrificium obtuliſſet, ſpectabilem exhibuit.

Novâ itaque ſacræ militiæ veſte amicti, quam eis Summus Pontifex propriis manibûs impoſuerat, Galliam confeſtim repetierunt, & paulò pòſt Pariſios pervenerunt. In hac urbe verborum efficaciâ, & inculpatâ vitæ integritate tot Magiſtros, & Doctores Pariſienſis Univerſitatis in ſuam ſocietatem pertraxerunt, ut novus iſte Ordo etiam poſt multos annos conſtantî elogiô Ordo Doctorum audierit. Primus Conventus, qui in diœceſi Epiſcopatûs Meldenſis in illo loco ſurrexit, quem veteres Cervi frigidi nomine indigitare conſueverant, hac gaudet prærogativâ, quòd tota ejus architectura à quodam Angelo delineata fuerit. Cùmque regula conderetur, ad cujus normam alumni hujus Angelici Ordinis vitam, moréſque componerent, & præcipui Patres de nomine, Superioribus iſtius Inſtituti imponendo inter ſe diſſiderent, placuit univerſis rem tanti momenti in alterum diem comperendinare, quo non ſinè ſtupore viderunt, illud ab Angelo aureis literis regulæ inſertum fuiſſe, quod ita ſonabat: *Miniſter vocabitur.* Quo miraculô Divina Majeſtas Superioribus hujus Religionis humilitatis ſtudium etiam atque etiam commendare voluit. Hæc regula eodem adhuc annô Romam perlata, & ibidem ab Innocentio III. die decima ſeptima Decembris confirmata fuit.

Hoc negotiô ità tranſactô prima Patrum Congregatio, quam Capitulum generale vocitare aſſolent, celebrata, & in ea Sanctus Pater Noſter JOANNES de Matha conſonis ſuffragiis primus totius Ordinis Generalis Miniſter creatus fuit. Porrò quamvis hoc onus totis viribûs excutere niteretur, poſtquam tamen illud obedientiâ adactus ſuſcepiſſet, extemplò clementiſſimos oculos ſuos ad pauperes Captivos Chriſtianos convertit, quorum redemptioni cùm in propria perſona intendere nequiret, ſummus enim Pontifex ejus præſentiâ in difficillimis illis Eccleſiæ temporibus deſtitui nolebat, duos quoſdam ſanctiſſimæ vitæ filios ſuos in Mauritaniam ablegavit, Beatos nimirum Joannem Anglicum, & Guilielmum Scotum, qui Pontificiis literis ad Miramamolinum Regem Marochii inſtructi eò contenderunt, & poſt decurſum quinque menſium centum, octoginta, & ſex captivis Chriſtianis redemptis Romam feliciter reverſi fuerunt.

Intereà autem, cùm hi duo fervidi animarum zelotes Mauritaniam captivis ſpoliarent, Sanctiſſimo Patriarchæ noſtro ex man-



Digitized by Google

dato Pontificis laborioſa peregrinatio ſubeunda fuit; cùm enim illis temporibûs Dalmatia, & Dioclia pravis dogmatibûs corrupta, & turpiſſimis abuſibûs fœdata ab integritate Romanæ Eccleſiæ degeneraret, Vulcanus autem utriusque provinciæ rex in tempore utrique malo occurrere vellet, S. P. N. JOANNES de Matha, cum alio quodam ſui Ordinis Religioſo, qui Simon vocabatur, juſſu Pontificis ſub titulo Legati à latere eò deſtinatus fuit, ut ſubpullulantia zizania Apoſtolicæ prædicationis falce extirparet. Ibi ille ſingulari ſuâ ſapientiâ, & indefeſsâ induſtriâ tantùm profecit, ut fides Catholica in hiſce regnis rurſus ſtabilita, & Dalmatia, atque cum Dalmatia Dioclia ſacræ Romanæ Eccleſiæ denuò unita fuerint, tantâ Apoſtolicæ ſedis approbatione, ut hæc eadem noſtro JOANNI agnomentum *Apoſtoli Dalmatiæ* attribuerit. Poſtquàm verò ab hac Apoſtolica expeditione redux Romam appulſus fuiſſet, Innocentius III. eum illico in ampliſſimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptare, & Epiſcopum Oſtienſem nominare decrevit. Sed profundiſſima JOANNIS humilitas, quæ ab omnibus hujus mundi honoribus pertinaciter abhorrebat, rationes invenit, quibûs inviſam ſarcinam eſt amolitus, & Pontificem in ſuam ſententiam flexit.

Inter alia magnalia, quibus Sanctus noſter eo tempore inclaruit, quo in Dalmatia eſt verſatus, illud præcipuè celebratur, quòd quinque millia Dalmatorum, à Conſtantinopolitano Imperatore captorum, & in Macedonia graviſſimæ ſervituti addictorum, ſuâ interceſſione à vinculis abſolverit, eósque deſideratiſſimæ libertati, totâ Dalmatiâ plaudente, reſtituerit. Poſteà verò, cùm ex Dalmatia in Italiam trajiceret, jonqueræ ſacri ſui ſcapularii (ùt vocant) attactu multos cæcos amiſſo oculorum lumine donavit. Nemo tamen mirabitur, cæcos à tali viro illuminatos fuiſſe, qui in alia occaſione mortuos ad vitam revocavit, ùt inferiùs latiùs viſuri ſumus.

Cùm verò JOANNES exploratè cognoſceret, quanti pauperum Captivorum intereſſet, ut Ordo ejus latè per mundum propagaretur, obtentâ Summi Pontificis licentiâ Anno milleſimô, ducenteſimô in Hiſpaniam profectus eſt. Quamvis autem res foret immenſi laboris, ſi omnia ſingillatim perſequi vellem, quæ JOANNES in Hiſpania conſtitutus patravit, non poſſum tamen à me impetrare, quin ſaltèm pauca de plurimis referam. Qui plura voluerit, doctiſſimum ſcriptorem noſtrum, P. Melchiorem à SPIRITU S. adeat, qui cuncta ex probatæ fidei authoribus deprompta, fusè de-

deſcribit. Itaque Sanctus noſter Navarram ( primum Hiſpaniæ regnum ex ea parte , qua Galliam attingit ) ingreſſus ante omnia Sancium Regem ( quem alii octavum , alii verò meliori jure nonum appellitant ) ab expeditione Africana reducem ſibi conveniendum putavit, quod etiam Tutelæ factum fuit. Sancius eo tempore innumeris conflictabatur ſolicitudinibûs, quòd reges Arragoniæ, & Caſtellæ in ejus exitium conſpirâſſent , confœderatíſque viribûs eum ſoliô, & regnô exturbare conſtituiſſent. Nec modum diſpiciebat, aut viam, qua tam potentes, ac fèroces hoſtes à regni finibus arcere, eorúmque furori reſiſtere valeret. Auxilii igitur, & ſolatii omnis expers luctu tantùm , & lamentís ſe conficiebat. Aſt JOANNES eum blandiſſimè conſolatus ad meliorem ſpem erexit, quando prophetico ſpiritu prædixit, hanc tempeſtatem propediem non ſolùm ultrò remiſſuram, verùm etiam ipſum regem conditionibûs honeſtiſſimis , & ad proprium arbitratum factís pacem obtenturum, quod etiam præter omnem expectationem paulò poſt contigit.

Primus Conventus , quem Sanctus noſter in Hiſpania fundavit, Ponte - Reginæ non ſinè peculiari indicio Divinæ voluntatis ædificatus fuit, utpote cujus poſſeſſionem JOANNES ab ipſo Rege regum, Domino noſtro JESU CHRISTO accepit. Quo ad colophonem perducto, ut novum hunc Ordinem latiùs propagaret , quendam Religioſorum ſuorum Burgos , veteris Caſtellæ metropolim, deſtinavit, quatenus in ea urbe fundamenta alterius aſceterii poneret. Sed cùm Ordo iſte recens exortus Burgenſibus eſſet prorsùs ignotus, cúmque Caſtellani eo tempore cruentum bellum adversùs Arragones ſuſcepiſſent, omnia eis ſuſpecta erant, unde & Religioſus ille, qui patentes (ùt vocant ) ſui Ordinis literas ſecum non attulerat, ſed oblivione,aut incuriâ illas inNavarra reliquerat,tamquàm proditor regni, & explorator Arragonum tentus, ac in horridum ergaſtulum compactus fuit. Aſt JOANNES, qui licèt plurimís terrarum intervallís corpore ab eo diſtaret, in ſpiritu tamen omnia vidit, quæ circa illum acta fuerant , unde & intempeſtæ noctis ſilentiô illi apparuit, & incredibilî captivi ſolatiô ei literas patentes, quas in Navarra reliquerat, tradidit, quibûs ſequenti luce exhibitis innocens Religioſus à vinculis abſolutus , priſtinæque libertati reſtitutus fuit.

Ex Navarra JOANNES in Arragoniam ſe contulit , ibidémque à Petro II. Arragoniæ rege , cui ingens Chriſtianæ fidei dilatandæ ſtudium Catholici agnomentum peperit , benigniſſimè exceptus,

ptus,

Digitized by Google

ptus, omnibûsque ſignîs regii favoris, & liberalitatis honoratus fuit. Arragonia, quæ tunc temporis nondum à bello Caſtellano ſatìs reſpiraverat, inteſtinìs etiam factionibûs crudeliſſimè lacerabatur; Petrus enim à matre ſua Sancia diſſidebat, cui ſimultati occaſionem dederat bellicoſus animus hujus reginæ, quæ invitô etiam filiô urbes quasdam, & præſidia vi armorum retinere conabatur. Proceres utriusque partis, qui gliſcentem belli flammam ſopire debuiſſent, eam potiùs totis viribûs utrinque inſufflabant; illi enim qui reginæ adhærebant, nihil prioris authoritatis, & reddituum ſuorum amittere volebant: illi autem, qui regis caſtra ſequebantur, metuebant, ne matre, quam priùs graviſſimè oſtenderant, cum filio reconciliata, ipſi totum regiæ indignationis calicem exſorbere cogerentur. Cruentiſſimum itaque bellum exortum fuiſſet, ní JOANNES ſese pacis Angelum exhibuiſſet, qui ſuâ ſapientiâ, & ignitîs eloquiis effecit, ut regia mater, quæ peculiari pietate Sanctum noſtrum venerabatur, illarum urbium locô, quas prætendebat, alias acceperit, omnésque proceres, à quibus unquam offenſa fuerat, univerſali amneſtiâ donaverit, quo facto pax, quæ jam conclamata videbatur, plaudente totâ Arragoniâ, rurſus refloruit: Hæc autem pax non ſolùm in commune totius regni commodum, verùm etiam in peculiare Captivorum Chriſtianorum emolumentum, & Trinitarii Ordinis incrementum redundavit; eâ námque ſtabilitâ, & regiîs híſce perſonîs in concordiam revocatîs, Sanctus noſter actutum tantam eleēmoſynarum vim corrogavit, qua plurimos Captivos à jugo barbaricæ ſervitutis redimere potuit. Hanc Redemptionem Arragones tantò majori admiratione ſuſpexerant, quantò minùs in illo regno ſimile quid unquam viſum fuerat. Paulò pòſt etiam Fundationem duorum Conventuum obtinuit, quorum alter Illerdæ, alter verò Avinganiæ excitatus fuit.

Tantâ porrò veneratione Rex Arragoniæ Sanctiſſimum Patriarcham noſtrum excoluit, ut eo inconſulto nunquam rem aliquam magni momenti auſpicari voluerit. Nec vacat admiratione, omnia illa, quæ JOANNES probaverat, proſpero ſucceſſu coronata fuiſſe, alia verò, quæ diſſuaſerat, ſiniſtro, & tragico eventu deſiiſſe, ùt prolixè teſtantur campi Toloſani, in quibus Rex Petrus vitam cum victoria perdidit, quia præter Sancti noſtri ſententiam copias in aciem eduxit. Sed quid aliud, quàm infauſtus ſucceſſus ſperarì queat, quando aures ſanctorum virorum conſiliis occluduntur? Illerdæ multa animarum millia ferventiſſimìs ſuis concionibûs ad pœni-

ni-

nitentiam, morúmque reformationem perduxit, ac nonnullos etiam Turcas profana Mahometis dogmata execrari, & Catholicè credere docuit. Multos paſſim infirmos ſacrarum manuum ſuarum impoſitione à cunctis languoribus liberavit, & inter cæteros pedem quendam amputatum ſolo attactu tibiæ agglutinavit. Plures tamen ejus operâ animarum ſanitatem conſecuti fuerunt, quorum numerus ægrè iniri valet.

Marſiliæ non ſemel conſpectus eſt JOANNES è capite, & vultu cæleſtem quendam ſplendorem evibrare, prodigiô adeò vulgatô, ut neminem in ea urbe lateret. In Cataloniam reverſus ſuîs precibûs innumerabilium locuſtarum, toti provinciæ extremam cladem minitantium, examina fugavit. Villafrancæ honeſtæ cuidam matronæ, ariditate unius brachii miſerrimè contabeſcenti, eodem remediô ſanitatem reſtituit, & expeditum utriusque manûs uſum conceſſit.

Quàm charus autem, & acceptus Virgineæ DEI Matri MARIÆ JOANNES noſter fuerit, ex ſequenti eventu facilè conjici poterit; cùm enim aliquando Valentiæ, quæ civitas ea tempeſtate imperio infidelium Maurorum parebat, Captivorum Redemptioni incumberet, nec pecuniam in promptu haberet, qua pactum lytrum ex aſſe perſolveret, glorioſſima Angelorum Regina MARIA ex alto cœlorum deſcendit, regiîsque ſuîs, & virgineîs manibûs ei tantam pecuniæ vim attulit, quantâ opus erat pro eliberatione omnium captivorum. Conſimili ratione, cùm JOANNES deinde Tuneti Chriſtianorum Captivorum libertati aſſerendæ eſſet intentus, ſed tantum æris proferre nequiret, quantum inſatiabilis Maurorum avaritia efflagitabat, rurſus benigniſſima mater miſericordiæ peculiari ſervo ſuo in ſuppetias venit, eúmque tot nummîs inſtruxit, quibûs ducentos, & viginti captivos à vinculis triſtiſſimæ ſervitutis eximere potuit, ut inferiùs latiùs ſumus viſuri.

Ea tempeſtate tota ferme Gallia exitiali peſte Albigenſis hæreſis ſcatebat, ipsô etiam contagiô in vicinam Germaniam propagatô. Tam pernicioſo malo, ut ſummus Pontifex tempeſtivè occurreret, JOANNI, cujus flagrantiſſimum zelum, & exquiſitam doctrinam exploratiſſimè cognoverat, munus Apoſtolici Legati, & Inquiſitoris adversùs hæreticam pravitatem impoſuit, quo etiam tantô Eccleſiæ emolumentô functus eſt, ut ſuîs concionibûs, & prodigiîs multos ad agnitionem, & unitatem Catholicæ fidei reduxerit. Et fortaſſis omnia hujus hæreſeos Zizania radicitùs extirpâſſet, niſi prægnanti-

bûs negotiis in Hiſpaniam revocatus fuiſſet, quò tantò faciliùs conceſſerat, quantò exactiùs zelum, doctrinam, ſanctitatem, aliáſque dotes S. Dominici, qui ei in hoc munere ſubrogatus fuerat, perſpectas habebat.

Mox ùt Hiſpaniam attigit, quatuor illico reges, qui diuturnis bellis omnem propè terram, eorum ditioni ſubjectam, in vaſtitatem redegerant, mira felicitate inter ſe conciliavit. Regna Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, & Navarræ, ſanguineîs, ùt ità dicam, lacrymîs regum ſuorum diſcordias deplorabant. Has igitur ùt JOANNES abſtergeret, tota nervorum contentione incubuit. Quatuor proinde reges, quos privata cujusvis neceſſitas, & publica regnorum calamitas Alfari congregaverat, intrepidè acceſſit, tantóque fervore ad eos ſermonem habuit, ut exciſis omnium ſimultatum radicibûs animi eorum in mutuam concordiam coaluerint, belliſque ſopitîs pax optatiſſima gratam ſuam faciem rurſus extulerit.

Alfarô JOANNES Burgos contendit, ſed antequàm eò perveniret, in deſerto quodam, duodecim ab hac urbe leucîs remoto, cum filiis ſuis ſubſtitit, & per aliquot menſes ibi ſpiritum excoluit: Hanc autem eremum ſuo incolatu adeò ſanctificavit, ut ejus veſtigia ad hanc usque ætatem noſtram perſeverent; in illa ſiquidem ſolitudine multi paſſim reperiuntur lapilli, qui tam tenaciter ſacri Ordinis noſtri Crucem attraxerunt, ut in quamcunque partem verſentur, quomodocunque demum inſpiciantur, licèt etiam in minutiſſima fruſta conterantur, eam tamen ubique perſpicuè exhibeant, ùt propriîs oculîs vidi, & majorem in modum demiratus fui. Quantam verò virtutem hi lapilli à ſanctitate JOANNIS hæreditaverint, prolixè teſtantur infirmi, qui eorum uſu læſam valetudinem reſtaurârunt.

Ad extremum tandem, ubi Burgos perveniſſet, ab Alphonſo rege Caſtellæ hónorificentiſſimè exceptus fuit. Rex iſte, qui ſibi apud hiſtoriographos boni agnomentum peperit, tanta devotione, & affectu ſanctum Patriarcham noſtrum proſequebatur, ut absque ejus conſilio, prævióque conſenſu nihil unquàm auſpicari voluerit: quantô autem tum ſuô, tum regni totius bonô id egerit, cumulatiſſimè oſtendunt illorum temporum Annales. Inter cætera, quæ tunc pro univerſali totius regni bono præſtitit, principem ſibi facilè locum vendicat reparatio collapſæ Univerſitatis Palentinæ, quam Alphonſus ejus ſuaſu, & exhortatione priſtino flori, & avitæ dignitati reſtituit, ut Juventus ibidem non ſolum literîs, ſed & virtutibûs,

ac

Digitized by Google

ac bonis moribûs imbueretur. Prætereà in hac urbe etiam S. Regi Ferdinando, qui tunc nondum ex ephebis exceſſerat, benedixit, & prophetico ſpiritu vaticinatus eſt, eum Caſtellæ thronum aliquando conſcenſurum, cujus ne tenuis quidem ſpes ei tunc affulgebat. Eodem quoque tempore Alphonſo regi inſignem illam victoriam prædixit, quam is poſtmodùm in vicinia Toleti à Mauris reportavit, infidelium exercitu ad internecionem deleto, & ducentis barbarorum millibûs in ipſo prælii loco trucidatis.

Inde Segoviam conceſſit, & in hac quoque civitate ſingulare pacifici animi ſui monumentum reliquit. Etenim Segovienſes, qui, neſcio quibus de cauſis, contra Madritenſes exarſerant, & Alphonſo rege in armorum ſocietatem pellecto, urbis excidio inhiaverant, in gratiam, ſtabilémque amicitiam cum Madritenſibus reduxit. Conciones ejus, & ſermones publici tantum zelum ſpirabant, ut illorum memoria etiam poſt multos ab ejus diſceſſu annos inter Segovienſes recens, viridisque permanſerit. Prodigioſam illam ſanctiſſimæ Virginis DEI Matris MARIÆ imaginem, quæ in hac urbe ſub titulo de Fuencis colitur, tenerrimo devotionis ſenſu frequentiùs viſitavit, multáſque ibi, nec vulgaris notæ gratias impetravit.

Relictâ denique Segoviâ JOANNES denuo Arragoniam repetiit, in quo regno juxta fanum S. Ægidii pauperi leproſo ſtipem flagitanti, propríam tunicam, à corpore detractam, donavit, atque hac ratione ei ſanitatem pro eleëmoſyna dedit; æger enim, quamprimùm hanc tunicam corpori impoſuit, mox fugatâ leprâ perfectè convaluit. Inde in Cataloniam digreſſus ſuis precibûs duos captivos, qui familiæ cujusdam ex præcipuis ejus benefactoribus adſcripti, poſteà vero pyratarum ſævitie intercepti, & in Africam venumdati fuerant, mirabilî ſanè modô liberavit; quamvis enim illi eâdem adhuc nocte, qua Sanctus noſter Divinam clementiam pro ipſis exoravit, in Africa obdormierint, ingruente tamen diluculo ſequentis diei in Catalonia evigilârunt, quo illos prodigioſus hic Patriarcha alis ſuarum orationum tranſtulit, & inter paucas horas ex triſtiſſima ſervitute ereptos in libertatem aſſeruit. Nec minus memorabile eſt vaticinium illud, quo Marchioni cuidam, nomine Alphonſo, imminentem mortem prædixit, atque hac ratione effecit, ut marchio ille non ſinè magna ſpe æternæ beatitudinis piè in Domino obdormierit.

Cæterùm JOANNIS mora in Catalonia minimè fuit diuturna; ingenti ſiquidem negotiorum mole coactus præproperè diſceſſit, na-



Digitized by Google

vique conſcenſa per criſpantes Oceani undas velivolo curſu Romam navigavit. Ibi rurſus ſacrâ ſuâ eloquentiâ, & ardentiſſimis concionibûs innumeras animas è cœno peccatorum extraxit, eásque ad omnem ſanctitatem, morúmque honeſtatem inſtituit. Panem comêſſe, quem Thaumaturgus iſte ſacris ſuis manibûs benedixerat, ægrotis è veſtigio ſalutem attulit: tres quoque mortui, qui ruderibûs collapſi cujusdam ædificii oppreſſi fuerant, eo intercedente ad vitam redierunt. Energumenum pariter, quem ſtygius inquilinus aurium, & linguæ uſu privaverat, JOANNES brevi oratione fusâ in eadem urbe à triplici malo abſolvit, dæmone profligato, auribûs reſeratis, & linguæ vinculô diruptô. Alterius verò pedem confractum ſolo prodigioſarum manuum ſuarum attactu ſanavit.

Flammis deinde charitatis ſuccenſus Romam deſeruit, & maritimo itinere Tunetum profectus fuit. In hac urbe tantas calamitates, & ærumnas, à barbaris, & infidelibus Mauris ei illatas, exantlavit, ut dicendo vix ſatìs exprimi queat. Crudeliſſimô namque fuſtuariô contuſus tam inhumanè vapulavit, ut parùm à morte abfuerit. Hac verberum grandine impii illi dæmonis aſſeclæ virum magnanimum adigere volebant, ut ejurata Chriſtianæ fidei veritate inſanum Mahometis dogma amplecteretur. Aſt JOANNES ſe immobili rupi ſimilem præbuit, quæ ab irruentibus irati æquoris undis tundi quidem, non tamen moveri, minùs autem everti poteſt. Non defuit in hac occaſione Divinus agonotheta laboranti athletæ ſuo; ejus enim auxiliô Sanctus noſter, neſcio, an dicam à vulneribus ſuis ſanatus, aut potiùs à morte reſuſcitatus fuit. Quidquid de hoc ſit, iſtud pro comperto affirmare poſſumus, barbaros mox, ùt JOANNEM, quem pro mortuo dereliquerant, ſanum, & incolumem conſpexerunt, novo adversùs eum furore excanduiſſe, eúmque rabido impetu comprehenſum, in ſquallidum, obſcurúmque ergaſtulum conjeciſſe, ut loci caligo lumen Chriſtianæ fidei in eo penitùs extingueret: ſed contrarium evenit; JOANNES ſiquidem non modò â tenebris Mahometanæ ſuperſtitionis excæcatus minimè fuit, verùm etiam efficaciſſimis ſuis exhortationibûs non paucos ex hiſce dementatis veſpertilionibus lumine veræ fidei illuſtravit.

Cùm itaque juratiſſimi illi Chriſtianæ fidei hoſtes apertiſſimè cognoſcerent, fieri non poſſe, ùt invictiſſima tanti herois conſtantia ullis terroribûs, aut ſuppliciis labefactaretur, eum denique â vinculis abſolutum ſuæ libertati permiſerunt, qua obtenta JOANNES

con-

confeſtim illud negotium reſumpſit, cujus gratiâ Tunetum convolârat, exiguóque temporis intervallô ducentos viginti Captivos Chriſtianos ex ærumnis miſerrimæ ſervitutis eripuit. Aſt quoniam immodicus, quo conflagrabat, zelus facultates ejus tranſcenderat, atque adeò tantam pecuniæ vim corrogare non poſſet, quantâ opus erat ad perſolvendum lytrum pro tot redemptis Captivis, clementiſſimæ cœlorum Imperatrici MARIÆ ſupplex factus ab hac virginea gratiarum aurora enixiſſimis precibus contendit, ut ipſa pro agnata ſibi benignitate ſubſidium in hac rerum difficultate ferre dignaretur. Nec diſtulit Mater Miſericordiæ auxilium ſuum, ſed ê cœlo allapſa devotiſſimum famulum ſuum altiſſimâ ſuâ præſentiâ recreavit, ejúſque inopiæ porrecto ære largè ſuccurrit.

Hac pecuniâ JOANNES pactum quidem pro captivorum libertate lytrum perſolvere, non tamen implacabile Maurorum odium lenire potuit, aut mitigare; hi namque, ùt viderunt, Sanctum noſtrum rebûs omnibûs convaſatis in procinctu ſtare, ut ê portu ſolveret, lymphatico furore correpti inopinata irruptione navim conſcenderunt, remos confregerunt, carbaſa diſciderunt, malúmque everterunt, atque ſic demum naufragam cybeam in altum propulerunt. Aſt JOANNES de Divino auxilio piè præſumens pallium ſuum pro velis habuit, eóque expansô intra breviſſimum ſex horarum ſpatium Romam ſecundiſſima, & prodigioſa navigatione appulit, atque adeò quadringenta milliaria ( tot enim paraſangis Tunetum Româ diſpeſcitur ) volando potiùs, quam velificando emenſus fuit: Deinde verò, cùm alia quædam redemptio in medio Oceano periclitaretur, & Patres Redemptores unà cum redemptis captivis nil nisi præſentiſſimum naufragium expectarent, JOANNES, qui tunc temporis in remotis admodum, diſſitisque terræ plagis degebat, periclitantibus apparuit, eóſque ſtupendô prorsùs miraculô imminenti diſcrimini ſubduxit.

Tandem etiam tertia vice Hiſpaniam adivit, & in ſocietate Regis Arragoniæ Toletum contendit, ut Alphonſo regi Caſtellæ, qui totas imperii ſui vires ad inſtans cum Saracenis prælium ( quod poſtea nomen â navibus Toletanis retulit, *Ad navas* dictum ) coëgerat, in ſuppetias veniret. Nemo eſt adeò hoſpes in hiſtoriis priorum ſæculorum, ut ignoret, quanta fortitudine, ac generoſitate Chriſtiani ea in occaſione adversùs Mahometanos dimicaverint. Non extrema tamen laus hujus facti ſanctiſſimo Patriarchæ noſtro



Digitized by Google

debetur, utpote qui non tantùm efficaciſſimis ſuis exhortationibûs milites ad propugnationem Catholicæ fidei inflammavit, verùm etiam illos ſacri Ordinis noſtri ſcapulari tamquam cœleſti quadam tesserâ munivit. Et ne alicui obſcurum foret, celeberrimam hanc victoriam majori ex parte meritis, & precibûs Sancti Patris noſtri ſtetiſſe, in ipſo prælii ardore crux rubei, & cærulei coloris cœli theatrum occupavit, quæ quot radiis hoſtes perculit, & Chriſtianos erexit, tot veluti linguis teſtata eſt, interceſſionem JOANNIS exercitui Chriſtiano hanc nobilem victoriam peperiſſe.

Hoc conflictu transactò, in quo, ùt dictum manet, ducenta circiter Saracenorum millia occubuerunt, ſolis duntaxat viginti quinque Chriſtianis deſideratis, intolerabilis tandem Almondarorum (nomen eſt pugnaciſſimorum Maurorum, qui Hiſpaniam quondam vaſtaverant) tyrranis, faſtúsque contritus fuit, JOANNES verò Pierram (oppidum eſt Cataloniæ haud procul â Monte-ſerato diſſitum) ſe contulit, ibidémque aliquot boves fulminum intemperie, ſive fulguris coruſcatione extinctos ad vitam revocavit, & quod majorem admirationem meretur, quendam ſuorum Religioſorum fortuitò in flumen delapſum, miseréque ſubmerſum, Sanctus noſter de nomine vocavit, cui non ſolùm mortuus obedienter reſpondit, ſed & vivus, ſiccúſque ex profundis fluminis illius gurgitibus prodivit.

Poſtmodùm autem, cum JOANNES aliquando precibus intentus holocauſtum devotionis ſuæ Domino immolaret, ſubitò præter ſpem omnem, & expectationem, non tamen absque ingenti ſuo ſtupore, & gaudio coràm vidit dulciſſimum ſuum amicum, & deſideratiſſimum ſodalem, S. P. N. FELICEM de Valois, cœleſti ſplendore conſpicuum. Admiratus ille tam inopinatum chariſſimi commilitonis ſui adventum, multò magis tamen præſulgidum illud jubar, quo renitebat, blandiſſimè quæſivit, qui fieri potuerit, ut tam ſubitô, & citra omnem expectationem adveniret? Cui S. P. N. FELIX in hunc modum reſpondit: Non te mirum teneat, dilectiſſime JOANNES inopinatus iſte adventus meus; noveris enim, me ê corpore mortali emigrâſſe, & ad felices beatorum ſedes tranſiiſſe: veni autem, tum ut tibi obitum meum intimarem, tum ut te certiorem redderem, fore, ut tu ipſe quoque poſt exiguum temporis intergerium, me in æternitatem ſis ſubſecuturus, præmiúmque, ſive bravium laborum tuorum, & bonorum operum percepturus. Hòc dictô FELIX evanuit, ſanctúmque noſtrum cœleſti ſolatiò delibutum reliquit.

Hoc

Hoc tam gratò, deſideratôque nunciô JOANNES exhilaratus illicò in viam ſeſe dedit, magnisque itineribûs Romam contendit, quò cùm perveniſſet, rurſus ab Angelo inſtantis tranſitûs ſui certior factus eſt illo prorsùs tempore, quo intellexit, ſe â Philippo Auguſto Rege Galliæ pro ſuo Theologo ad quartum Lateranénſe Concilium deſignatum fuiſſe. Verùm Rex cœleſtis, qui Sanctum noſtrum cœlo propediem inſerere decreverat, diſpoſuit, ut JOANNES Romam appulſus lethali confeſtim ægritudine opprimeretur, â qua etiam non prius convaluit, donec immaculatum ſpiritum ſuum in DEI manus tradidiſſet.

Sentiens itaque ex quotidiano fatiſcentium virium defectu mortem haud procul abeſſe, juſſit futurum tumulum ſuum aperiri, ſeſéque bajulantium manibûs eò deferri. Quò cùm deportatus fuiſſet, rurſus præcepit, arma omnia ſpiritualis militiæ, quibûs hactenus in virtutum ſtadio contra ſtygias larvas decertaverat, in conſpectum ſuum poni. Confeſtim igitur allata ſunt diverſa ejus cilicia, flagella, murices, ferreis cuſpidibûs infeſtæ cruces, aliáque pœnitentiæ inſtrumenta, quæ vix ſinè horrore conſpici poterant. Hæc ille, tamquam virtutum ſuarum trophæa circumſtantibus filiis ſuis legavit, eósque ardentiſſima dictione majorem in modum eſt obteſtatus, ut nunquam in cœpto Redemptionis Captivorum opere elangueſcerent, ſed charitatis ſtimulis acti illud potiùs majori fervore promoverent, legésque, & ſtatuta Ordinis ad amuſſim obſervarent, ſatis nimirum gnarus, religioſum aliquem, quamvìs in cæteris virtutibus excellere videatur, imò & mortuos ad vitam reſuſcitet, ſi in regularum obſervatione deficiat, rémque tanti momenti cordi non habeat, malâ, ac periculosâ viâ incedere, & exitio proximum eſſe. Hoc erat teſtamentum illius, quod filii ejus profuſis ubertim lacrymis obſignârunt.

Deinde flagrantiſſima pietate ultima Sacramenta ſuſcepit, iisque abiturientem ſpiritum munivit, uſus ad hoc B. Roberti Anglici miniſteriô, quibûs munitus in altam extaſim abreptus fuit, ſimúlque igneus de cœlo globus miri ſplendoris ſuper eum deſcendit, in quo, ut veteri traditione fertur, clementiſſimus humani generis Redemptor, & Salvator, dulciſſimus Dominus noſter JESUS CHRISTUS auguſtâ formâ fideliſſimo huic ſervo ſuo apparuit, ut puriſſimam, omnîque aurô, & argentô nitidiorem animam ejus ſecum ad æterna tabernacula deduceret. Globus iſte paulò ante evanuit, quàm JOANNES â diuturna ſua extaſi ſibi reſtitutus fuiſſet, qui ad ſe reverſus

ſus protinus CHRISTI ê Cruce pendentis ſacram imaginem arctiſſimis ſtrinxit amplexibûs, deoſculatóque lateris vulnere inter illa verba: *In manus tuas, Domine! commendo Spiritum meum*, mortalem vitam placidiſſimè concluſit, & immortalem auſpicatus eſt, die 17. Septembris, Annô reparatæ ſalutis milleſimô, ducenteſimô, decimô tertiô, poſtquàm ætatem ſuam ad annos quinquaginta tres, menſes quinque, & viginti quatuor dies produxiſſet.

Quàm pretioſa verò mors ejus fuerit in conſpectu Domini innumera prodigia, ejus tranſitum ad vitam meliorem ſecuta, cumulatiſſimè declarârunt; antequàm enim tumulo illatus fuiſſet, quatuor cæci ſacri corporis ejus attactu oculorum lumen, quo dudum ſe orbatos ingemuerant, gratuitâ medicinâ recuperârunt. Mulier verò, quæ aridum brachium veluti inutile pondus ex humeris pendulum geſtabat, perfectum ipſius uſum eodem remediô obtinuit. Mortuus infans ejus invocatione ad vitam redivit. Claudus quidam, morti vicinus, extemplò perfectè convaluit, quamprimùm ad exanime corpus Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri delatus fuit. Hæc prodigia totô Romanô populô inſpectante, & applaudente ante ſepulturam magni hujus Thaumaturgi contigerunt: deinde verò ad hæc usque tempora noſtra, quibûs iſta latinè ſcribimus, tam frequentibûs & memorabilibûs miraoulis inclaruit, ut ne legi quidem ſinè ſtupore valeant: Qui exactam eorum notitiam habere deſiderat, vitam ejus in fronte hujus opuſculi citatam, & annô milleſimô, ſeptingenteſimô, ſeptimô Madriti impreſſam adeat, in qua ingentem multitudinem veterum, novorúmque prodigiorum, â glorioſiſſimo Patriarcha noſtro S. JOANNE de Matha patratorum, accuratè deſcriptam offendet.

PARS

Digitized by Google

# PARS PRIMA.

## *Qualiter Corpus S. Joannis de Matha poſt ejus glorioſam mortem ſepulturæ mandatum, ac deinde in Hiſpaniam translatum fuerit.*

Deſcribuntur hìc etiam feſtivæ ſolemnitates, quæ poſt declaratam, & comprobatam hujus ſacri Corporis Identitatem celebratæ fuerunt in Conventu Madritenſi Patrum Trinitariorum Excalceatorum.

# CAPUT PRIMUM.

## *De glorioſa morte magni Patriarchæ S. Joannis de Matha, & de ſplendidiſſimis exequiis, quas ei Innocentius III. P. M. adornavit.*

USuveniunt ſæpenumerò etiam fauſtæ calamitates; fieri namque interdum ſolet, ut tetrum quoddam infortunium anteambulo ſit ingentis felicitatis, ei è veſtigio ſuccedentis: Placet nimirum ſubinde Divinæ Providentiæ poſt concuſſas, & everſas ſpes omnes ſubitò grandis triumphi materiem mirabili rerum viciſſitudine ex ipſis ruderibus producere. Scilicet nec ipſa natura aliis ſolet coronam triumphalem imponere, quàm quos multiplici afflictionum ſævitie ad hanc capeſſendam dedolavit. Hiſtoria de translatione S. P. N. JOANNIS de Matha eſt adeò mirabilis, & exquiſita, ut ſimplici duntaxat rerum geſtarum ennaratione magìs ornetur, & commendetur, quàm ampulloſis quibûsque, & ſesquipedalibûs verborum phaleris.

Cæterùm cùm mihi ſit propoſitum in hac lucubratiuncula de ſolo duntaxat corpore hujus glorioſi Patriarchæ tractare, res foret â mea intentione perquàm aliena, ſi nunc calamum in recenſendis illis virtutum, & doctrinæ prodigiis occuparem, quibûs Sanctus iſte in vita ſua promeritus fuit titulum Doctoris Eminentis, Legati â latere, ſupremi Præſidis in quodam Concilio, auſteri Anachoretæ, ſecundi Moyſis in redemptione populi DEI, ſub dira barbarorum ſervitute gementis, Patris, & Patriarchæ tam diffuſæ, & amplæ familiæ, ut Honorius III. de ea dicere non dubitaverit: *Quod â mari usque ad mare ſuos palmites jam extendit.* Cui etiam adſtipulantur quamplurimi haud contemnendi nominis authores, qui ex profeſſo vitam hujus glorioſi Sancti literis commendaverunt, quam ille feliciſſima coronide terminavit annô reparatæ ſalutis milleſimô, ducenteſimô, decimô tertiô, 17. Decembris, exactis ætatis ſuæ annis quinquaginta tribûs, menſibûs quinque, & diebûs viginti quatuor, utpote qui lucem vitalem primitus aſpexit annô 1160., die 23. Junii. Exiguum ſanè tempus pro tantis laboribûs, quos animô giganteô exantlavit.

In Bul.

Mortuus eſt itaque Sanctiſſimus P. N. JOANNES de Matha, ùt dictum manet, Annô 1213., die 17. Decembris, eo prorsùs tempore, quo Innocentius III. qui ejus quondam diſcipulus fuerat, atque adeò exquiſitas ejus dotes, reconditámque tanti viri eruditionem ex ungue perſpectam habebat, illum Romam advocaverat, ut Concilio Lateranenſi intereſſet. Sed cùm ſupremus rerum Arbiter eum ad capeſſendum laborum brabeum evocare decreviſſet, ejus obitum datâ operâ in illud tempus rejecit, quo Roma frequentiſſimâ Eccleſiaſticorum procerum coronâ undabat Nuntium inſtantis mortis ei genius quidam cœleſtis detulit, quo gratanter admodùm, & inter ſinceriſſima geſtientis animi jubila acceptô, diſcipulis ſuis cœleſtem quamdam, & admirandam doctrinam reliquit, ut eos erudiret, ne homines unquam in naufragis hujus mundi arenis confiderent.

Juſſit nimirùm ſibi tribûs, qui tranſitum ejus proximè anteceſſerant, diebûs ſepulchrum effodi, ſéque eò in paupere quadam ſtoreâ deportari: Quò delatus præcepit ſibi afferri, & in conſpectum poni cilicia, catenas, cruces infeſtis cuſpidibûs armatas, flagella, cæteráque victoriarum ſuarum inſtrumenta, partim quòd ad extremum usque vitæ ſuæ halitum inſidias inimici pertimeſceret, partim ut in hac extrema lucta corpori ſuo terrorem incuteret, il-

lúd-

iúdque hac ratione tantò meliùs in officio contineret, partim, ut ſuis filiis ſalutarem quamdam benè moriendi normam relinqueret. Effigiem ſubinde CHRISTI, è cruce pendentis, complexus, labiisque amoris vulneri admotis, cum circumfuſi ejus filii mœſtis vocibûs illa verba ex Cantico Zachariæ concinerent: *Per viſcera Miſericordiæ DEI noſtri &c.* ingens coruſci ſplendoris globus ex alto deſcendit, qui præfulgido jubare ſuo corpus morituri Sancti eousque ambivit, donec pretioſa ejus anima, ceu unio quidam à ſua concha reſolutus, inter hæc verba: *In manus tuas, Domine! commendo ſpiritum meum!* corpus relinqueret, & in ſocietate Diviniſſimi Salvatoris noſtri, qui, ùt multorum Authorum fert opinio, in illo globo lucidiſſimo advenerat, triumphali apparatu cœlum ingrederetur. Fr. Melchior fol. 252. num. 512.

Defunctô in hunc modum S. Patriarchâ, corpus ejus adeò formoſum, nitidúmque remanſit, ut omnium viventium venuſtatem ſuperaret. Quo mirificô, & amœnô ſpectaculô filii ejus exhilarati lacrymis modum poſuerunt. Diffusâ autem hujus rei per ora hominum famâ tota propemodùm Roma ad venerationem ſacri ejus corporis convolavit; nam cùm nominis ſui celebritate in vita apud omnes inclaruiſſet, nemo erat Principum, nobilium nemo, nemo denique Prælatorum, qui non efflictim diſcuperet defuncti corpus piis obſequiis excolere, cujus viventis ſanctitatem omnes ſuſpexerant. Nec irremuneratum abiit pium hoc populi ſtudium; Sanctus enim, quum in vita totus miſericordiæ viſceribus afflueret, nec deſiit miſereri poſt mortem; vix namque ab humo, in qua expiraverat, ſublatus, & in feretro depoſitus fuerat, dum plurimis ſtatim miraculis reſplendere cœpit; ſurdis ſiquidem ejus meritis redivit auditus, cæcis viſus, mortuis vita, mancis denique membrorum omnium incolumitas. Paucis: cunctis infirmis, qui funus ejus acceſſerant, ſe gratuitum, & cœleſtem medicum exhibebat. Georg. Iñes. Altuna. Macedo, & alii multi.

Famâ itaque miraculorum per momenta increbreſcente (quotquot enim ægroti ſoſpitatem conſecuti fuerant, tot facundi horum prodigiorum præcones redibant) tam conferta populorum turba undique affluere perrexit, ut ipſum ſupremum Eccleſiæ caput, Innocentius III. nihil à Majeſtate ſupremæ ſuæ dignitatis abſonum putaverit, ſi ipſe adeſſet, & vulgari plebis pietati ſuam devotionem ſociaret. Adfuit itaque, viſisque tot prodigiis omni venerationis genere illum excoluit, quem etiam viventem impendiò ſemper honorare conſueverat. Neque hic ſubſtitit ejus devotionis ardor, ſed

præterea etiam juſſit, ut hoc ſacrum corpus totô quatriduô publicæ venerationi expoſitum relinqueretur, ut hôc pactô altiſſimam, quam de ejus ſanctitate conceperat opinionem, faceret teſtatiſſimam.

Illuxit tandem dies 21. Decembris, qua ſepulturæ mandandus erat ſacer iſte theſaurus. Quod, ut tantò ſpectabiliori pompâ perageretur, adeſſe rurſus voluit Innocentius III. cum toto Purpuratorum Patrum collegio, & majeſtate aulæ ſuæ. Sacris itaque veſtibûs ſolemniter pro more indutus, ipſe inter concentum muſicorum ſuorum pro anima defuncti ad aras operatus eſt, ac deinde ſacrum corpus humili, & ex lateribus extructo tymbo (temporis enim anguſtiæ magnificentiori mauſolæo condendo non ſuffecerant) incluſit: mandavit tamen, ut protinus periti artifices accirentur, ac Sancto majeſtuoſum, & ex pario lapide elaboratum ſepulchrum conſtrueretur. Quod cùm ab illis tectonicè præſtitum, & tymbus duabus columnis, quibus utrinque fulciebatur, & à terra ſecernebatur, impoſitus fuiſſet, Summus Pontifex in propria perſona translationem ſacri corporis peragere decrevit.

Quamvis autem nec tantæ ingenii vires, nec tam copioſa mihi ſuada ſuppetat, ut pompam & ſplendorem hujus translationis pro dignitate rei literis exequar, non poſſum tamen à me impetrare, ut inſigne quoddam prodigium ſilentiô involvam, cujus omnes meminerunt, quotquot de rebus S. Patriarchæ noſtri ſcripſerunt; nam cùm prior illa tumba aperiretur, quæ ſacrum hocce pignus commodatò tantiſper acceperat, inventa fuit magna vis fragantiſſimi cujusdam olei, illi perſimilis, quod ex oſſibus S. Nicolai Barii ſcaturire conſuevit. Diffudit ſe protinùs odor iſte cœleſtis per totam latè eccleſiam, fama verò hujus miraculi brevi tempore totam urbem pervaſit, qua exciti infirmi eò certatim convolârunt, ut ſacri hujus liquoris unctione ingratas morborum vexationes diſpellerent: Neque falſi ſunt; omnes enim, quotquot ægritudine aliqua afflicti advenerant, hoc pharmaceuticô oleô deſideratæ ſanitati extemplò reſtituti fuerunt. Pontifex autem veneranda lipſana novo ſepulchro intulit, & ut cunctis ægrotis oſtium ſanitatis recuperandæ relinqueret, foramen incidi voluit, per quod liquor ille ſalutaris hauriri, & petentibus donari poſſet.

Sed ne ſic quidem Pontifex ſuæ in hunc Sanctum pietati ſatis litatum putavit, ſed priores favores novis cumulans licentiam dedit, ut imagines S. JOANNIS de Matha aris poſſent imponi, ejúsque ho-

honori ſacella, & templa dedicari: voluit prætereà, ut de eo tamquam viro citra controverſiam Sancto, preces Canonicæ, & officium Eccleſiaſticum perſolveretur, ac tandem pro coronide omnium gratiarum, quas Sancto huic in vita, & poſt mortem exhibuerat, ejus ſepulchro ſequens epitaphium, quod ipſe Pontifex compoſuerat, inſculpi mandavit:

> Annô Dominicæ Incarnationis MCXCVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Tertii, quinto Kalendarum Januarii inſtitutus eſt nutu DEI, Ordo SSS. TRINITATIS, & Captivorum à Fratre Joanne ſub propria regula ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſa. Sepultus eſt idem Frater in hoc loco, Annô Domini milleſimô, ducenteſimô, decimô quartô, die Decembris XXI.

Sepultus eſt autem Sanctus noſter in Eccleſia S. Thomæ de Formis ad latus dexterum altaris majoris, cujus cultus, & veneratio, cùm quotidianis incrementis augeretur, tandem ab Urbano Papa IV. elapſis ab ejus glorioſa morte annis omninò quinquaginta, Annô ſcilicet 1263. ſolemni ritu Albo Sanctorum inſertus fuit, quo tempore ad gubernaculum S. Religionis noſtræ ſedit R. P. Magiſter, Fr. Alardus ex Gallia oriundus. Atque hac nova gloriæ acceſſione; rutilus hic gratiarum ſol, Sanctum dico Patrem noſtrum JOANNEM de Matha, adeò latè effulſit, ut, qui priùs pauculis duntaxat quibusdam luxerat, poſteà jubaris ſui Majeſtatem per totum terrarum orbem evibraverit. Figueras, Georg Iñes, & alii.

# CAPUT II.

## *De cauſis propter quas monaſterium S. Thomæ de Formis primò deſertum, ac deinde ſub poteſtatem Capituli S. Petri redactum fuerit.*

NUlla in hoc mundo invenitur res adeò ſtabilis, & firma, quæ variabilis, & inconſtantis ſemper fortunæ viciſſitudinibus non arietetur. Hoc luculenter oſtendunt ampliſſima hujus mundi regna,

quæ ab hac tinea arroſa brevì corruerunt, quamvìs à principio in æternum duratura viderentur. Satìs ſit pro omnibus Imperium Romanum in ſcenam produxiſſe, cujus limites cum ipſo ſolis curſu dimenſos fuiſſe Virgilius affirmat, & ut Ovidius cecinit, Jupiter ipſe cùm è ſublimi cœlorum ſpecula proſpiceret, nîl niſì terras, Romanis faſcibus ſubjectas, cernere potuit: Tota tamen hujus Imperii amplitudo, tota ejus Majeſtas, & magnificentia, mirandô ſane, ac memorandô fortunæ ludibriô adeò corruit, ut præter nudum nomen vix quidquam priſtini ſplendoris obtineat. Quodſi autem ipſa etiam imperia, tot ſæculorum victoriis fundata, tam lugubrem tandem ruinam perſentiſcant, quid ſtabile, & inconcuſſum in hoc mundo manere poſſet?

Virg. Æneid. 7.

Ovid. Faſt. lib. 1.

Hæc eſt inevitabilis quædam calamitas; cui etiam obnoxium fuit celeberrimum quondam monaſterium S. Thomæ de Formis, quod olim audiebat unum ex famigeratioribus Romanæ urbis Sanctuariis, emporium ſapientiæ, Olympus virtutis, gazophylacium charitatis, & Theatrum pœnitentiæ. Res in hunc modum geſta fuit. Cùm exitialis quædam, & peremptoria lues Annô 1348. poſt centum nimirum & triginta annos ab obitu S. Patris noſtri, totam Europam tam ſæva ſtrage popularetur, ut totius mundi interitus inſtare crederetur, in hoc calamitoſo incendio, ait Figueras, *in illo monaſterio ex ſodalibus dicti Ordinis prædictam domum incolentibus, ſexcentos, & nonaginta ſocietatem mortalem reliquiſſe.* Erat tunc temporis Major, ac Generalis S. Ordinis noſtri Miniſter Fr. Petrus de Aberdonia, qui tam infanda ſuorum clade commotus, ſimúlque veritus, ne domus illa penitùs periret, quæ caput erat totius Trinitarii cœli, illicò in vicem defunctorum ex omnibus Provinciis Galliæ, Britanniæ, & Hyberniæ alios ſuccenturiavit, qui ſtabilî incolatu res lapſantes hujus monaſterii fulcirent, & impendentem ruinam averterent.

Figueras Carp. fol. 513.

Sed quàm bellè cum hominibus ageretur, ſi calamitates ſolitariæ incederent, & non una plures alias longo poſt ſe ſyrmate traheret. Sævities epidemicæ luis jam in tota Italia remiſerat: Septicollis etiam Roma ſaniſſimô undique aëre perflabatur, noſtri tamen Religioſi, quotquot domum illam ingreſſi fuerant, ignotô quodam morbi genere protinùs extincti ad ſepulchrum efferebantur, quin vel unicus mortis falcem evadere potuiſſet. *Illicò moriebantur, omnibûs fratribûs vitâ functis.* Cauſam tam numeroſæ, & lugubri ſtra-

Idem Figuer.

ſtragi dederat virulentus quidam ſerpens, qui in puteo hujus monaſterii inventus poſteà fuit, ſive hunc aëris, aut aquarum corruptio produxerit, ſive illum peſtifera temporum illorum intemperies pepererit. Hoc malum incognitum effecit, ut domus ab incolis deſtitueretur, nemine Religioſorum illam ingredi auſô, ac deinde etiam in manus Romani ſenatûs veniret, qui detecto, & perempto hoc exitiali dracone deſertum monaſterium in publicum valetudinarium convertit.

**In ciſterna domus præfatæ invenerunt ſerpentem magnitudinis ingentis. Figuer.**

Hiſce fatis Conventus iſte totis quindecim annis conflictatus fuit, à legitimis ſuis incolis derelictus, & prægrandi ægrorum ſemper turbâ refertus, donec tandem Annô milleſimô, trecenteſimô, ſexageſimô tertiô, Urbanus hujus nominis V. domum hanc, translatis in alium locum infirmis, annô ſeptimô Pontificatûs ſui avitis poſſeſſoribus reſtituiſſet; cujus etiam ſucceſſor, Gregorius XI. novo diplomate priſtinos reditus, & bona huic monaſterio denuò aſſeruit. Atque in hoc ſtatu Conventus iſte annis viginti, quinque permanſit, ſcilicet ad annum usque milleſimum, trecenteſimum, octogeſimum octavum, à paucis tamen Religioſis habitatus, qui & ipſi, utpotè ex alienis provinciis oriundi, & non ità pridem Romam delati majorem partem à civibus Romanis ignorabantur.

In hæc tempora incidit ferale illud, & diuturnum ſchisma, quo eccleſia, ceu inteſtinô quodam bellô, in duas partes ſecta atrociſſimè laniabatur. Frater Joannes de Marchia, qui tunc temporis clavum Ordinis moderabatur, cum ſex provinciis Galliæ partibus Anti-papæ, Clementis nimirum VII. acceſſit, eúmque pro vero Eccleſiæ paſtore cum tota Gallia, & Hiſpania agnovit. Cujus defectione exacerbatus verus Papa, Urbanus VI. homo, ſi quis alius, acris admodùm, præcipitiſque ingenii, domum hanc cum omnibus poſſeſſionibus, & reditibus ejus Capitulo S. Petri in Vaticano, quod propter exorta in territorio almæ urbis bella grandia damna incurrerat, univit, illúdque omnium bonorum, ad hoc cœnobium pertinentium dominum conſtituit, quam etiam donationem Bonifacius Papa IX. acceptâ pecuniâ à præfato Capitulo S. Petri (bona ſiquidem hujus aſceterii de jure ad ſedem Apoſtolicam pertinebant) litteris ſuis confirmavit, atque hôc pactô eorum dominio non ſolùm ædificia, & reditus, verùm etiam reliquam cunctam domûs illius ſupellectilem, & mobilia ſubjecit, in illa nimirum Bulla, quæ incipit: *Rationi congruit &c.* quam ex Tabulario Canonicorum S. Petri extractam citant, & adducunt multi Authores.

**Acceptâ pecuniâ illud menſæ Canonicorum S. Petri in Vaticano univit.**

**Fr. Franciſc. de Vega To. 1. Chron. Caſtel. Or. SSS. Trin. à fol. 272. usque ad f. 277.**

Reda-

Redactum eſt itaque hoc nobile monaſterium ſub poteſtatem Canonicorum S. Petri in Vaticano, cujus eccleſia eis uſum cujuſdam Oratorii præbebat, in qua tamen diebûs duntaxat feſtivis unica Miſſa celebrabatur, ùt teſtatus eſt unus ex Religioſis, qui ſacrum inde corpus ſurripuit. Trinitariorum verò ab hòc tempore nemo Romæ, nemo in tota Italia remanſit; peſtis enim, ſchisma, & bellum non ſolùm Conventum Romanum, ſed & reliqua Italiæ cœnobia exhauſerat, eorúmque inquilinos in alias procùl oras fugaverat. Erat quondàm Italia tot Trinitariorum Monaſteriis ornata, ut ſola Provincia Neapolitana (in qua hodie duo tantùm Conventus florent, quos Religio temporibûs S. Pii V. recuperavit, qui noſtris Religioſis licentiam in Italiam remeandi indulſit) tria, & viginti hujus Ordinis domicilia, ùt author eſt Altuna, numeraverit, quæ tamen omnia hac internecina ſtrage penitùs derelicta, diruta, & deſolata fuerunt.

Bullarium Ordinis f. 132.

F. Didac. de Sicheira, & Fr. Joeſph. à JESU MARIA in Punend. ſup. in Memoriali fol. 4.

Altuna f. 742. col. 1. lib. 2.

# CAPUT III.

## *Quomodò ſacrum Corpus è veteri tymbo ſurreptum, & deinde in Hiſpaniam tranſlatum fuerit.*

DEſertô monaſteriô, ejúſque poſſeſſionibûs Capitulo S. Petri attributis, eccleſia tamen ſemper intra muros urbis Romanæ, quamvìs in loco deſerto, remanſit, ac tandem per varias rerum, temporúmque viciſſitudines cum toto ſitu in manus Principis Mathey devoluta fuit, qui locum hunc, templò tamen inviolatò relictô, in viridarium convertit. Sub hujus, ejúſque ſucceſſorum poteſtate ſacrum corpus ducentis, & ſexaginta novem annis perſeveravit, non aliâ intereà cultum reverentiâ, nisi quam eremita, aut mulier aliqua, cui eccleſiæ hujus cura demandata fuerat, ei impendebant, filiis hujus Sancti Patriarchæ perpetuis lacrymis deflentibûs, quòd nobiles adeò, & pretioſæ reliquiæ tam glorioſi Sancti adeò ingloriæ, & absque omni cultu, ac veneratione jacerent.

Aſſiduæ iſtæ Religionis querelæ, & anxiis gemitibûs explicata deſideria duobus Religioſis laicis, è familia PP. Trinitariorum Calceatorum (quorum unus Fr. Gundiſalvus de Medina, alter verò Fr. Joſephus Vitalis appellabatur) calcar ſubdiderunt, ut collatis inter ſeſe conſiliis tandem decreverint, ſacrum illud corpus è tanto dede-

dedecore vindicare, illúdque clàm ſurreptum in Hiſpaniam transferre, quatenùs in eccleſia aliqua ſui Ordinis debitos ſortiretur honores: neque ſegniùs, ac cogitaverant, ſecerunt; præfixa ſiquidem ad hoc pium furtum perpetrandum nocte diei decimæ octavæ Martii, quæ feſtum S. Joſephi antecedit Annô 1655. totis viribûs in hoc opus incubuerunt: Quantas autem difficultates in hoc auſo perficiendo ſuperaverint, quantáve tunc prodigia patrata fuerint, optimè ex illa confeſſione diſcemus, quam unus eorum in juridica inquiſitione depoſuit, quæ de hoc furto Madriti ante Dominum Camillum de Maximis, eo tempore ſedis Apoſtolicæ apud Catholicum Regem Nuncium inſtituta fuit, cujus verba ex hiſpanico in latinum idioma verſa ità ſonant.

Ait igitur ſe ad hoc facinus audendum motum fuiſſe zelô ſuæ Religionis, quòd ſibi intolerabile videretur, ſi oſſa Sancti Patris JOANNIS de Matha, tamquàm Fundatoris ſuæ Religionis diutiùs hærerent in eccleſia, ſub poteſtate Trinitariæ Religionis non conſtituta, qualis tunc temporis erat S. Thomæ de Formis: Dolebat is præcipuè, cùm videret, ſacrum hoc corpus debita veneratione deſtitutum jacere, idque in eccleſia ſemiruta, & in loco deſerto. Egit proinde cum Fr. Joſepho Vitali, ut ſibi in ſuppetias veniret ad venerandas has reliquias è loco adeò ignobili ſurripiendas, qui illi etiam opem omnem ſpopondit, monuitque maturatu opus eſſe, nè, quod fama in vulgus ſparſerat, Patres diſcalceati ejuſdem Ordinis, qui id ipſum tentaturi ferebantur, ipſos in hoc conatu anteverterent; videbatur enim eis, multò ſatiùs, & convenientiùs fore, ſi ipſorum familia, cujus propriè fundator extiterat, hunc ſacrum theſaurum poſſideret. Talibûs cogitationibûs gravidi per multos dies inceſſerant, viam rimantes, quâ propoſitum finem feliciùs, faciliúsque aſſequerentur, donec tandem rebûs omnibûs ritè diſpoſitis ſtatuiſſent hoc auſum in ipſa nocte, quæ feſtum S. Joſephi proximè antecedit, aggredi. Exiêrunt proindè è ſuo conventu horâ undecimâ noctis illius, aſſumptiſque ſecum rebûs pro igne ſuſcitando neceſſariis, & palô quodam ferreô pro ſepulchro perfringendo, rectâ viâ ad dictam Eccleſiam S. Thomæ de Formis contenderunt, quæ, ùt dictum manet, horto Principis Mathey incluſa eſt. Huc delati, circa horam ſecundam concubiæ noctis, maceriam non admodùm altam facili tranſcenſu ſuperaverunt, cúmque ſitum loci haberent exploratiſſimum absque mora præfatam Eccleſiam petierunt, quin ab aliquo clandeſtinus eorum ingreſſus notatus fuiſſet. Cæterùm ubi ad Eccleſiam

**Dictum authenticum Fr. Gundiſalvi de Medina, qui tempore illo, quô hanc confeſſionem depoſuit, è ſtatu laicali jam ad ſacerdotalem promotus fuerat.**



Digitized by Google

ſiam pervenerunt, eam ſeris, vectibúsque clauſam invenerunt. Ne itaque ſtrepitu proderentur, ſi januam violenter perfringere voluiſſent, coacti ſunt alias rationes propoſiti perficiundi indagare, ſed cum apta nulla occurreret, aporiari cœperunt. Ergò dum hæſitant, animúmque deſpondent, atque adeò re infecta domum repetere parant, per varios horti anfractus incerti, perplexíque vagantes, ad latus tugurioli cujusdam, in illo horto extructi, ſcalam benè longam invenerunt, cujus operâ in Eccleſiam penetrare decreverunt. Ambo igitur ſcalam illam complexi, ad eccleſiam portârunt, eámque prægrandi cuidam feneſtræ, ceratâ duntaxat papyrô obductæ, admoverunt, quam etiam hic idem Fr. Gundiſalvus impigrè conſcendit, ruptáque, ac diſcerptâ papyrô feneſtræ illi varicùs inſedit, & deindè Fratrem Vitalem ad ſe vocavit, qui protinùs in altum eluctatus, eàdem ratione in feneſtra conſedit. Hic illi conjunctis viribûs ſcalam attraxerunt, & per eandem, in eccleſiam dimiſſam, rursùs deſcenderunt. Prior, qui in templum deſcendit, erat Fr. Gundiſalvus, quem tamen Fr. Joſephus protinùs eſt *ſubſecutus*, ubi illi apertô ignitabulô ignem excuſſerunt, eóque candelam accenderunt. Accensâ candelâ ambo ad ſepulchrum properârunt, quod ex candido marmore perquàm eleganter fabrefactum, & plusquàm ſex palmis à terra elevatum, parieti tamen Eccleſiæ, ídque inter altare Majus, & altare S. Thomæ (plura ſiquidem tunc in hoc templo non erant) cohærebat. Hac opportunitate oblatâ audendum ratus Gundiſalvus ſupradictô palô ferreô ſepulchrum perfringere conſtituit, quod cùm aggredi tentat, auditus eſt tam ab ipſo, quàm ab ejus ſocio horriſonus quidam, & inconditus ululatus, qualem canes magni excitare ſolent, qui tribûs vicibûs eorum auribus illapſus illos tantò magìs perculit, quantó minùs diſpicere poterant, unde nam ortus eſſet; nam cum ululatus iſte, ùt ipſis videbatur, ad latus eorum excitatus fuiſſet, nihil tamen viderunt, unde prodire potuiſſet. Itáque majorem in modum conſternati duas candelas extinxerunt, ex tribus, quas accenderant (unam enim ſecum attulerant, duas verò in altari majori invenerant) quamvìs autem Fr. Joſephus etiam tertiam extinguere voluerit, prohibitus eſt tamen à Fr. Gundiſalvo, qui eam ſub altari abſcondit, nè, ſi quis fortuitò eccleſiam ingrederetur, ipſos videre poſſet. Nemine autem animadversô perſcrutati ſunt totam eccleſiam, quin tamen vel novum aliquem ſtrepitum audirent, vel prioris cauſam indagare valerent. Fr. Gundiſalvus aures preſsè fo-

ribus

ribus eccleſiæ admovit, neque hoc contentus ſcalam quoque perreptavit, & ad feneſtram delatus, nihil prorsùs vidit, nec audivit, quamvis ſolicitis oculis, patulíſque auribûs omnia perluſtrâſſet. Idem fecit Fr. Joſephus Vitalis, qui cùm & ipſe nihil vidiſſet, & audiviſſet ad ſocium ſuum converſus, Frater, ait, Credo equidem, Divinam Majeſtatem hoc ſignô nos docere voluiſſe, ingratum ſibi fore, ſi ſacrum corpus ex hoc loco transferatur, cui Fr. Gundiſalvus reſpôndit: *Oremus priùs.* Fusâ igitur ad DEUM oratione Gundiſalvus vovit, ſe per omnem reliquam vitam ſuam ſingulis ſeptimanîs in feria ſexta jejunaturum, ibidémque perpetuò victurum, ſi voti ſui compos efficeretur, quocunque ſacrum Corpus transferri contigiſſet. Ad eundem finem obtinendum vovit Fr. Joſephus, ſe pro viribus operam daturum, ut ſacrum Corpus ad talia loca deportetur, ubi majori eſſet veneratione colendum, ibidémque ſe perpetim victurum, & moriturum. Factâ oratione Fr. Joſephus apprehendit palum ferreum, eóque citrà ullum negotium aut ſtrepitum omnes lapides à tumba removit, quod ſpectatis naturæ viribûs impoſſibile erat, tum quòd palus iſte eſſet valde parvus, tum quòd lapides illi eſſent admodùm magni, & ponderoſi, quos tamen Fr. Joſephus unicâ duntaxat manu ſuſtulit, & à conjunctione parietis avulſit. Apertô ſepulchrô, cùm factum foramen adeò latè jam pateret, ut caput, & brachium commodè admitteret, vidit in illo tria corpora valdè ab invicem diſtincta, & loci ſpatiis ſecreta. In parte ſuperiori jacebant oſſa S. JOANNIS de Matha, & ſuper illa eminebat caput ejusdem ſancti, cui impoſita erat Oratio ad noſtros duos SS. Patriarchas: In utroque autem ſepulchri angulo ſingula corpora quieſcebant, valdè tamen à corpore S. Patris noſtri remota, & diverſa; nam cùm ſacræ Reliquiæ colore cum nivis candore certarent, oſſa tamen aliorum duorum corporum erant penitùs flava. Quo ſpectaculô cùm Fr. Joſephus oculos ſatiâſſet, accerſivit ſocium ſuum Fratrem Gundiſalvum, qui hæc omnia etiam vidit. Poſteà verò Fr. Joſephus caput, atque cum capite ſchedulam, eidem ſuperimpoſitam, extraxit, quam cùm aperuiſſent, hæc verba in illa invenerunt. *Oratio Devota ad ſanctos Patriarchas Ordinis SSS. TRINITATIS. DEUS, qui per beatos Patres noſtros JOANNEM, & FELICEM hunc Ordinem ad redimendos de poteſtate Saracenorum Captivos, cœlitùs inſtituere dignatus es, præſta quæſumus, ut eorum ſuffragantibûs meritîs à*



Digitized by Google

*captivitate corporis, & animæ Te adjuvante liberemur. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, &c. Hæc oratio cum antiphonis, & verſiculis cantatur in Eccleſiis Ordinis SSS. TRINITATIS, ùt cantabant Fratres ante monumentum apud S. Thomam* 1290. *Romæ.*

Poſtquàm autem ſacrum caput deoſculati, & venerati fuiſſent, cùm nihil ſecum attuliſſent, quò pretioſas has reliquias involverent, Fr. Gundiſalvus laneam ſuam tunicam, quâ pro indulio uſus fuerat, exuit, in quam Fr. Joſephus reliqua oſſa, è ſepulchro extracta, cum capite depoſuit, ac deindè tumbam ſolicitè, diligentérque concluſit, ut nullam furti ſuſpicionem faceret; lapides enim, qui integri perſeveraverant, huic propoſito egregiè ſunt obſtetricati. Poſteà verò cum ſacris oſſibus per eandem ſcalam aſcenderunt, quam ad feneſtram pertractam in hortum demiſerunt, eámque, poſtquàm ad terram deſcendiſſent, priſtino loco reſtituerunt, rebûs omnibûs in priori ſtatu relictis, præter feneſtram papyraceam, quam in tanta feſtinatione reparare non poterant. Quô factò ambo læti, alacréſque ſuum Conventum repetierunt, in quo itinere cùm per monaſterium PP. Trinitariorum Diſcalceatorum tranſiviſſent, non ſinè ſtupore audierunt, unam illius cœnobii campanam pulſari: cùm autem non ignorarent, Trinitariis Diſcalceatis in more non eſſe, tali tempore (erat ſiquidem hora noctis ſecunda) campanas incitare, hunc pulſum pro miraculo habuerunt, eúmque ab aliquo Angelo excitatum crediderunt in honorem ſacrorum lipſanorum, quæ ſecum portabant. Atque hac ratione ad ſuum aſceterium pervenerunt, quod etiam ingreſſi ſunt, quin ab aliquo furtivus eorum diſceſſus, & reditus notatus fuiſſet. Dictas autem reliquias arculæ cuidam incluſas, quæ duabûs clavibûs reſerabatur, in cella Fratris Gundiſalvi depoſuerunt, cúmque uterque ſuam clavim aſſumpſiſſet, quieti ſe commiſerunt.

Hactenùs Fr. Gundiſalvus, ex cujus juridica aſſertione hæc narratio extracta fuit, quæ omnes ſimul circumſtantias hujus facti luculentiſſimè prodit. In hac cella ſacra oſſa permanſerunt usque ad primam diem Aprilis ejusdem anni, quo tempore notitia rei geſtæ ad aures Reverendiſſimi Patris Magiſtri, Fratris Petri Ariæ Portocarero ejusdem Ordinis, qui tunc Procuratoris Generalis in Curia Romana munere fungebatur, pervenit, qui prædictos Fratres urſit, ut ſibi venerandas reliquias traderent, eóſque impulit, ut ean-

dem

dem aleam altera etiam vice tentarent, ſublatíſque ex priore monumento duorum Generalium corporibûs, ſecundi nimirùm, & quinti (non autem tertii, ùt Fr. Gundiſalvus perperàm aſſeruit, niſi hoc nomine intelligere voluerit tertium, qui Romæ fuit; tertius enim Generalis S. Ordinis noſtri fuit Beatus Fr. Guilielmus Scotus, qui in montanis Epiſcopatûs Mentiſſenſis ad ſuperos abiit, unde corpus ejus Cordubam tranſlatum fuit, quartus verò Generalis, Fr. Rogerius Leproſus diem ſuum in Gallia clauſit, idque in monaſterio Cathalaunienſi, ubi etiam ſepultus jacet. Sed quintus Generalis, videlicet Fr. Michaël Hiſpanus, Romæ hominem exuit, atque adeò tertius Generalis fuit, qui in eccleſia S. Thomæ de Formis tumulatus eſt, cujus procul dubio corpus Religioſi illi ſurripuerunt, illúdque (cùm certioribûs documentis deſtituerentur, pro corpore tertii Generalis venditârunt) ut inquam ſublatis hiſce duobûs corporibûs ſchedulam quandam ſubſtituerent.

Huic novo auſo perficiundo præfixerunt noctem, quæ proximè diem ſextam Aprilis antecedit, quo tempore multò gravioribus difficultatibus ſunt conflictati, nec fortunam ampliùs adeò propitiam experti; continuis enim diſcriminibûs, & periculîs infeſtabantur, adeò, ut Fr. Gundiſalvus ſemimortuus domum repedaverit, utpote qui ex feneſtra in terram delapſus fuit: adde, quòd cùm nox illa frequentiſſimîs coruſcationibûs, & tonitruis, quæ immanem terræ tempeſtatem minabantur, eſſet horrida, illis integrum non fuerit, ut fractum monumentum rursùs componerent, ſed ut inſtanti tempeſtati capita ſubducerent, illud apertum, & dirutum relinquere coacti ſunt, ùt fuſiùs legi poteſt in juridico proceſſu. Extraxerunt denique utrumque corpus, relicto in tumba quodam ſchediasmate, quod à Patre Portocarero acceperant, cujus tenor in lingua latina ità ſonat. Ponenda fol. 31.

[Notum ſit omnibus illis, qui præſentibûs, aut futuris temporibûs hanc chartam ſunt lecturi, qualiter duo Religioſi Ordinis Calceatorum SSS. TRINITATIS, quorum alter ex Caſtella oriundus (Fr. nimirùm Gundiſalvus) in Conventu Madritenſi profeſſionem emiſit, alter verò in Arragonia natus (Fr. Joſephus Vitalis) in Conventu Majoricenſi ſolemnia vota concepit, poſtquàm didiciſſent, corpus noſtri ſacri Fundatoris S. JOANNIS de Matha in hoc tam ignobili loco aſſervari, firmiter decreverint, illud inde ſublatum in tales provincias deportare, ubi majori veneratione coleretur, in quem etiam finem die Veneris, quæ erat 19. Martii, Annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô Ponenda fol. 10. & in Proceſſ. Hiſpan poſt fol. 2.

 quin-

quintô, ſede vacante ob mortem noſtri Sanctiſſimi Patris Innocentii X. felicis recordationis circa decimam matutinam juxta horologium Italiæ, aut circa horam tertiam juxta horologium hiſpanicum, cœlo jam nonnihil clariſcente, victis incredibilibûs difficultatibûs, ut in Eccleſiam penetrarent, in qua etiam res, juxta apparentiam, præternaturales experti fuerunt, tandem hi duo ſoli Religioſi dictum ſepulchrum debili quodam inſtrumentô aperuerunt, quod rursùs ſpectata magnitudine, ac diſpoſitione molis, naturaliter impoſſibile eſſe videtur. Invenerunt autem in monumento tria corpora *cum multa diviſione, quæ erat iſta: In parte eminenti dicti ſepulchri, juncta oſſa unius corporis, quod cognoſcebatur eſſe noſtri Sancti Fundatoris Sancti JOANNIS de Matha* non ſolùm ob prærogativam loci eminentioris, verùm etiam ob orationem antiquam Breviarii Anglicani, quæ ſupra hæc oſſa jacebat: In utroque autem ſepulchri cornu, ſive latere, quieſcebant ſingillatim oſſa aliorum duorum corporum, ſolicitè inter ſe diſtincta, quibûs relictis ſolum Corpus S. Fundatoris noſtri S. JOANNIS de Matha, quod unicè deſiderabant, ſecum ablatum aſportârunt.

Divulgato autem hoc caſu jam facto, conveniens viſum fuit, ut alia etiam illa duo corpora è dicto ſepulchro extraherentur, tam pro omni æquivocationis occaſione tollenda, quàm pro majori veritatis confirmatione: unde etiam contemptis quibûsve periculis (quæ ſolent occurrere graviſſima) hac nocte, die martis, ſextâ Aprilis, horâ eadem, qua ſuperiùs, illuceſcente diluculo diei mercurii dicti menſis, dabimus operam, ut divinâ gratiâ adjuti etiam alia illa duo corpora extrahamus, aut certè hanc ſchedulam monumento imponamus, quatenùs futuris temporibûs hæc glorioſa actio innoteſcat, & cunctis pateat ibi demùm propriè haberi corpus noſtri S. Fundatoris, quod ex hoc ſepulchro ſublatum fuit, ubi copia, ſive apographum hujus teſtimonii iisdem literis, ſignis, & formâ confectum invenietur.]

Hoc itaque teſtimonium præfati duo Religioſi in monumento reliquerunt: Ipſi autem, cùm præſaga mente ariolarentur, ob ruptum, & dirutum ſepulchrum facti hujus notitiam celeriter ad Magiſtratum emanaturam, ſimúlque timerent rigidiſſimas pœnas, quibûs Eccleſia Romana in ſimilia furta animadvertere conſuevit, ocyùs talaria induerunt, convaſatisque rebûs ſuis eadem adhuc die urbe exceſſerunt, & Neapolim properârunt, ubi, antequàm in Hiſpaniam trajecturi, navim conſcenderent, eis ſe adjunxit Pa-

ter

Digitized by Google

ter Portocarero, qui in idem regnum contendit aſſumpto ſecum corpore Sancti JOANNIS de Matha, relictis corporibûs aliorum duorum Generalium in poteſtate Ducis de Terra nova, Regis Catholici ad Aulam Romanam Legati, à quo poſteà in Hiſpaniam translata, & in Conventu Madritenſi RR. PP. Trinitariorum Calceatorum recondita fuerunt, ubi etiamnum quieſcunt.

# CAPUT IV.

## *Sacrum Corpus Nuncio Apoſtolico traditur, & ab eo Patribus Trinitariis Excalceatis Madriti ſub ratione depoſiti concreditur.*

UBi Romæ furtum hoc famâ vulgante percrebuit, fulminatæ ſunt Cenſuræ in authores hujus facinoris, ſimúlque expeditæ fuerunt literæ, quas Monitorium vocant, quibûs reſtitutio ſacrarum Reliquiarum imperabatur. Sed cùm reſcitum fuiſſet, architectos iſtius furti in Hiſpaniam confugiſſe, alterum Decretum in hoc regnum miſſum fuit, quô Domino Nuncio mandabatur, ut pro viribus reſtitutionem ſacrorum Lipſanorum urgeret. Totum hoc refert A.R.P. Magiſter, Fr. Franciſcus Arcos, qui eo tempore Provinciam Caſtellæ gubernaverat, & propriis manibûs almæ Nunciaturæ S. Corpus tradiderat. Juvat propria ejus verba referre, qui in quodam libello ſupplici (Memoriale appellitant) quô poſt ſex annos ab hoc facto elapſos, licentiam recitandi officia de SS. Patriarchis noſtris ſolicitavit, ità locutus eſt.

Memorial. P. M. Arcos fol. 21. plan. 2. n. 55.

[ Quamvìs autem non exprimatur forma, quam ſepulchrum præſetulit, hanc tamen ſatis depingit Monitorium, quod fuit expeditum ob ſurreptum Corpus S. P. N. JOANNIS . . . . & paulò inferiùs hæc habet. Si non haberetur tam ſublimis exiſtimatio, qualis reapſe habetur, de ſanctitate noſtri glorioſi Patriarchæ, nunquam tantæ induſtriæ à Romana Curia adhibitæ fuiſſent, ut ejus reliquiæ reſtituerentur, & ad manus ſuæ Sanctitatis, ejúſque miniſtrorum ponerentur, ùt deinde contigit in hac aula, quando ſacrum corpus traditum fuit in capſa quadam, aureis pannis ſuffulta, & alteri arcæ ligneæ incluſa Illuſtriſſimo Domino, Don Camillo de Maximis, Patriarchæ Hieroſolymitano, & ſuæ Sanctitatis Nuncio, qui illud de mea manu recepit, cùm Provincialis munere fungerer. ].

Permanſit hôc pactô Sacrum Corpus ſigillô Cardinalis de Maximis obſignatum in Nunciatura Madritenſi usque ad

ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, ſexageſimum primum, quô ex mandato S. Rituum Congregationis, ſuffragante, ac urgente Eminentiſſimo Cardinali Altieri nova S. Corporis recognitio facta fuit, ab Eminentiſſimo Domino, Don Galeaceo Mareſcotti, Nuncio Apoſtolico in Hiſpania, præſentibûs noſtro Reverendiſſimo P. Generali, Fratre Antonio â Conceptione; P. Fr. Joanne à Conceptione Procuratore in Curia Romana: P. Fr. Martino à S. Joanne Baptiſta Procuratore Generali in aula Hiſpanica, & Reverendiſſimo Patre Provinciali, aliiſque Patribus Magiſtris ex Ordine Trinitariorum Calceatorum, aſſiſtentibûs quoque, teſtium locò, Dominô Don Joanne Baptiſta Brurengo Epiſcopo de Ales, in Regno Sardiniæ, Domino Don Ludovico Homine-DEI de Pacheco, qui poſteà creatus eſt S. R. E. Cardinalis, & Domino Don Carolo Homine-DEI de Pacheco, ejus Fratre Marchione de Almonacid., qui etiamnùm in vivis ſupereſt. Cúmque inſpectò loculò omnia ſalva, & conformia inventa fuiſſent, Dominus Mariſcoti rursùs arcam concluſit, eámque quinque ſigillis munivit, in aliis tamen *partibus*, diversis nimirum ab illis, quibûs priora, & pro hac recognitione facienda rupta ſigilla, impreſſa fuerant.

Ità perſeveravit S.Corpus in Nunciatura, & in manibus Legatorum Apoſtolicorum, usque ad annum 1686. quo tempore Eminentiſſ. D. Cardinalis, Don Marcellus Durazo die ſecunda Julii illud ſub forma Depoſiti concredidit Patribus Trinitariis Excalceatis Madriti aſſervandum in Oratorio novi noſtrorum temporum Jobi, Venerabilis nimirùm Patris, Fratris Thomæ à Virgine, quin ad hoc Patrum Calceatorum conſenſum requiſiviſſet; cùm enim hoc depoſitum ad jus pertineret Capituli S. Petri, quod erat legitimus Dominus harum reliquiarum, à quo etiam Nuncius Apoſtólicus plenam facultatem de illis pro arbitratu proprio ſtatuendi acceperat, ùt conſtat ex ejus decreto, poterat ſupradictus Cardinalis hoc depoſitum eò conferre, ubi ei aptiùs, & convenientiùs videbatur: Duabus autem de cauſis ad hoc faciendum potiſſimùm inductus fuit, quas ipſe in publico quodam inſtrumento declaravit, in quo hæc verba inveniuntur. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Marcellus Durazo, Archiepiſcopus, & Nuncius &c. Cùm attentè conſideraret, arcam, in qua Reliquiæ S. JOANNIS de Matha continentur, in ſua domo debitâ decentiâ aſſervari non poſſe, & ſimul deſideraret, ut ad talem locum transferrentur, in quo majori decentia, quæ eis debebatur, haberentur &c.

Hæ

Digitized by Google

Hæ ſunt duæ illæ cauſæ, ex publico diplomate depromptæ, quibûs impulſus fuit Dominus Nuncius, ut ſacrum Corpus fidei noſtrorum PP. Trinitariorum Excalceatorum, Madriti degentium, committeret. Ab hoc tempore Diſcalceata Religio Trinitaria nullum non movit lapidem, ut finem aſſequeretur, quem ſibi illi duo Fratres Laici, qui S. Corpus ſurripuerunt, præfixerant, qui erat major cultus, & veneratio illius, quin locum reſpiceret, in quo hæc veneratio major ei exhiberi deberet, ſed in hoc tantùm intenta, ut cultus iſte ei impenderetur, utpote quæ etiam illo jam tempore, quo ſacer hicce theſaurus in Nunciatura aſſervatus fuit, impigro labore publicam ſacrorum oſſium venerationem ſolicitaverat.

Hoc tam pium ſancto Parenti ſuo addictiſſimorum filiorum deſiderium ſemel ſuſpenſum, ac deinde binîs etiam vicibûs fruſtratum fuit: nemo tamen miretur; non enim aliud ex omni parte magnum opus dici poteſt, niſì quòd procelloſos inſurgentium tempeſtatum, & difficultatum fluctus glorioſè ſuperavit. Id ſanè, ſi unquam aliàs, in hoc negotio evenit; quamvìs enim probationes eſſent adeò claræ, & perſpicuæ, ut in illis non magìs pietas, quàm juſtitia reſplenderet, ſemper tamen cùm hæc petitio portui eſſet proxima, emergentibûs ventìs contrariìs in altum rejecta fuit. Quamvìs nè hoc quidem præcipuum ſufflamen dixerim, cùm aliud longè tenacius, & difficilius injectum fuerit, quod in hoc rerum ſtatu fortuitus quidam produxit eventus.

Annô 1718. cùm hæc cauſa novo fervore urgeretur, valida quædam, horrendáque tempeſtas incredibili furore ſeſe ei objecit; poſtquàm enim publicè compertum fuiſſet, S. Corpus in hoc Conventu Madritenſi aſſervari, Patres Calceati enixiſſimìs precibûs efflagitârunt, ut Depoſitum ab hoc loco removeretur, eo prorsùs tempore, quô Diſcalceata Familia noſtra credebat, ſe juſtè proſequi cauſam pendentem. Illuſtriſſimus Dominus Nuncius ſiniſtris informationibûs in transverſum actus, cùm malevolorum calumniìs ad aures ejus perlatum fuiſſet, Patres Excalceatos in cuſtodia hujus ſacri Depoſiti debitam fidelitatem non exhibuiſſe, editô Decretô mandavit, ut illud amoveretur. Non ego iſtud nunc ago, ut ſingillatim referam, quæ in hac ancipiti verbivelitatione geſta, ſcriptáque fuerunt, utpote cui injunctum fuit, integram rei ſeriem ſtrictim duntaxat, & ſuccinctè literis commendare, allegatìs Bullis, Decretìs, & authoribûs, quod etiam facere intendo: ſolùm itaque impræſentiarùm dico, maximum, & apertiſſimum argumentum



Digitized by Google

fidelitatis, à PP. Trinitariis Excalceatis in cuſtodia pretioſi hujus Depoſiti obſervatæ, eſſe ipſam victoriam, qua inter tantas contradictionum tempeſtates obtinuit imprimìs declarationem identitatis, ac deinde ipſam etiam poſſeſſionem S. Corporis cum licentia, illud publicæ venerationi exponendi, ùt clariùs patebit, ubi de nova recognitione, & inſpectione SS. Lipſanorum locuturus ſum: niſì velint, nos toti Curiæ Romanæ impoſuiſſe, quemadmodùm cum Aula Madritenſi à nobis factum, ſunt calumniati. Nemo eſt autem adeò bardi, ſtolidique ingenii, nec tam illiberaliter à natura habitus, quin facilè agnoſcat, rem eſſe ridiculam, ſi aſſeratur, pauperes quoſdam, & Diſcalceatos Religioſos, ad tantam aſcendiſſe potentiam, ut contra ipſam veritatem (ità enim adverſarii noſtri loquuntur) efficere potuerint, quod voluerunt.

Diſcuſſa itáque, & diſſipata tandem fuit etiam hæc atrox tempeſtas, ad quam pellendam præter alia argumenta, quæ adduci potuiſſent, hæc tria ſatis erant. Ex parte ſiquidem noſtra *reſponſum* fuit primò: Quòd depoſitum ſub iiſdem conditionibus repeti debeat, & eadem forma, quâ alteri concreditum fuit: Cùm verò S. Corpus à Nuncio Apoſtolico in Conventu noſtro Madritenſi ***motu proprio*** depoſitum fuerit, evadit conſectaneum, ut & ***motu proprio*** repeti debeat, non verò ad inſtantiam, & inſtigationem alterius, quemadmodùm Dominus Nuncius tunc fecit. Secundò: Quia hac ratione Religio noſtra in detrimentum ſuæ exiſtimationis in duobus tribunalibus exagitaretur; quandoquidem hæc eadem cauſa illo tempore Romæ ventilabatur, & à deciſione Summi Pontificis pendebat. Tertiò: Quia per remotionem hujus Depoſiti magìs invaluiſſet rumor de nobis ſparſus, quô ferebamur in ejus cuſtodia debitam fidelitatem non ſervâſſe: cùm tamen effectus poſteà probaverit, quanta integritate, ac fide in ejus cuſtodia verſati ſimus. Cùm itaque honor noſter tam infeſtè ſauciaretur, opus erat, ut totìs viribus ex adverſo nos opponeremus.

Ut autem cunctis pateat, quô fundamentô nos repetundarum poſtulaverint, & tamquàm violatores S. arcæ in judicium vocaverint, libet illud in medium adducere. In Proceſſu juridico ſuper hoc negotio formato, exhibitum fuit à nobis apographum illius Diplomatis, quô Nuncius Apoſtolicus S. Corpus noſtræ quondàm fidei concredidit. Ex hoc inferebant, arcam à nobis apertam fuiſſe, ut dictum Diploma inde depromeremus. Quæro nunc: poſſétne ho-

homo aliquis mediocris etiam intellectûs inveniri, qui ſibi perſuadeat, ſcripturam, quâ mihi arca quædam clauſa, & ſigillis munita traditur, ipſi arcæ obſeratæ incluſam eſſe debere? Nemo ſanè prudens tantam inſaniam inſaniet, ut iſtud affirmet; quodſi enim ſcriptura incluſa fuerit, quô pactô depoſitum à me repetetur, aut qua fronte ſinè illa ego depoſitum aliquod reciperem. Neceſsè eſt igitur, ut mihi ſcriptura tradatur, & à me viciſſim ſcriptum quoddam petatur, in quo tota Depoſiti ſpecies contineatur, ut quandocunque libuerit, rurſus à me tolli poſſit. Hoc ſanè prolixiori confirmatione opus non habet, cùm ex ſe ſatìs clareat. Dimiſſa proinde hac cavillatione ad reliqua, quæ mihi narranda ſuperſunt, progredior.

# CAPUT V.

## *Evincit tandem mea S. Religio Declarationem identitatis Sacri Corporis: Perfertur hujus rei notitia in Hiſpaniam, & inſtituitur juridica recognitio arcæ.*

TOt, tantæque contradictiones, quæ per decurſum ſexaginta ſex annorum contra declarationem identitatis S. Corporis emerſerant, nihil aliud fuerunt, nisì nova quædam incentiva, quibûs pia S. Religionis noſtræ deſideria magis etiam inflammabantur, omnibûs firmiſſimè perſuaſis, Divinam Majeſtatem juſtiſſimæ huic cauſæ patrocinaturam, cui mundus adeò perfractè adverſabatur, ut tandem reapſe contigit annô 1721., die ſexta Septembris, quâ S. mea Religio Feſtum ſui Angeli Cuſtodis celebrat.

Hac die feliciſſima convenerunt in S. Rituum Congregatione duodecim Cardinales, præſidente Eminentiſſimo Paulucio; cúmque de medio ſublata jam eſſet difficultas, quæ deſideratum hujus negotii ſucceſſum binis vicibûs ſufflaminaverat (nefas ſiquidem fuiſſet illud punire, quod perpetratum non fuit) inſpectis omnibûs, & perpenſis in utramque partem argumentis, ad extremum conſonis ſuffragiis Purpuratorum Patrum decretum fuit, Corpus, quod in meo Conventu Madritenſi ſub forma depoſiti aſſervatur, eſſe verum Corpus S. JOANNIS de Matha, atque adeò publicæ venerationi exponi poſſe. Hanc declarationem Eminentiſſimi Collegii ſuô etiam ſuffragiô ratam habuit, & comprobavit Summum Eccleſiæ caput, li-

teris in hunc finem, pontificiô ſigillô munitis, die decima ſexta ejusdem menſis, & anni expeditis: Quamvìs autem eo tempore non defuerit ſæcularis Procurator, qui huic declarationi interceſſit, eámque ſuo effectu fruſtrare voluit, non fuit tamen admiſſus, ùt ex ſententia conſtat. Decretum verò, quô identitas S. Corporis aſſerta eſt, ità ſonat.

# DECRETUM

## *Hiſpaniarum identitatis Corporis S. JOANNIS de Matha, Fundatoris Ordinis SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum.*

„ SUblatô annô 1655. ab Eccleſia S. Thomæ de Formis, Baſilicæ „ Vaticanæ ſubjecta, & in qua per plura ſæcula marmoreo in„ cluſum ſepulchro jacuerat, Corpore S. JOANNIS de Matha, Or„ dinis SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum Fundatoris, „ eóque à duobus Fratribus Calceatis ejusdem Ordinis Madritum „ delatô, confectisque non multò pòſt binis Proceſſibûs, Romano „ uno ſuper deficientia S. Corporis, ejúsque furtiva in Hiſpanos „ aſportatione, Madritenſi alterô à Tribunali Nunciaturæ ſuper il„ lius identitate, factáque pluries ejusdem à Nunciis tunc tempo„ ris Apoſtolicis clariſſimæ memoriæ Camillo de Maximis, poſteà S. „ R. E. Cardinali, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino „ Cardinali Mareſcoto recognitione; cùm Fratres Trinitarii Excalcea„ ti, quibûs interim à Cl. mem. Cardinali Duratio, Nuncio etiam „ Apoſtolico ſacrorum oſſium cuſtodia concredita fuerat, tam ab „ anno milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimò nonò, quam annô mil„ leſimô, ſeptingenteſimô, decimô quintô, pro declaratione Identi„ tatis Corporis apud S. Rituum Congregationem inſtitiſſent, ne„ gativum prodiit reſponſum, non conſtare videlicet de identitate. „ Verùm cùm à ſac. mem. Clemente PP. XI. indultum fuerit, ut ite„ rum hac de re in eadem Sacra Congregatione ageretur, idémque „ Pontifex in locum clar. mem. Cardinalis Caſini Relatoris, nuper „ defuncti, Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem „ Albanum ſubrogaverit, eo ab urbe abſente, Eminentiſſimus, & „ Reverendiſſimus D. Cardinalis Paulutius, inſtante P. Fr. Michaële „ à S. Joſepho, Fratrum Excalceatorum ejusdem Ordinis Procura-

„ tore

Digitized by Google

„ tore Generali, dubium prædictum ſuper identitate Corporis no-
„ mine ejusdem Eminentiſſimi Cardinalis Albani in Sac. Rituum
„ Congregatione propoſuit: Sacra verò eadem Congregatio, RR.
„ D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore tam in ſcriptis,
„ quàm in voce audito, juribúsque denuò deductis exactiùs, ac ma-
„ turiùs examinatis, atque perpensis, reſcribendum cenſuit:
„ *Prævio receſſu à deciſis conſtare ex ſufficientibus probatio-*
„ *nibus ad effectum, ut Corpus S. JOANNIS de Matha pu-*
„ *blicæ venerationi exponi poſſit.* Die 6. *Septembris* 1721.

*Facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro* INNOCENTIO XIII. *relatione, ſanctitas ſua benignè annuit, ac ſententiam Sacræ Congregationis approbavit.* Die 16. *ejusdem Menſis, & anni* 1721.

F. Card. Paulutius Præf.

Locô ✠ Sigilli

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus S. Rit. Congr. Secret.

Felix iſte, fauſtúsque nuncius ùt primùm delatus eſt ad notitiam noſtri Reverendiſſimi P. F. Alexandri à Conceptione, Miniſtri Generalis totius noſtræ Excalceatæ Familiæ, cujus induſtriæ, zelo, vigilantiæ, labori, & immenſis expenſis debet Religio, Hiſpania, & hæc urbs regia poſſeſſionem tanti theſauri, eodem zelô impulſus illicò decrevit, ut in toto Ordine rei tantæ conſecutio ritu ſolemniſſimo celebraretur. Feſtis iſtis dedit principium Conventus noſter Madritenſis, tamquàm poſſeſſor hujus pretioſi Depoſiti, S. nimirùm Corporis: ut autem fidelitas noſtra in ejus cuſtodia magìs inclareſceret, ſimúlque improba illa fama dilueretur, quâ ferebamur arcam perfregiſſe, ſtatuit N. P. Generalis Illuſtriſſimum Dominum Don Alexandrum Aldobrandini, ſuæ Sanctitatis ad Aulam Hiſpaniæ Nuncium Apoſtolicum, invitare (quamvìs hoc in virtute Bullæ expeditæ neceſſarium non fuerit, utpote quæ abſolutè nobis ipſis totum commiſit absque remiſſione ad aliquem Prælatum) ut in ejus præſentia nova recognitio arcæ, in qua Sacræ Reliquiæ aſſervabantur,



Digitized by Google

tur, juridicè inſtitueretur. Atque hic fuit quaſi primus paſſus ad cultum, & publicam S. Corporis venerationem.

Hæc recognitio rejecta fuit ad diem 17. Novembris ejuſdem anni, cúmque in recognitione hujus arcæ, ab Eminentiſſimo Cardinali Mareſcoti facta, teſtes ſæculares concurrerint, placuit S. Religioni noſtræ, ut tales etiam in præſenti occaſione adhiberentur, licèt arca non eſſet aperienda, ſed ejus duntaxat qualitas, & ſigillorum integritas exploranda, ut oſtenderetur, eam prorsùs in tali ſtatu perſeverare, in quo nobis commendata fuerat. Accerſiti ſunt itaque ad hunc actum ſolemnem Excellentiſſimus Dominus Dux Medinæ Cœli, Dux Mirandulæ; Princeps de Pio Pro-Rex, & Gubernator Generalis Principatûs Cataloniæ, Dux de Infantado, Dux de Arcos, & Marcheſius de Cogolludo.

Horâ quartâ veſpertinâ Nuncius Apoſtolicus ad nos pervenit, qui tunc prima vice in publicum prodivit poſt ſolemnem ſuum in urbem Madritenſem ingreſſum. Exceptus fuit à noſtra Communitate Religioſa omnibûs illis honorum indiciis, quæ noſtrum Cæremoniale tali perſonæ recipiendæ præſcribit. Quô factô N. P. Generalis cum ſuo Secretario, P. F. Emmanuele à S. Michaële, ad Oratorium conceſſerunt, in quo S. hic theſaurus aſſervabatur, quos teſtium locò ex parte Religionis ſunt comitati P. F. Thomas à Virgine Magiſter Novitiorum, & P. Prædicator, Fr. Petrus à S. Michaële, in quorum præſentia major arca aperta fuit, & ex hac arca minor deprompta, quæ pretioſas has reliquias in ſuo gremio fovebat. Hanc in ſuas manus acceperunt Excellentiſſimi Domini Duces de Medina Cœli, & Arcos, ſtipati grandi facigerorum turbâ, eamque in abaco quodam, viſendi operis peripetaſmate inſtrato, depoſuerunt.

Recitatæ ſunt deinde clara voce omnes ſcripturæ, quæ de traditione, & receptione hujus Depoſiti utrinque exaratæ fuerunt, in quibus ſingulæ circumſtantiæ quàm accuratiſſimè expreſſæ habebantur. His perlectis Illuſtriſſimus Dominus Nuncius cum ſuis miniſtris ſolicitè dimenſus eſt arcam, ad normam in ſcripturis explicatam, juſſit deinde à perſonis ſenibus ſuæ Nunciaturæ, in hunc finem adductis (inter quas, quod pro miraculo reputabatur, inventa eſt una, quæ ab obſequiis ipſius Domini Mareſcoti quondam fuerat) ſigilla ſolerter inſpici, cúmque omnia ſalva, & arcæ deſcriptioni conformia reperta fuiſſent, Illuſtriſſimus Dominus declaravit, hanc arcam eſſe eandem cum illa, quæ tradita fuerat, atque adeò

in

Digitized by Google

in ea revera aſſervari Depoſitum ſacrarum Reliquiarum, ùt clariùs conſtat ex verbis inſtrumenti à Nuncio Apoſtolico ſuper hoc negotio expediti, in quo ſequentia habentur.

[ Declarat, & declaravit, inventam fuiſſe arcam ligneam, in qua aſſervantur oſſa Sancti Fundatoris JOANNIS de Matha, integram, clauſam, & abſque omni vitio aut ſuſpicione exiguæ etiam aperturæ, & dictum Patrem Generalem, ac Definitorium Generale debita fidelitate hoc Depoſitum cuſtodiviſſe .... Et conformiter citato Decreto S. Rituum Congregationis poſſunt dictus Pater Generalis, & Definitorium Generale præſentibûs, & futuris temporibûs publico cultui, venerationique Fidelium exponere dictas Reliquias S. Fundatoris JOANNIS de Matha tam in dicto Oratorio, quàm in Eccleſia ejusdem Conventûs. ]

# CAPUT VI.

*Publicatur Decretum, & ordinatur apparatus pro ſolemnibus Feſtis celebrandis.*

LOngum jam nobis, nimisque prolixum videbatur (adeò verum eſt, quod quidam ait: *Etiam celeritas in deſiderio mora eſt*) tempus, quô ſacræ Reliquiæ publicæ venerationi exponi debebant, adeò inhianter ſolemnem earum cultum appetabamus. Concluſum proinde fuit, ut in Feſto S. P. N. FELICIS Valeſii, quod ſolò duarum dierum intergeriô diſpeſcebatur, Decretum publicaretur, ac deinde die vigeſima prima ejusdem menſis publicæ earum venerationi initium daretur; cùm enim Sanctiſſimi hi Patriarchæ, tam in vita, quàm in morte adeò conjuncti fuerint, ut eos ſupremum Eccleſiæ caput in Divino officio univerit, congruum eſſe judicabatur, ut eorum ſolemnes honores una, eadémque die celebrarentur, quatenùs hôc pactô ambo mutuæ gloriæ, cultúsque participes efficerentur.

Die itaque decima nona Novembris, quæ eô annô in Mercurium inciderat, Reverendiſſimus N. P. Generalis noſtris Catholicis Monarchis intimavit, ſacras Reliquias publica veneratione donatas fuiſſe. Incredibile dictu eſt, quàm gratanter ambæ Majeſtates Catholicæ tam felicem, deſideratúmque nuntium acceperint, præcipuè cùm & ipſæ ſuis regiis epiſtolis, quas frequentiùs exaraverant, ad

ad hunc effectum obtinendum plurimùm contulerint. Idem etiam ſignificatum fuit Archiepiſcopo Toletano, Inquiſitori Generali, Præſidenti Caſtellæ, Urbis Madritenſis Gubernatori (corregitorem vulgò nominant) aliisque perſonis ab authoritate, & affectu erga S. noſtram Religionem ſpectabilibus.

Illuxit denique dies vigeſima Novembris, quâ conſuetâ pompâ celebratum fuit feſtum S. P. N. FELICIS Valeſii, quin huic ſolemnitati particulare quidpiam, & à more aliorum annorum diverſum ſuperadditum fuiſſet. Sed *quid non audet animus integer, & generoſus!* Breviſſimô illô temporis ſpatiô, quod à duodecima, usque ad horam tertiam à meridie intercedit, tota Eccleſia obducta fuit pretioſiſſimis tapetibûs, laquearia ſpeculis, & argenteis clypeis coronata, quæ flores bombycini, in faſces colligati, mira amœnitate ſecernebant, & altare majus, ùt cætera ejus decora hìc non attingam, magnificentiſſimâ quâdam architecturâ exornatum, quæ argenti nitore, & bombycinorum faſcium variegata pulchritudine intuentium oculos in ſui admirationem rapiebat. Sub hac ſtructura eminebat elegans quædam, & ad artis amuſſim, oculorúmque invidiam elaborata umbella (Baldachinum vocant) quæ tegebat tam pretioſi, & exquiſiti operis arcum triumphalem, ut, licèt tota ejus moles ex argento, ſericeisque floribus conſtaret, arte tamen cum materia de præſtantia certante, dubium reliquerit, an ob immmenſam vim argenti, an verò ob ſingularem artificis dexteritatem, quæ in concinna, aptiſſimáque rerum omnium diſpoſitione mirificè relucebat, magis ſuſpici deberet.

Ut primùm horologium duodecimam promulgavit, illicò progreſſus Superior, Pluviali, ùt vocant, reveſtitus, cœpit hymnum Ambroſianum: *Te DEUM Laudamus*, ſonora voce intonare, quem nobiliſſimorum phonaſcorum turba (eam autem dico, quæ Madriti regio Conventui Excalceatarum Monialium S. Claræ famulatur, & ex regio ærario annuum habet ſalarium) conſertiſſimo muſicorum inſtrumentorum apparatu ad calcem usque decantavit. Et ô rem miram! in hoc ipſo temporis puncto omnes ſimul campanæ inſonuerunt, quotquot in hac regia urbe numerantur, quin vel unica fuiſſet, quæ feſtivum ſuum tinnitum communi lætitiæ ſubtraxiſſet, aut noſtris campanis, quæ in hac occaſione communem morem prætergreſſæ pro exultationis magnitudine ſuum volatum metiebantur, ſoni ſocietatem denegâſſet. Inſignem hunc honorem

in

Digitized by Google

in acceptis referimus Illuſtriſſimo Domino Don Didaco de Aſtorga, Archiepiſcopo Toletano, qui peculiari quodam decretô omnibus Parochiis, & Conventibus Religioſorum, ejus juriſdictioni ſubjectorum, id mandavit, cæteri verò Conventus Religioſi, Hoſpitalia, & Eremitoria id noſtris precibus præſtiterunt, quin hoc officium Conventus aliquis, quantumvìs remotus, qualis eſt PP. Hieronymitanorum, & PP. Dominicanorum de Atocha recuſaret. Campanas aſſociabant omnia horologia, quæ pro recepta Hiſpanorum conſuetudine in publicis lætitiæ ſignis laxantur, ut irremiſſo pulſu ſuo campanarum ſonitum augeant, idque factum fuit ad imperium Domini Don Franciſci Antonii de Salcedo, Marchionis de Vadillo, & ſupremi urbis Madritenſis Gubernatoris, quódque caput eſt, & præcipuum inſolitæ Devotionis argumentum, ipſa regina, domina noſtra, horologium ſui palatii pro amplificatione communis applausûs laxari præcepit.

Tam feſtiva campanarum omnium, & horologiorum jubila promovebant duo millia pyrobolorum, qui eodem tempore â ſex officialibus in ſublime excuſſi fuerant, ut in aëra elati micantibûs ſuîs lacrymis typum agerent illarum, quas Religioſi præ gaudio, & lætitia effundebant. In hiſce publicæ exultationis demonſtrationibus cæteris palmam præripuerunt Excalceatæ noſtri Ordinis Moniales, quæ per ſingulas ſui Parthenonis feneſtras totum propè ſcintillarum, artificioſorúmque ignium diluvium effuderunt, communi lætitiâ clauſtrali rigori nonnihil indulgente, quæ etiam gaudiorum indicia ab illis per reliquos harum feſtivitatum dies continuata fuerunt. Eodem tempore tota aula commota, citrà ullam diſtinctionem ſtatûs, aut ſexûs ad noſtrum conventum adeò densè convolavit, ut nimia accurrentis populi multitudo artificum manus, in ornatu altaris, & Eccleſiæ etiamnum occupatas, ſufflaminaverit, eorúmque celeritatem, quâ cœptum laborem moliebantur, plurimùm retardaverit, ut proinde ſacrum Corpus non priùs ſuo throno imponi potuerit, quàm ſecundâ poſt crepuſculum horâ.

Cæterùm, ſi quid meæ tribuitur ſententiæ, ipſa quoque hæc artificum retardatio ex peculiari Divinæ Providentiæ diſpoſitione orta fuit, ut nimirùm ſolemnis S. Corporis expoſitio eo potiſſimùm tempore perageretur, quô urbs tota feſtivo tympanorum, tubarúmque clangore perſtrepebat, aër, multorum millium pyrobolorum ſplendore illuſtratus, gratiſſimè refulgebat, & campanæ omnium turrium læto mugitu reſonabant, quæ præludia quædam erant craſtinæ feſtivitatis. In hoc tempus incidit publica S. Corporis expoſitio,

 cui

Digitized by Google

cui hæc univerſa communis lætitiæ argumenta famulari voluiſſe videbantur. Hoc autem repoſitum fuit ſub prædicto arcu triumphali, pretioſæ cuidam arcæ incluſum, cui nec ipſa temporis brevitas tollere potuit, quin Excellentiſſima Domina Dux de Medina Cœli, eam quàm plurimis immenſi pretii unionibûs ad oculorum irritamenta, & ſtuporem exornaret, qui accedente candelarum fulgore tantum ſplendorem evibrabant, ut multos perſtringerent, plures amœniſſimô, quod de ſe præbebant, ſpectaculô exhilararent, plurimos denique ad devotionem permoverent.

# CAPUT VII.

## *Solemnitas prima diei ob declaratam identitatem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha celebrata.*

INgruente tandem die vigeſima prima Novembris aurora roſeum caput ſuum lætiùs extulit, tamquàm geſtiret ſpectaculo feſtorum, nunquam adhuc Madriti viſorum, ornatior intereſſe. Celebratio primæ hujus ſolemnitatis de jure pertinebat ad Reverendiſſimum noſtrum Patrem Generalem, cujus ſtudiô, curâ, & impensis factum fuit, ut S. Corpus publicum cultum, & venerationem debitam rursùs recuperaverit: conſectaneum proinde erat, ut & ipſe quoque primas ſibi partes in celebratione harum feſtivitatum vendicaret.

Jucundiſſimum taratantara, quod paſſim ab exortu auroræ in ſocietate ad muſicas regulas exactiſſimæ ſymphoniæ reclangebat, corda omnia ad noſtrorum gaudiorum communionem provocabat, & ad templum alliciebat, quamquàm id protinùs nobis parvum, & anguſtum evaſerat. Sed quale tantæ multitudini capiendæ par eſſe potuiſſet, totâ aulâ ad Devotionem permotâ, & hominibûs ex omni parte confertim affluentibus. Ubi tempus adveniſſet incruentum ſacrificium immolandi, R. P. F. Joannes à S. MARIA hujus Conventûs Madritenſis p. t. Miniſter ad aras operatus eſt, quem exquiſitiſſima muſica ſupradictarum Excalceatarum Monialium S. Claræ cantillando adjuvabat, ſecundiſſimis omnium auribûs audita. Finitâ epiſtolâ decantatum fuit poëma quoddam elegantiſſimum, verſibûs hiſpanicis compoſitum, quod tamen, cùm æquali venuſtate in latina carmina verti nequeat, conſultò prætermittimus, nè ejus dignitati quidquam decedat.

Uni-

Digitized by Google

Finitâ muſicâ, & decantatô ſolemniter Evangeliô venit hora mihi valde terribilis; erat enim hora Concionis: Mandatum autem mihi fuerat, ut ego hac die ex ſuperiore loco verba facerem, nec ſubterfugi hanc provinciam, firmiter perſuaſus, mihi ab ardentiſſimo, quo in S. Patriarcham noſtrum ferebar, affectu vires ſuffectum iri, quas imperitia denegabat. Libet ſpecimen illius ſermonis in medium producere, ut cognoſcatur, mihi plùs devotionis, quàm eruditionis adfuiſſe.

# CONCIO PRIMA,

*Quam in declaratione Identitatis Corporis S. P. N.*

# JOANNIS DE MATHA

Habuit

P. Fr. Lucas à Purificatione, Prædicator, & Scriptor Generalis.

## THEMA.

Qui autem perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit &c. *Matth. cap.* 10.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

Prævio receſſu à deciſis conſtat ex ſufficientibus probationibus . . . ut Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit. *Ex Decreto Identitatis.*

SI unquam aliàs humana ratio, Majeſtate objecti oppreſſa, non niſi timidè & cunctanter ad ejus proceſſit elogia: *Scrutator Majeſtatis opprimitur à gloria.* Proverb. 25 Si unquam aliàs diſertiſſima etiam lingua ad orationis aleam juſtè trepidare potuit: Si unquam aliàs facundiſſimos encomiaſtes ad tuta ſilentii clauſtra confu-

D. Hieron. in Pſal. 64. gere decuit: *Te decet ſilentium in Sion*: Si unquam aliàs ſtupor, admiratione rei inſolitæ defixus, & novitate rerum, communes naturæ regulas prætergreſſarum, excitatus ſe juſtè prodere potuit: D. Thom. 3 p. q. 5. art. 8. *Admiratio eſt novi, & inſoliti*: Denique ſi unquam aliàs intellectus, magnitudinem cujusdam affectûs exprimere volens, coactus eſt aliqualiter delirare, id ſanè hodierna die evenire debet, quâ Majeſtas tam objecti, quàm concurrentium circumſtantiarum, communes limites excedentium, ex juſtitia propè depoſcit non tantùm timores, ſilentium, & admirationem, verùm etiam delirium. Loquatur ſcriptura.

Diviniſſimus Redemptor mundi, Dominus, & Magiſter noſter amoris magnitudine confectus exſpiravit. Ponderoſus ſepulchri Marc. 15. lapis ſacratiſſimas ejus reliquias oculis humanis abſcondit: *Poſuerunt eum in monumento.* Iacog. in Pſ. tom. 2. f. 169. Sed *Cùm amor nunquam otioſus eſſe poſſit, nunquámque vacare.* Divini amoris facibûs ſuccenſa Magdalena efflictim concupivit ſacratiſſimis illis Reliquiis ultima Marc. 16. juſta perſolvere, eásque pretioſiſſimîs unguentîs perfundere: *Ut venientes ungerent JESUM.* Sed ô lugubrem doloris ſegetem! Vidit quidem illa concham, unionem tamen non vidit. Vidit ſepulchrum, ſacratiſſimum tamen illud corpus, quod exquirebat, non vidit. Hinc effudit totum lacrymarum diluvium: *Foris plorans.* Hinc tam vehemens ortus eſt dolor, quàm poſt deſideratam inventionem hujus adorandi Corporis ejus gaudium fuit. Quàm magnum autem illud fuerit, vel inde liquet, quòd prudentibus viſa ſit delirare: Luc. 24. v. 11. *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta.* Nemo tamen miretur; nam cùm hæc carnea Seraphina tantô flagraret deſideriô cor ſuum officioſa unctione Dilecto ſuo conſecrandi, ineffabili dolore cruciata fuit, cùm vota ſua fruſtrata ingemuiſſet.

Sed ô beatam rerum viciſſitudinem! non diu comperendinatum fuit tempus, quô Diviniſſimus Redemptor noſter publica veneratione honorari voluit, ſibique plauſibiles quosvis cultus de-Gueneaſ. in Joan. c. 20. ferri permiſit in templo amantium cordium: *Ad templum novum cordis ſui.* Quid nunc putatis AA., Magdalenam tantô gaudiô delibutam dixiſſe? Unicum duntaxat verbulum protulit: *Rabboni.* Quis id crediſſet de perſona tantô amoris incendiô flammida? In quod ergò tempus diſtulit encomia ſuo Dilecto perſolvenda? In quod panegyrim? In quod facundam Orationem? Audiatur Scho-

larum

larum angelus, qui pro hac Seraphina ità reſpondet: *Præ gaudio nihil excogitabat* Quaſi diceret: Gaudium iſtud, quo cor Magdalenæ efferbuit, fuit adeò magnum, & immenſum, ut ei integrum non permanſerit, aut labia ſaltèm diducere, quibûs ſuo Dilecto encomia texeret: Ut proinde, quando Magdalena ſe deſideriorum ſuorum compotem vidit, & quando gaudia ejus ad illum gradum aſcenderunt, quem dolor ejus priùs obtinuerat, ei verba defecerint, ejus admiratio in amore ſubſtiterit, imò & actiones ejus omnes deliria viſa fuerint: *Præ gaudio nihil excogitabat, & ſicut deliramentum viſa ſunt verba iſta.* D Th in cat. aur. c. 20 Joan.

Sanctiſſimus Pater, & Patriarcha meus JOANNES de Matha, primus Redemptor Captivorum mortalem vitam ſuam felici cataſtrophe Romæ terminavit annô milleſimô, ducenteſimô, decimô tertiô, cujus exequias Summus Pontifex Innocentius III. cum toto Purpuratorum Patrum collegio ſuâ præſentiâ cohoneſtavit, ſacrúmque corpus ejus propriis manibûs ſepulturæ mandavit. In hac urbe conſervatus fuit theſaurus iſte per quatuor, & quod excedit, ſæcula, donec quorundam ſuccenſa devotio, ut tantis reliquiis propiùs fruerentur, ſacrum corpus ex priori ſepulchro ſuſtuliſſet, & tam pretioſam margaritam Hiſpaniæ intuliſſet, quod quidem factum fuit circa annum milleſimum, ſexcenteſimum, quinquageſimum quintum: cùm autem cultus, quem res adeò pretioſa merebatur, ei impendi non poſſet ſinè prævio aſſenſu Supremi Eccleſiæ capitis, & comprobata ejuſdem corporis identitate, dilata fuêre deſideria noſtra totis ſexaginta ſex annis, quo tempore illud quidem ante oculos noſtros in Hiſpania habuimus, debitis tamen honoribûs id venerari non potuimus. Judicate nunc AA. quantus intereà fuerit dolor noſter, illi planè perſimilis, quem Beatiſſima Maria Magdalena in Seraphico ſuo corde perſenſit, quando ſepulchrum quidem vidit, ſed dilecto ſuo deſtinatum unctionis honorem exhibere non potuit. Annal. Ord. apud Baron. Ex Ponenda ad Declarat. Identitat.

Non fuit tamen hæc perpetua calamitas, ſed quemadmodùm poſt nubila phœbus promicat, ità poſt tantos dolores deſiderata felicitas noſtris deſideriis gratiſſimè riſit; Sanctiſſimus enim Pontifex Innocentius XIII. confirmavit ſententiam Eminentiſſimorum Cardinalium, ſuóque oraculô declaravit, illud demùm eſſe verum corpus mei glorioſi Patriarchæ S. JOANNIS de Matha, quod in hoc Conventu Madritenſi ſub forma depoſiti aſſervatur, atque adeò ei jure debitam venerationem in altaribus exhibendam eſſe: *Conſtare ex*



Digitized by Google

*ſufficientibus probationibus ad effectum, ut Corpus S. JOANNIS de Matba publicæ venerationi exponi poſſit.* Neminem proinde mirum teneat, quòd hodie gaudia noſtra conſuetos limites transgrediantur; nimia ſiquidem eorum copia facit, ut à communi ſtylo exorbitare cogamur: *Præ gaudio nihil excogitabat.*

Atque hæc eſt cauſa, cur mea S. Religio hanc ſolemnem feſtivitatem adornaverit, & ad illam ritè celebrandam tantam ex omni ſtatu, & ſexu hominum multitudinem congregaverit, ut nimirùm plures eſſent, qui nos juvarent, debitas Divinæ Pietati pro tam ſingulari beneficio gratias perſolvere; quodſi enim mulier illa, cujus meminit S. Lucas in ſuo Evangelio, ob inventum pretioſum pignus, quod ei tempus aliquando abſconderat, tantis gaudiis inceſſerit, ut omnes amicas in ſuam domum accerſierit, rata, gaudium ſuum plenum non fore, nisì parili exultationis affectu ab omnibus amicis ſuis celebraretur: *Convocat amicas . . . Congratulamini mihi.* Luc. cap. 15. Multò minùs mea Excalceata Familia Trinitaria ſuo affectui ſatis litatum eſſe putaret, nisì tam nobilem, & inſignem concionem aggregaret, ut confœderata plurimorum devotione hæc feſtiva celebritas plenum ſuum ſortiretur ſplendorem. Omnia hæc cumulatiùs nobis oſtendet inſignis quidam Sacræ Scripturæ Textus.

Famigeratiſſimus ille gentis hebrææ Archiſtrategus, Joſue, omnes aliquando Tribus, & familias populi Iſraëlitici ad celebrem quandam feſtivitatem convocaverat, cui etiam promptis animis adfuit, quidquid in illa natione erat nobile, illuſtre, & religioſum: Joan. c. 24. *Congregavit Joſue omnes Tribus Iſraël in Sichem, & vocavit majores natu, ac principes, ac judices, & magiſtros.* Omnes gaudiô offertiſſimi Sichimam convolârunt, quem locum Joſue deſignaverat, ut in eo Divinæ Majeſtati peculiares gratiæ pro quodam beneficio exſolverentur: *Steterunt in conſpectu Domini.* Diſcutiamus imprimìs, quis fuerit locus ille, Sichem dictus? Sacer Textus clariſſima ejus nobis proponit indicia, utpote, qui diſertè affirmat, eum ſitum fuiſſe ſubter quercum quandam, quæ in Sanctuario Domini ſtabat: *Subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* Si docto Serario fides eſt, hæc quercus fuit illa prorsùs, ſub qua Abraham ineffabile SSS. TRINITATIS Myſterium veneratus fuit. Cornelius à Lapide addit, vitulum in illo convivio

-vio figuram fuiſſe JESU Captivi. Omnia hæc ſigna huic templo Trinitario apprimè congruunt, in quo colitur JESUS captivus, & redemptus, ut videatur ad noſtrum propoſitum caſus iſte factus fuiſſe. Oſtendamus hoc clariùs ex fine illius celeberrimi Conventûs, qui non fuit alius, ùt ſacra pagina teſtatur, quàm oſſa Joſephi, primi Redemptoris, & Salvatoris Ægypti meritis honoribûs mactare: *Oſſa Joſeph, quæ tulerunt filii Iſraël de Ægypto, ſepelierunt in Sichem.*

Operæ pretium autem fuerit translationem oſſium Joſephi accuratiùs deſcribere. Sepulta hæc quondam ſunt in Ægypto, quæ poſt decurſum aliquot ſæculorum Redemptor Moyſes in terram promiſſionis ſecum aſportare decrevit. Ægyptus, ùt ſcholaſtica hiſtoria refert, exundantis Nili fluctibûs eo tempore fermè ſubmerſa jacebat. Ut itaque Moyſes ſepulchrum Joſephi detegeret, nomen SSS. TRINITATIS aureæ cuidam laminæ inſculpſit, eámque in aquam projecit, quæ rectâ viâ, non tamen citra miraculum, ad locum illum natavit, in quo oſſa Joſephi recondita aſſervabantur: *Scripſit nomen DEI Tetragramaton in lamina aurea: illa autem mox enatavit ad loculum Joſeph, eúmque detexit.* Ut proinde hoc corpus aliter inveniri non potuerit, nisì per quoddam ſymbolum SSS. TRINITATIS.

Bayerſink.

Cornel. in Exod. c. 13, v. 19.

Nunc mihi in mentem venit peculiaris quædam obſervatio, cujus adminiculô propoſitum meum mirificè illuſtrabitur. Oſſa Joſephi quadraginta annís debita veneratione caruerunt; tot ſiquidem annis populus Iſraëliticus deſertum peragravit: Joſue autem in chronologia Barradæ, & Bellarmini totís viginti ſex annís imperium Hebræorum adminiſtravit, antequàm Joſephi oſſa ritu ſolemni tumulâſſet. Quodsì nunc autem iſtos viginti ſex annos aliis illis quadraginta, in deſerto exactis, adjunxerimus, eosdem prorsùs ſexaginta ſex annos noſtræ hiſtoriæ in manu habebimus; cùm enim ſacrum hoc Corpus annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô quintô ſurreptum fuerit, & annô milleſimô, ſeptingenteſimô, vigeſimô primô in publicam venerationem prodierit, evadit conſectaneum, illud quoque ſexaginta ſex annîs debito cultu deſtitutum fuiſſe, ùt vel in digitis numeranti patebit.

Apud Corn. in Prolegom. fol. 3.

Convocet igitur mea S. Religio Principes, nobiles, & omnem populum: *Vocavit majores natu, ac Principes, & Judices, ac Magiſtros,* ut in eorum ſocietate Divinæ Majeſtati, quæ nobis tan-

Digitized by Google

tantam felicitatem in his temporibus conceſſit, cumulatiores gratias rependat. In illa ſolemnitate, quam Joſue celebravit, adfuit pro majori ejus ſplendore, myſtica arca DEI: *Coràm arca, quæ erat, quaſi ſcabellum DEI.* Adeſt proinde etiam hodiè, nè præſens feſtivitas priori quidquam concedat, arca illius alti, Divini, Auguſti, & admirabilis Sacramenti; quando enim celebratur corpus unius Redemptoris, fieri non poteſt, ut deſit pretioſiſſimum Corpus Redemptoris mundi. His accedit particularis quædam circumſtantia, quæ totam celebritatem noſtram coronat; hodiè ſiquidem candidiſſimum Virginitatis lilium, digniſſima DEI genitrix MARIA, eburneis ſuîs pedibûs templum ingreditur: (*) hodiè itaque aptiſſimum tempus eſt, ut etiam corpus mei Sanct. Patriarchæ pro ſuo majori cultu, & veneratione templum ingrediatur; nam ſi roſea gratiarum aurora, MARIA, templum ſubeat, ſpe minimè dubia ejus mihi patrocinium polliceri valeo, ſi illud efflagitavero per unum AVE MARIA.

Cornel. ubi ſup.

(*) Erat dies Præſentationis.

# THEMA.

Qui autem perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit. *Matth. cap.* 10.

Prævio receſſu à deciſis conſtare ex ſufficientibus probationibus, ad effectum, ut Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit. *Ex Decret. Identitat.*

# INTRODUCTIO.

IN hodierno Evangelio Diviniſſimus Redemptor noſter totam attentionem noſtram ad ſingulare quid intuendum provocat: *Ecce! invitat nos ad intuendum aliquid novum, & mirabile.* Tota ſeries hodierni Evangelii eſt exactiſſima quædam effigies noſtri illuſtriſſimi Sancti. Quid igitur? Forſitan S. Scriptura innuere voluit, S. P. N. JOANNEM de Matha in hunc mundum veniſſe ad inſtar ovis ob exquiſitam ejus humilitatem, aut ad inſtar ſerpentis ob conſummatam ejus prudentiam, aut ad inſtar columbæ ob admirabilem ejus ſimplicitatem: *Sicut oves in medio luporum....ſicut*

Hugo Card. in Evang. hic fol. 133. r.

*ſer-*

*ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Equidem hæc omnia Sanctiſſimo Patriarchæ noſtro majorem in modum congruunt, nova tamen non ſunt; hæc enim ſingulis annis ex hoc ambone proponuntur. Quid itaque erit illud novum, & admirabile? ***Invitat nos ad intuendum aliquid novum, & admirabile.*** Hoc ſanè nihil eſt aliud, quàm Decretum de publica veneratione Corporis noſtri Sancti: *Publicæ Venerationi exponi poſſit.* Non deeſt autem hæc clauſula hodierno Evangelio noſtro, quod illam aliis verbis ità exprimit: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem,* Corn. hic *hic ſalvus erit.* Cornelius à Lapide: *Coronâ donabitur.* fol. 231.

Cynoſura Evangelii hodierni proponit nobis vitam mei S. Patriarchæ, ad imitationem Domini noſtri JESU CHRISTI exactam: *Sicut miſit me .... Ecce ego mitto vos:* Cùm autem Corpus Regis cœleſtis; tamquam Redemptoris ſingulari quadam coronâ ornatum fuerit, mundi Redemptor corpori alterius redemptoris coronam offert ſuæ perſimilem, ut tali diademate redimitum glorioſiùs reſplendeat: *Coronâ donabitur.* Supereſt proinde, ut inquiramus, quali coronâ corpus defuncti Salvatoris noſtri donatum fuerit.

Hæc corona fuit titulus ille, qui in Sacratiſſimo Crucis ligno pependit: *JESUS Nazarenus, Rex,* de quo V. Beda diſſerens, Joan. c. 19. ait, eo declaratam fuiſſe gloriam illius adorandi Corporis defuncti, illarúmque pretioſiſſimarum Reliquiarum: *Tunc ejus Divinita-* Beda hic. *tem agnoſcere cœperunt, cùm nomen JESUS in Crucis titulo patuit.* Non vidi coronam aliam, quæ corpori, & Reliquiis mei Sanctiſſimi Patriarchæ convenientiùs adaptari poſſit; his ſolis verbis inſpectis: *JESUS Nazarenus,* agnoſci potuit gloria illius Corporis exanimis: *Agnoſcere cœperunt;* Cùm enim nomen JESUS idem ſonet ac Redemptor, & Nazarenus, teſte D. Hieronymo, idem ſit, ac Sanctus, titulus iſte, ceu vocalis quidam famæ præco, gloriam Divini Corporis ſe ſolo ſatis ſupérque prædicabat; utpote qui mutis ſuis literis dicebat: Iſtud corpus exanime, & hæc oſſa, ſunt reliquiæ cujusdam Sancti Redemptoris.

Eminentiſſimus Hugo mortuum CHRISTI Corpus conſiderans, ut oculos à tam lugubri ſpectaculo paulisper averteret, eos ad titulum, ſive Coronam defuncti Salvatoris noſtri erexit, quô



Digitized by Google

conſpectô in hæc prodigioſa verba erupit: ***Hic eſt Titulus Triumphalis, Præconialis, & Memorialis.*** Hic titulus, aut ſi mavis, hæc corona glorioſa prædicat, & demonſtrat, quòd Corpus, & Reliquiæ hujus Redemptoris hodie obtineant ſolemnem triumphum: ***Titulus Triumphalis.*** Hic titulus eſt præco ejus maximæ dignitatis, ac excellentiæ: ***Titulus Præconialis.*** Hic denique titulus eſt toti poſteritati pro æterna memoria laudum ei debitarum: ***Titulus Memorialis.*** Hiſce verbis apertum eſt mihi latum, magnificúmque ſermonis theatrum: libet igitur ſingillatim hæc tria puncta exponere.

Hugo Card. in cap. 23. Lucæ apud Pine. de CHRISTO crucifixo lib. 4. tit. 7. n. 9. f. 602.

## §. I.

### *Titulus Triumphalis.*

PRima hujus verbalis theatri ſcena exhibet glorioſiſſimum Triumphum, quem hodiè Corpus Sanctiſſimi mei Patriarchæ, per omnem, quaquà patet, orbem terrarum obtinuit: ***Titulus Triumphalis.*** Eruditus Bayerlinch Veterum triumphum deſcribens ait, eum talem fuiſſe honorem, quô majorem Roma neſcivit: ***Omnium bonorum, qui à populo Romano dari poterant, maximus.*** Ut proinde nec ipſa Roma, tam fœcunda gloriarum mater, plus haberet, quod daret, nec triumphator in ſphæra honoris plus haberet, quod appeteret; talis enim maximo plauſu in Capitolium introducebatur, eique denſiſſima populorum agmina feſtivis vocibûs inter ſexcenta exultantium animorum jubila, triumphum acclamabant. Mi glorioſiſſime Pater, & Patriarcha! jam nè ipſi Romæ pro Tua gloria plus ſuppetit, quod largiatur: nec nobis hoc Tuô glorioſô triumphô obtentô aliquid reliquum manſit, quod deſideremus; pro omnibus enim venit plenitudo temporis, quô Tibi, in hoc altari collocato, hæc nobiliſſima hominum concio devotis animis applaudit.

Bayerl. verb. Triumph. f. 222. lit. F.

***Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.*** Non ſolùm anima mea, ait ſceptriger vates, non ſolùm anima mea, ſed & ipſa quoque caro mea exundante gaudii ſenſu delibuta fuit. Sed ſi tua liceat interpellare faſtigia, rex magne Iſraël! Dic ſodès, unde orta eſt tibi tam immodica, effuſáque lætitia? Et reſpondet:

Pſal. 83. v. 4.

Digitized by Google

det: ideò tanta ſum perfuſus hilaritate, quia paſſer invenit domum, in qua debitos reciperet honores: ***Etenim paſſer invenit ſibi domum***, & quidem talem domum, quæ ſimul altare in templo erat: ***Altaria Tua Domine.*** Placent mihi tam glorioſæ venerationes! Sed quæro nunc: quænam eſt avis iſta, quam David ſub nomine paſſeris expreſſit? In verſione Chaldaica eſt columba: ***Etenim columba.*** Sed ex mente S. Auguſtini, S. Bernardi, Aiguani, & Lorini hôc verbulô deſignatus fuit homo religioſus, juſtus, prudens, humilis, & ſimplex: Cùm autem hæc ſint eadem prorsùs ſigna, quæ ſacrum Evangelium glorioſiſſimo Patriarchæ meo ſub tribus metaphoris, ovis, ſerpentis, & columbæ attribuit, legitimè deducitur, Davidem idcirco tantis lætitiis inceſſiſſe, quòd in ſpiritu proſpexerit ſolemnem illum triumphum, qui Sancto noſtro, in aris, & templis collocato, feſtiva celebritate hodiè adornatur: ***Invenit ſibi domum . . . Altaria Tua.***

verſu 5.

Apud Lorin, hic.

Clariùs tamen clariſſimum hunc triumphum nobis depinxit vaticinus Iſaias, cujus hæc ſunt verba: ***In illa die radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.*** Duæ ſtatim in hoc Textu difficultates emergunt: Prima: ***In illa die.*** Quænam eſt iſta dies? Secunda in his verbis latet: ***Radix Jeſſe.*** Quænam enim eſt iſta radix Jeſſe? Reſpondet Hebræus: ***Surculus, vel germen***, quod in lingua hiſpanica ***Mata*** dicitur (*) his itaque verbis Propheta innuere voluit, venturum aliquando diem, quô ad apicem ſupremi honoris in terris evehetur frondoſa quædam Mata, ſive germen, non autem qualiscunque Mata, ſed talis, quæ ſimul ſit radix futura arboris valdè proceræ, ac diffuſæ. Plùs: ***Qui ſtat in ſignum populorum.*** Hæc Mata erit primipilus, & anteſignanus, cujus ſignum totæ populorum turbæ ſequentur, eámque ùt Ducem, & Fundatorem venerabuntur. Et nè alicui dubium de hoc ſuboriri poſſit, afferamus verba ſeptuaginta Interpretum: ***Exurget, ùt princeps.***

Iſa. cap. 11. v. 10.

Hebr. Calepi verb. Surculus.

(*) Pro intelligentiâ variarum ſubindè alluſionum, notandum eſt, quòd *Mata* hiſpanicè ſignificet ſurculum, germen, vel fruticem.

Septuag. hic.

Hanc itaque ſacratiſſimam Matam quærent, & venerabuntur hodierna die ejus devoti clientes: ***Ipſum gentes deprecabuntur***, quia ſepulchrum ejus eſt totum glorioſum, & triumphale: ***Et***



Digitized by Google

*erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Catè. Aſt quænam eſt dies illa? Num dies feſti, quâ feliciſſimus ejus ex hoc mundo tranſitus celebratur? An verò illa, quâ Sanctiſſimi ejus Corporis exaltatio peragitur? Utrique convenit vaticinium Iſaiæ; nam ubi Originale Hebræum in hoc Textu legit: *Erit requies ejus glorioſa*, ibi verſio Chaldaica habet: *Erit locus habitaculi ejus in honore!* Optima diſpoſitio: Non expreſſit Iſaias ſignatè diem tam ſolemnis applausûs, ut omnia conveniant uni, eidémque diei tam inſignis triumphi: *In die illa.*

Nihil tamen ſemper me dixiſſe autumo, donec myſterium tam ſolemnis triumphi per cauſam efficientem detexero. Cauſa principalis triumphi inter Romanos erat Imperator, qui hunc honorem benè de Republica meritis decernebat: dignum eſt itaque, ut inveſtigemus, quisnam ille fuerit, qui hunc triumphum meo Sancto Patriarchæ decrevit? Petamus lucem ab Hiſtoria Translationis. Hæc teſtatur, Sacrum Corpus ſexaginta ſex annis debita veneratione deſtitutum jacuiſſe, ſub cujus temporis decurſu tribûs vicibûs declaratio ejus identitatis efflagitata, non tamen priùs obtenta fuit, donec numerus ternarius perfectè compleretur. Tres Cardinales aſſignati fuerunt, qui judices (Ponentes vocant cauſidici Romani) hujus negotii eſſent, nempe Eminentiſſimus Caſini, quem mors ab hoc officio ſuſpendit, Eminentiſſimus Albani, qui ob ſuam abſentiam eò fungi non potuit, ac denique Eminentiſſimus Paulucius, qui in S. Congregatione præſedit. Non licet hìc diu ſiſtere, vocat enim tertium, & potiſſimum complementum numeri ternarii.

Innocentius III. fuit ſupremus ille Pontifex, qui corpus mei S. Patriarchæ in ſepulchro, à terra elevato, recondidit. Et, ô rem miram! hôc annô alius Pontifex ex eadem domo, & familia, quâ prior oriundus fuit, itidem Innocentius, & nè huic quoque numerus ternarius deeſſet, decimus tertius dictus, declaravit identitatem ſacri Corporis, meámque S. Religionem gaudiô, & exultatione replevit: liceat mihi itaque dicere, hunc numerum ternarium, qui ex Innocentiis, Cardinalibus, & tribus poſtulationis vicibus reſultat, haud obſcurè oſtendere, quænam ſit cauſa efficiens noſtri triumphi; nam ex tot ternariis ad hunc effectum concurrentibus perſpicuè colligitur, principalem cauſam illius eſſe myſterium SSS. TRINITATIS.

Dexte-

Digitized by Google

*Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* In hoc verſu, ùt author eſt Lorinus, glorioſiſſimus triumphus per totum terrarum orbem reſonat: *Triumphale carmen reſonans.* Tribûs vicibûs, ait regius Pſaltes, Divina Majeſtas ſuam dexteram exeruit, ut Corpus Diviniſſimi Redemptoris noſtri ad honorificentiſſimum in cœlis triumphum capeſſendum exaltaret: *Dextera Domini exaltavit me. Exaltavit Corpus per Aſcenſionem.* Euthymius, & Genebrardus in hanc trinam repetitionem Divinæ Dexteræ commentantes, aiunt, eâ myſterium SSS. TRINITATIS deſignatum fuiſſe: *Trina repetitio eſt myſterium SSS. TRINITATIS.* Quando igitur corpus unius Redemptoris ad thronum, & altare templi exaltatur: *Exaltavit Corpus*, ut ei triumphalis cantus accinatur: *Triumphale carmen reſonans*, ibi dubitari nequit, cauſam efficientem talis triumphi, & applausûs eſſe infinitam potentiam SSS. TRINITATIS: *Dextera Domini, &c.*

Pſal. 117. v. 10.

Lorin. hic.

Omnes apud Lorinum.

Perſcrutemur profundiùs hunc Textum: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Exaltatio hujus glorioſi Corporis, pergit in cœpto ſermonis ordine rex Prophetarum, eſt ſingulare opus DEI Trini, & Unius: *A Domino factum eſt iſtud.* Triumphus ei adornatus, eſt adeò glorioſus, ut oculos intuentium admiratione ſuſpendat: *Et eſt mirabile in oculis noſtris.* Admiratio eſt partus exoticæ cujusdam novitatis. Averem nunc ſcire, in quónam conſiſtat peregrina illa novitas, quæ tantam excitavit admirationem? In eo nimirum, quòd, licèt multi Summi Pontifices huic cauſæ abſolvendæ manum admoverint, omnes tamen à decretoria ſententia proferenda abſtinuerint, usque ad præſentem Papam. Ergóne hoc ſit illud ſingulare? Maximè; hodiernus ſiquidem Rex Sacrorum Innocentius XIII. qui ad univerſalem clavum Eccleſiæ ſedet, ex eadem domo, & familia prodivit, quæ Innocentium III., qui Corpus mei S. Patriarchæ ſepulturæ intulit, mundo donavit. Non dimittamus hunc Textum.

*Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Hic lapis, qui nobis hunc admirabilem triumphum peperit, factus eſt caput anguli. Quærunt Interpretes, quisnam ſit lapis iſte in caput anguli converſus? Alii dicunt, eum eſ-

ſe lapidem primum, qui fundamento alicujus fabricæ imponitur: ***Fit enim lapis caput anguli, qui in angulo fundamenti primus ponitur.*** Alii è diverſo aſſerunt, hoc nomine cenſeri ultimum lapidem, qui ædificium claudit, eique quaſi coronam imponit: ***Fit enim lapis in caput anguli, qui in ſupremo, & excelſiſſimo totius ædificii angulo collocatus eminet.*** Nunc ego mentem meam aperiam: Nemini dubium, aut ignotum eſſe arbitror, quòd lapis ſit caput Eccleſiæ: ***Super hanc petram.*** Hic itaque lapis, ſi conſideretur ùt primus in fundamento ædificii, repræſentat perſonam Innocentii III. P. M., qui Corpus noſtri Sancti tumulavit. Si verò ſpectetur ùt ultimus, & corona ſtructuræ, exhibet perſonam Sanctiſſimi Patris noſtri Innocentii XIII., qui Corpus mei glorioſi Patriarchæ ad thronum publici cultûs, & venerationis exaltavit, fecitque, ut honor, & applauſus, quem hodie noſtra devotio tam inſigni Sancto conſecrat, hunc ſpectabilem, & admirabilem triumphum, qui coràm oculis noſtris verſatur, conſtituant: ***Et eſt mirabile in oculis noſtris. Titulus Triumphalis.***

Totum apud Barrad. in c. 21. Matth.

## §. II.

### *Titulus Præconialis.*

IN ſecunda parte præſentis ſermonis me declaraturum promiſi, quòd ſacra oſſa, & Reliquiæ mei Sancti Parentis, hodiè ad inſtar præconum per totum orbem promulgent excellentiam, & præſtantiam tanti viri: *Titulus Præconialis.* Quamvis receptiſſima ſemper fuerit conſuetudo lapidibus ſepulchrorum epitaphia inſculpendi, ut illis conſpectis protinùs ſciretur, quis fuerit ille, qui ſub tali lapide deliteſcit, nihilominùs tamen inventus eſt Politicorum aliquis, qui, cùm hanc diligentiam ſupervacaneam eſſe crederet, tumbæ ſuæ hæc tantùm verba incidi præcepit: *Tacendo loquitur.* Fama ſiquidem viri, ſub illo lapide ſepulti, ſatìs vocaliter prædicabat, quis ille fuerit, qui ſub ejus rigido tegmine recondi voluit. O mi glorioſiſſime Pater, & Patriarcha! quàm aptè Tibi hæc inſcriptio conveniſſet, cùm prodigia Tuorum oſſium, Te etiam tacente, nullo non tempore Majeſtatem gloriæ Tuæ ennarraverint. Quod, ut clariùs eluceſcat, libet greſſum recipere ad illud ſepulchrum, de quo

Digitized by Google

quo Iſaias in quodam enthuſiasmo prædixit, illud fore glorioſum: ***Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.***

Nondum punicantes phaleras, roſeúmque ſuum lacertum aurora, ex Eois emerſa undis, orbi plenè oſtenderat, dum jam tres quædam Mariæ, quarum præcordia immodico amoris æſtu flagrabant, itineri ſe commiſerunt, ut Corpori Redemptoris animarum debitæ venerationis tributum impenderent. Vix in conſpectum ſepulchri venerunt, quando ore angeli cujusdam hìs verbìs ſunt compellatæ: ***JESUM quæritis Nazarenum.*** Non me latet, vos ideò ad hunc locum convolâſſe, ut corpus cujusdam Sanctiſſimi Redemptoris (hoc eſt JESUS Nazareni, ùt dictum manet) quæreretis: aſt ſcitote velim, hoc Sacrum Corpus, quod aliquamdiu in hoc tymbo latuit, jam eſſe glorioſum: ***Jam ſurrexit,*** & nè quod dubium corda veſtra vellicet: ***Venite, & videte locum,*** **Matth. 28.** adeſtote, & propriis oculis dictorum veritatem comprobate! Sed quid? Nónne ſatis fuerat, quòd ab angelo hæc verba audierint? Satìs procul dubio fuiſſet, nisì angelus voluiſſet, ut ipſum quoque vacuum ſepulchrum hujus veritatis præconem ageret; cùm enim quædam ſepulchra inveniantur, quæ etiam tacendo loquuntur, cúmque ſepulchrum CHRISTI ſit longè glorioſiſſimum: ***Et erit ſepulchrum ejus glorioſum,*** oportebat, ut idem eſſet ad tumbam Divini Redemptoris accedere, ac in lapide ſepulchrali absque ulla inſcriptione legere præconia ejus rectè factorum. Quisquis itaque hodiè Corpus mei S. Patriarchæ huic arcæ incluſum aſpexerit, ex ſolis ejus Reliquiis, absque adminiculo alicujus inſcriptionis, ſatis ſonorè audiet præcipua tanti viri præconia.

Sed nè ſic quidem ſenſum meum plenè aperui. ***Et erit ſepulchrum ejus*** (Diviniſſimi ſcilicet Redemptoris noſtri) ***glorioſum.*** Dixit Iſaias. Conſideremus, qualiter CHRISTO ad Apoſtolos de gloria ſui Corporis loquente, aliqui verba ejus in dubium revocaverint: ***Nos autem ſperabamus:*** alii verò eis fidem præfractè negaverint: ***Et non crediderunt.*** **Luc. 24.** Sed quomodò tandem deciſa, & complanata fuit hæc myſtica controverſia? Quæritis, quomodo? Aperiente S. Petro, tamquam ſupremo Eccleſiæ capite, os ſuum, & gloriam adorandi illius Corporis ſuô ſuffragiô comprobante, cujus vocem, & præconia extemplò ſubſecutus eſt maximus omnium applauſus, & propenſiſſima in ejus venerationem ſtudia; verba enim illa

illa S. Lucæ, quibûs ait: *Apparuit Simoni*, Tirinus ità exponit:
Tirin. in c. 24. Luc. v. 34. *Ut ipſi tamquàm teſti omni exceptione majori, plena ab aliis fides haberetur.* Iſte fuit glorioſus præco; qui excellentiam Divini ſepulchri declaravit, & iſte eſt, qui Corpori mei illuſtris Patriarchæ publicos honores aſſeruit; nam cùm ejus identitatem ſupremum Eccleſiæ caput ſuo ore comprobâſſet, illicò ejus maxima veneratio, & cultus ſubſecutus fuit.

Judicate nunc AA. Quantum noſtrum ſit gaudium! ſed nec aliud fieri potuiſſet, quàm ut acceptô tam deſideratô nunciô, lætitia noſtra ad ſummum aſcenderet faſtigium. Non ego iſtud ex meo cerebro deprompſi, ſed ab enthea regii pſaltis cithara mutuavi:
Pſ. 50. v. 10. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.* Domine! aures meæ ingenti gaudiô impletæ fuerunt. S. Hieronymus hunc locum
Apud Lorin. hic. ità vertit: *Dabis bonum ac lætum nuncium*: Quia auribus meis inſonuit nuncius maximi gaudii. Sed undè ſcaturivit tam immenſum gaudium? *Exultabunt oſſa humiliata.* Inde nimirùm, quia oſſa Sanctorum, quæ ab oculis hominum remota, & aliquamdiù ignota jacuerant, nunc religioſiſſima pietate coluntur. Ità hunc
Lor. f. 1060. col. 2. lit. C. Textum expoſuit ipſe Lorinus: *Exultabunt oſſa humiliata, quos veneratur ùt Sanctos, eorúmque oſſibus, quæ cuſtodit DEUS, honorem defert, atque cultum religioſum.* Neceſſarium proindè erat, ut gaudium noſtrum ad ipſum lætitiæ apicem eluctaretur, quia per Decretum Summi Pontificis tam fauſtus, lætus, exoptatúſque nuncius ad nos perlatus fuit: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.*

Miretur ille, Sanctum noſtrum tam univerſalem ſuæ gloriæ præconem nactum fuiſſe, qui ignorat prodigia in ejus Tranſlatione peracta. Sacrum hoc Corpus annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô quintô, nocte illa, quæ decimam nonam Martii præce-
In Ponenda fol. 26. dit, clàm è tumulo ſurreptum fuit. Illi, qui ſacras háſce Reliquias deferebant, cùm Romæ Conventum noſtrum S. Caroli tranſirent, non ſinè ſtupore audiêrunt, campanas, tamquàm futuri gaudii noſtri præſcias, ultrò inſonuiſſe, nemine manum admovente. Quòdſi autem, ùt S. Auguſtinus teſtatum facit, linguæ campanarum ſint inanimes præcones, facili negotiô colligitur, hunc prodigioſum ſonum campanarum fuiſſe admodum vocalem præconem hujus Sacratiſſimi Corporis, & initium dediſſe ejus ſolemni cultui, publicæque venerationi.

*Lau-*

*Laudate Dominum in Sanctis ejus*, vel, ùt legit Doctor Pſal. 150.
Maximus: *In Sancto ejus.* Laudate Dominum in gloria, & ve- v. 5.
neratione cujuſdam prodigioſi Sancti. Aſt quando ſunt ei debita Apud Lorin.
encomia perſolvenda? Hoc nobis idem Vates dicet: *In cymba-* fol. 1228.
*lis benè ſonantibus in cymbalis jubilationis.* Tunc nimi- lit. E.
rùm, quando campanæ læto tinnitu concrepant, ità tamen, ut à nemine hominum impellantur, ſed ipſæ propria ſponte in feſtivum clangorem prorumpant. Hoc Lorinus ex verſione Chaldaica oſtendit, tamquàm ſi datâ operâ ad meum propoſitum ſcripſiſſet: *Nempe cymbala, quorum ſonus longè, ac latè diffundatur, cùm per ſe, ac ſola ſonant.* Quòdſi autem hæ voces ſolæ ſufficiant ad promulgandam ejus per totum terrarum orbem gloriam, jure dici poteſt, quòd Sacrum Corpus mei glorioſi Patriarchæ hodie maximum agat præconem ſuæ gloriæ; non enim aliter nisì prodigioſo impulſu peculiaris, & inſoliti cujuſdam affectûs, omnes homines ſunt in linguas converſi, quæ ſuis jubilis, ceu feſtivo quodam celeuſmate, laudes ejus reſonant: *Titulus Præconialis.*

## §. III.

### *Titulus Memorialis.*

EST denique hodierna feſtivitas æterna memoria ejus laudum: *Titulus Memorialis.* Pro perennanda fama memorabilium geſtorum Veteres erigere ſolebant titulos, ſive monumenta ex ære, ac marmore, quos mox in ſtatuas formabant, mox in turres faſtigabant, mox in columnas condenſabant, mox in pyramides ſublimabant. Ità fecerunt Ægyptii, quorum cantatiſſimæ pyramides erant totidem monumenta rerum perpetuâ memoriâ dignarum:
*In monumentum rei memorandæ.* Glorioſiſſime Pater, & Pa- Pierius Va-
triarcha! temporis anguſtiæ me compellunt ſermonis curſum abbre- ler.
viare. Solùm proinde dicam, quòd, cùm Corpus Tuum ſummís ſit dignum encomiis pro æterna laudum Tuarum promulgatione, major tamen nobis gloria accedere nequeat, quàm ſi per omnia mundi climata excellentias Tuas prædicemus.

Non vacat myſteriô mirabilis illa partitio, quâ filii Iſraël terram promiſſionis diviſerunt; quamvìs enim omnes ideò Ægyptô

H egreſ-

egreſſi fuiſſent, ut Palæſtinam incolerent, tres tamen Tribus in illa ſedem non fixerunt, ſed in altera Jordanis ripa remanſerunt: *Duabus enim Tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Jordanem poſſeſſionem.* Quale eſt hoc? Si Iſraëlitis nihil magis in votis fuit, quàm terram promiſſionis ingredi, cur tot illorum in alia regione reſederunt? Cauſam hujus facti ex ſacro Textu eruemus, in quo ſcribitur, has Tribus idcircò trans Jordanem haſtam erexiſſe, quia Moyſes terram illam eis incolendam aſſignavit: *Dederat Moyſes.* Notatum hìc porrò velim, Moyſen, ceu Redemptorem Captivorum, vivum fuiſſe ectypon mei S. Patriarchæ. Mortuus eſt Moyſes *in oſculo Domini,* ipſe quoque meus glorioſus Sanctus labiis, ad latus CHRISTI Crucifixi poſitis, animam DEO reddidit. Nunc ad rem propiùs accedamus. Oſſa, & Reliquiæ Moyſis non ſunt in terram Promiſſionis illatæ; ſed trans Jordanem ſepultæ manſerunt. Ac proptereà tres illæ Tribus Iſraëliticæ terram Promiſſionis, quamvìs hæc eſſet ſymbolum cœleſtis gloriæ, ingredi noluerunt, quòd perſuaſum haberent, multò glorioſius eſſe ibi ſedem figere, ubi laudes tanti viri, & memoria ejus mirabilium perpetuò oculis eorum obverſaretur.

Non ſum neſcius, omnium oculos in Reliquias mei Sancti Patriarchæ, huic aræ impoſitas, eſſe intentos, nihilominùs tamen pariter credo, à vobis illas in cordibus noſtris ſpectari, cùm pectus cujuſcunque Religioſi ſit altare, ſuper quod charitas noſtrum illuſtrem Sanctum collocavit. Quomodò igitur fieri poſſet, ut ejus memoria non eſſet æterna, cùm voluntas eam conſervet? Aſt quomodò voluntas eam non conſervaret, quæ in pectore diverſorium invenit? Auditores mei! Memoria duplex eſt! alia tenaciter retinet, quæ accepit, altera verò ea ſtatim in oblivionis antro ſepelit; memoria enim, quæ ſolâ memoriâ adjuvatur, eſt admodùm fragilis, & in oblivionem propenſa, ſed quam voluntas corroborat, aut quæ ſimul voluntas eſt, ea demùm ſtabilis, ac permanens dicitur, ùt evidenter ex S. Scriptura demonſtrari poteſt.

Jeremias ſolius memoriæ operâ recordando uti voluit: *Memoriâ memor ero.* Illi autem, qui Montana Judææ incolebant parùm memoriæ confiſi nativitatem S. Joannis Baptiſtæ ſuis cordibus impreſſerunt: *Poſuerunt in corde ſuo.* Quamobrem cùm S. Pater meus JOANNES de Matha hodie nobis, Hiſpaniæ, ac denique publico cultui, & venerationi renatus fuerit, ſicut vicini, &

Jerem. c. 3. v. 20.

Luc. 1. v. 66.

Digitized by Google

& cognati Beatiſſimi Præcurſoris cordibus ſuis inſculpſerunt beneficium tam grandis miſericordiæ: ***Magnificavit Dominus miſericordiam ſuam***, ità & nos tam ſingulare beneficium agnoſcentes, recondimus illud in memoriam noſtrorum pectorum: ***Poſuerunt in corde ſuo***, ut ſit titulus memorabilis, & glorioſus pro tota poſteritate; tale námque beneficium, tot deſideriis exoptatum, dignum eſt, ut tali memoriæ commendetur, quæ æterna ſit. Hoc ſanè depoſcit doctiſſimus calamus togatiſſimi Senecæ, cujus hæc ſunt verba: ***Acceptum beneficium æternæ memoriæ inſigendum eſt.*** Seneca.

Gloriare igitur mea Sacra Religio Trinitaria, Divinæque Majeſtati infinitas perſolve gratias, quòd tuis laboribûs, & induſtriis Corpori Sanctiſſimi Patriarchæ tui publicum cultum, & venerationem conciliaveris, aſſerueris, & eviceris: Ego autem mutuatis ab Iſaia verbis huic Titulo Memoriali Coronidem imponam.

***Reſpice Sion civitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquàm transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in ſempiternum. Quia ſolummodò ibi magnificus eſt Dominus noſter.*** Iſai. 33. v. 20. & 21. His verbis allocutus eſt Propheta Eccleſiam militantem. Nemo tamen mihi jure ſuccenſere poterit, ſi dixero, eúm hâc ſententiâ ad meam Sacram Religionem, & ad hunc doctum, & religioſum cœtum collimâſſe juxtà expoſitionem P. Arias Montani, in hunc locum ità commentantis: ***Reſpice Conventum ſolemnitatis noſtræ.*** Quaſi diceret. Arias Mon. in c. 33. Iſai.

O Religio Trinitaria, vide, & conſidera hanc eſſe diem maximæ ſolemnitatis, & lætitiæ tuæ: ***Reſpice Conventum ſolemnitatis noſtræ.*** Non ſolùm quia oculi omnium vident, quòd mea Sacra Religio ſit opulenta habitatio virtutum, pœnitentiæ, doctrinæ, ac ſapientiæ: ***Oculi tui videbunt habitationem opulentam.*** Non ſolùm, quia cunctorum veneratio illam ſuſpicit tamquàm firmiſſimum SSS. TRINITATIS tabernaculum: ***Tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.*** Verùm etiam, quia clavi, qui hoc tabernaculum DEI Trini, & Unius in ea affixerunt, manent pro æterna poſterorum memoria: ***Clavi ejus in ſempiternum.*** Vultis ſcire, quinam ſint clavi iſti? Sunt corpora, & oſſa San-

 cto-

Apud Leon. à Caſtro hic fol. 568.

ctorum, ùt doctiſſimus Theodoretus exponit. Clavi proinde, quibus hoc tabernaculum affixum eſt, ſunt Corpus, & Reliquiæ mei glorioſi Patriarchæ, qui meam Religionem Titulô SSS. TRINITATIS honoravit: Hi ſunt clavi, qui hodiernæ feſtivitatis memoriam celeberrimam efficiunt, nóſque ſuaviter compellunt, ut Omnipotenti Domino debitas gratiarum actiones reddamus: *Quia ſolummodò ibi magnificus eſt Dominus noſter.*

Tu autem ô glorioſiſſime Pater mi, & Patriarcha! gratum habe Tuorum clientum obſequium! Vivat, floreátque deinceps cultus Tuus ad ipſum usque mundi finem, ut glorioſiſſimus iſte triumphus Tuus omnibus gentibus, & populis innoteſcat: *Titulus Triumphalis.* Vivat, & augeatur ſemper Tua veneratio, ut ſit perpetuus præco meritorum Tuorum: *Titulus Præconialis.* Vivat denique virtutum Tuarum fama in æterna totius poſteritatis memoria, ut laudes Tuæ, & encomia nunquàm deficiant: *Titulus Memorialis.* Et Tu mea S. Religio Trinitaria vive, ac flore per omnem æternitatem, ut triumphi, præconia, & memoriæ, tam exquiſitis virtutum adoreis decretæ ſemper, & ubique reſonent. Tuarum nunc erit partium, Sanctiſſime Patriarcha! illos in Tua memoria circumferre, qui tanto affectu, & devotione, ad Tui Sacratiſſimi Corporis venerationem convolärunt. Poſſidemus jam in Hiſpania inter ſinceriſſimos devotarum mentium applauſus pyram ſacrati Corporis Tui! evibra igitur quasdam ſcintillas Tuæ animæ flammantis, ut illis ſuccenſi exardeſcamus vivis deſideriis Te imitandi, quatenùs per Tua veſtigia in hoc mundo gradientes conſequamur gratiam, cujus ope pervenire mereamur ad ſempiternam gloriam: *Ad quam &c.*

His ego verbis ſermonem meum ad metam deduxi, firmiter perſuaſus, neminem Auditorum fuiſſe, qui non deſideràſſet conceptum in hac hora faſtidium grato phonaſcorum concentu ſublevare. Finitâ Miſsâ auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum expoſitum remanſit, tantáque deinceps per reliquum diem hominum turba affluxit, ut templum ante alteram ab illapſu noctis horam claudi nequierit.

Ingruente autem veſperâ dulciſonum melos illorum aures blandiſſimè recreavit, qui devotionis magnitudine abſorpti nè lato quidem ungue ab eccleſia diſcedere ſuſtinuerunt: quorum pietati obſtetricabatur concurſus tot Prælatorum, Doctorum, & Magnatum:

Nobi-

Nobilium autem Matronarum vix erat una, quæ non pro grandi piaculo habuiſſet, ſi ad venerationem Sacrarum Reliquiarum non adveniſſet. Sera jam nocte Sol Juſtitiæ, CHRISTUS Euchariſticus, primò occubuit, Tabernaculo ſuo reſtitutus. Tympana, tubæ, & campanæ eodem plauſu reſonuerunt, quo priori die, multa etiam millia pyrobolorum in altum eluctata fuerunt, quibûs gaudiorum demonſtrationibûs devotorum pietas ad ſequentis diei feſtivitatem celebrandam invitabatur, quam graviſſima hujus noſtri Conventûs Madritenſis Communitas pro honore ſui magni Patris, & Patriarchæ adornabat.

# CAPUT VIII.

## *Solemnitas ſecundæ diei ob declaratam identitatem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha celebrata.*

HÆc feſtivitas ſecundæ diei in officina immenſi illius amoris, quô hæc Religioſa Communitas erga Sanctiſſimum ſuum Patriarcham flagrabat, procuſa fuit: Ut autem tantæ ſolemnitati nihil ſplendoris, aut magnificentiæ deeſſet, invitati ſunt ad illam omnes Prælati, & Religioſæ Communitates hujus regiæ urbis, tum ut ſuâ præſentiâ hanc celebritatem condecorarent, tum ut ſociis precibûs nos adjuvarent debitas Divinæ Majeſtati gratias pro tam inſigni beneficio rependere. Sciendum tamen eſt, quòd, cùm in hac regia civitate tot numerentur Communitates Religioſæ, non omnes promiſcuè ad quamcunque feſtivitatem convenire ſoleant, ſed partitis inter ſe feſtis mox hæ, mox illæ aſſiſtant. Cæterùm hodierna ſolemnitas exceptio fuit hujus regulæ univerſalis; nam ſicut omnes invitatæ fuerunt, ità quoque omnes comparuerunt, quin vel unica ſuam præſentiam excusâſſet. His obviam facti noſtri Religioſi usque ad portam Conventûs omnes officioſiſſimè exceperunt, eásque ad paratam exedram deduxerunt.

Sacrum Cantatum celebravit hac die R. P. Vincentius à Conceptione, primus Definitor Generalis Noſtræ Sacræ Religionis, eadem regiâ muſicâ adjutus, cujus in ſuperioribus mentionem fecimus. Finitô Evangeliô venit hora, à multis exoptata, ut facundiſſimâ ſuadâ Religioſi P. F. Felicis à S. Joſepho, Primarii Concio-



Digitized by Google

natoris hujus noſtri Conventûs bibulas aures ſatiarent. Nec fruſtrati ſunt ſpe ſua; eloquentiſſimus ſiquidem Prædicator iſte tanta ſubtilitate, eruditione, & elegantia peroravit, ut, cùm in tot Communitatibus doctiſſima ingenia præſtò eſſent, partim devotione, partim curioſitate tam celebrem Oratorem audiendi, partim denique Superiorum nutu adducta, nemo tamen omnium inventus ſit, qui admiratione ſuſpenſus non fuiſſet, & facundum encomiaſtem tam verſati, & in arte dicendi exercitatiſſimi viri non egiſſet. Sit ejusdem Concio comprobatio verborum meorum.

# CONCIO SECUNDA,

*Quam ob declaratam Identitatem Corporis S. P. N.*

## JOANNIS DE MATHA

Ad confertiſſimum Auditorium peroravit

P. Fr. Felix à S. Joſepho, Concionator Ordinarius hujus Conventûs Madritenſis PP. Trinitariorum Excalceatorum de Redemptione Captivorum.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Sequent. S. Evangelii ſecundùm Matthæum. cap.* 10. *v.*16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sequent. S. Evangelii ſecundùm Joann. cap.* 6.

Conſtare ex ſufficientibus probationibus ad effectum, ut Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit. *Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis.*

EVeniunt interdum dies adeò feſtivi, ut exceſſus in gaudiis ſit certiſſimum argumentum exquiſitæ cujusdam prudentiæ; nam qui particeps eſt peculiaris, & inſolitæ feſtivitatis, neceſſe habet communes gaudiorum limites aliquantisper tranſilire, ſi notam imprudentiæ effugere velit. Feſtivos aliquando dies, ùt ſacra pa-

pagina teſtatur, celebraverunt diſcipuli, qui Transfigurationis myſterio interfuerunt, quia tunc temporis in monte Thabor ſplendidum quoddam theatrum, connubium nivis, & lucis repræſentans, ſe eorum oculis obtulit, in cujus ſcena mundi Redemptor omnium admirationem abripuit. In illo triumphali ingreſſu, quô Incarnatus DEUS humili aſello inſidens, Hieroſolymam intravit, auditi ſunt innumeri acclamantium populorum applauſus, nullibi tamen lego, in his occaſionibus exoticum quidpiam, aut peregrinum à diſcipulis factum fuiſſe. Solùm in quodam eventu, ùt S. JOANNES recenſet, viſi ſunt modum exceſſiſſe, tunc nimirùm, quando præcipiti feſtinatione cucurrerunt: ***Currebant duo ſimul.*** Rem miram! Qui fieri potuit, ut viri adeò maturi, gravésque tam immoderatò gaudiô efferbuerint, quorum lætitia in aliis diebus tam arctis ſemper modeſtiæ limitibûs circumſcripta fuit? Cauſa in promptu eſt, in aliis ſiquidem diebus lætabantur ob honores Magiſtro ſuo viventi impenſos, hìc autem tam impotenter exultârunt, ob cultum & venerationem ejus Corpori exhibitum; intellexerant enim, Sacrum Corpus ejus, quod in obſcuro quodam antro recluſum delituerat, publica adoratione donatum fuiſſe: ***Acceſſerunt*** (ùt Evangelicus S. Matthæi calamus de quibusdam perſonis devoti ſexûs commemorat, quæ Divinum Corpus in ſepulchro quæſituræ convenerant) ***& adoraverunt eum.*** Illi autem, qui in aliis feſtis gaudia ſua intra modeſtiæ cancellos continere noverant, audito publico cultu, & veneratione Corporis, ſui Domini, & Magiſtri, nimiâ lætitiâ abſorpti communes gravitatis regulas neglexerunt: ***Currebant.***

Matth. 17. v. 2.

Marc. 11. à v. 8. usque ad 10.

Joan. 20. v. 4.

Matth. 28. v. 9.

Juvat propoſitum Textum magìs exenterare, ut intentio mea clariùs eluceſcat. Refert S. Matthæus defunctum Corpus Regis cœleſtis ſepulchro cuidam, ceu arcæ incluſum, & ſigillorum appreſſione occultatum fuiſſe: ***Munierunt ſepulchrum,*** vel ùt lectio Arabica habet: ***Clauſerunt ſepulchrum.*** Quatenùs hoc Divinum Corpus ab oculis hominum removerent, eique nullum venerationis locum relinquerent. Cornelius hoc apertiùs oſtendit: ***Sigillantes annulô Summi Concilii ipſorum.*** Clauſum ſepulchrum publicis ſigillis munierunt, ut nemini illud unquam perſringere liceret. Hâc formâ adorandum illud corpus brevi tempore cuſtoditum fuit. Aſt ubi fama vulgante in notitiam S. Petri, & S. Joannis perveniſſet, illud inviolatis ſigillis in apertum prodiviſſe, &

Matth. 27. v. 66. Lectio Arabica hic.

Cornel. in Matth. hic.

& publicam venerationem obtinuiſſe, ruptis illicò moris in pedes ſe conjecerunt, & effuſo curſu ad ſepulchrum contenderunt: *Currebant.* Quid eſt hoc, ait quidam Expoſitor? Tam pedulca pedemata modeſtiæ religioſæ è diametro adverſantur! tam incitatus curſus cum exiſtimatione hominis gravis, & maturi plurimùm pugnat: *Deſpiciunt ſuam authoritatem, & ſuum honorem* (ſcribit Sylveira) *quòd, cùm eſſent homines venerabiles, ac magnæ reputationis viri, ſic currerent.* Cur itaque viri adeò Sancti authoritatem ſuam, & honorem in hac occaſione protriverunt? Sed perperàm locutus ſum! non enim illi honorem ſuum tunc protriverunt, ſed eum potiùs novô additamentô auxerunt; maxima ſiquidem exiſtimatio eis indè acceſſit, quòd in die adeò feſtivo gaudiis ſuis frena laxaverint.

Sylv. in Evang. To. 5. lib 9. c. 8. q. 1.

Ego ſanè hodierna die nullam lætitiæ demonſtrationem ſuperforaneam eſſe ducerem, qua conceptam vim gaudiorum noſtrorum mundo teſtatam faceremus; cùm enim tantis laboribûs, & anxietatibûs conflictati fuerimus, ut Sacro Corpori glorioſiſſimi Patris, & Patriarchæ noſtri publicam venerationem evinceremus, congruum, dignúmque eſſe judicarem, ut præſentia gaudia exantlatos labores, & anxietates noſtras ſuperarent, aut certè æquarent. Non tamen improbo, quòd lætitia noſtra religioſæ modeſtiæ terminos non egrediatur, ſed ſolùm dico, neminem mirari potuiſſe, ſi gaudia noſtra gravitatis lupatos excuſſiſſent, cùm id ipſum à Davide quondam factum fuiſſe didicerimus, qui ſepoſita nonnihil authoritate purpuræ ſuæ lætitiâ ſtimulatus publicè ſaltavit: *Saltabat totîs viribûs*, ùt ſacra Scriptura refert, quæ tam exacta deſcriptione formam illius myſticæ arcæ depinxit, ut videatur hodiernam feſtivitatem noſtram delineare voluiſſe. Præmittendum tamen putavi, arcam illam diverſas ſtationes ſortitam fuiſſe, antequàm Hebræus ille Monarcha tantâ pompâ, & ſolemnitate eam Hieroſolymas tranſtuliſſet; ſtetit enim aliquando in Silo, undè translata fuit in domum Abinadab, & ex hac in domum Obededom, à qua eam rursùs David abſtulit, ut eam altari majori imponeret.

2. Reg. c. 6. v. 14.

Hæc pictura tam accuratè fortunam S. Corporis noſtri exprimit, ut nefas eſſe putarem, ei vel minimam lineam orationis penicillô ſuperaddere. Varias ſiquidem ſtationes & ipſa quoque arca obtinuit, quæ Reliquias, ſive Corpus mei glorioſiſſimi Patriarchæ, S. JOANNIS de Matha aſſervat; nam ab anno milleſimo, ducenteſimo,

Digitized by Google

ſimo, decimo tertio, quô vir iſte beatus ad ſuperos tranſiit, usque ad annum milleſimum, quingenteſimum, quinquageſimum quintum Roma tantum theſaurum poſſedit, qui annô citatô in Hiſpaniam deindè translatus, & Tribunali Nunciaturæ Madritenſis ſub forma Depoſiti concreditus fuit: Indè ad imperium Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Durazii in hunc noſtrum Conventum ſub iisdem Depoſiti legibus migravit, & ſinè earum violatione hodiè tandem in hoc altari publicæ venerationi expoſitus fuit. Conferamus nunc quatuor illa loca, in quibus diverſata eſt arca Teſtamenti, cum illis quatuor ſtationibus, quas obtinuit arca, in qua Corpus mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha ſub ratione Depoſiti continetur. Arca Teſtamenti, quam David poſteà tranſtulit, à Cariathiarim aſportata fuit ad domum, vel palatium Abinadab. ***Cariathiarim*** idem ſonat, ***ac Civitas ſylvarum, vel montium***, & Abinadab idem, ***ac Pater ſpontaneus.*** Hi colores citrà ullam obſcuritatis umbram clariſſimè oſtendunt, arcam S. Corporis noſtri translatam fuiſſe ab illa civitate, quæ ſeptem montes ſuô gremiô complectitur, undè & ſepticollis dicitur, ad palatium unius Principis, qui ex ſuo officio Pater, & princeps eſt. Lyranus ex adverſo propugnat, quòd ***Cariathiarim*** idem ſit, ***ac Conventus gentium***, id eſt: emporium omnium Nationum. Quæ ſi vera ſunt, nulla re aptiùs, meliúsque deſcribi potuiſſet prima Translatio, qua S. Corpus Româ ad Dominum Nuncium in Hiſpaniam deportatum fuit.

**In fine Bibl. de interpret. nom. Hebræor.**

**Lyran. in gloſſ. ſup. illa verba: Miſerunt nuncios ad habitatores Cariathiarim 1. Reg. c. 6. v. 21.**

Non tamen ibi ſemper ſubſtitit arca Davidis, ſicut nec hìc arca Corporis S. JOANNIS de Matha; prior námque arca à Palatio Abinadab poſt aliquot annorum intervalla translata eſt in domum Obededom, cujus nomen interpretatum dicitur. ***Servus hominis.*** Cùm autem præſens arca, quam veneramur, aſſervet oſſa cujusdam hominis, licèt magni, & Sancti, vix melius quid, aut convenientius fieri potuiſſet, quàm ut deponeretur in domo ejus filiorum, & ſervorum. Hactenùs in veſtibulo duntaxat hæſi, nunc verò ipſa adyta, & penetralia ſubibo. Decreverat David Arcam Teſtamenti Hieroſolymas perducere, ut in hac civitate honorificentiore cultu mactaretur, ùt Cornelius à Lapide diſertis verbis fatetur: ***Adduxerunt arcam, ut magis honoraretur.*** Atque in hunc finem proceribus ſuis, & Sacerdotibus opiparum adornavit convivium, cunctiſque ritè præparatis, impulſu ſui zeli, & affectûs juſſit initium dari publicæ ejus venerationi, quin vel minimam circumſtan-

**Cornel. hic.**

tiam præteriret, quam tanti feſti dignitas, ac ſolemnitas depoſcebat:
2. Reg. 6. v. 15. *David, & omnis domus Iſraël ducebant arcam in jubilo, & in clangore buccinæ.* Quæ verba ſunt adeò propria, ut tam inſignium virorum conſeſſui, qui coràm adeſt, & ab ore meo pendet, injuriam irrogarem, ſi ea vulgari idiomate exponere vellem.

Supereſt proinde unicum duntaxat dubium, quod priùs è medio tollendum eſt, antequàm ad ulteriora progrediar. Si hæc Arca ſemper fuit ſub poteſtate, & jurisdictione Davidis, quô bonô inſtitutus fuit totus apparatus hujus adeò ſolemnis translationis? Textus dicit, hoc idcircò factum fuiſſe, ut Arca proprio ſuo loco imponeretur:
2. Reg. ibid. v. 17. *Impoſuerunt eam in loco ſuo.* Aſt quomodò hôc pactô in ſuo proprio loco collocata fuit? Nemo, quæſo, offendatur! ego mentem meam nunc clariùs explicabo. Erat quidem Arca Teſtamenti etiam priùs ſub dominio, & poteſtate Davidis, ſed in loco abſtruſo repoſita, & ab oculis hominum ſemota, utpote quæ in ſacello, aut ſecreto oratorio (*) domus Obededom ingloria latebat; hìc autem nulla veneratione publica excolebatur: quamvis autem tam ſancta fuerit, nihilominùs in poteſtate Davidis permanſit, non tamen in ſuo loco; carebat enim debito cultu, atque adeò in talem locum transferenda erat, in quo ei cultus iſte ab omnibus exhiberi poſſet. Sed in quem locum erat transferenda? Aut in quo collocanda? Nónne hoc jam ex S. Scriptura oſtendi? Rursùs itaque dico: *In loco ſuo* proprio. Sed quis eſt iſte locus proprius?
2. Reg. ubi ſup. *In medio Tabernaculi.* Reſpondet idem Textus. In loco nimirùm decentiori, & ſublimiori (talis eſt enim proprius locus ejus) in medio altaris, in quo Tabernaculum habetur. Hic locus, in quo Arca veteris Teſtamenti requievit, eſt idem prorſus, quem in hac ara occupat pretioſum Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha.

(*) Locus, in quo S. Corpus ſub forma Depoſiti jacuit, fuit ſacellum, ſive oratorium N. V. P. Fr. Thomæ à Virgine.

Supervacaneum nunc laborem ordirer, ſi tam prudenti Auditorio hujus Textûs applicationem proponere vellem: Sciendum eſt tamen, quòd non ſolùm Arca, verùm etiam Manna in illo loco fuerit: Hoc autem Manna, ùt neminem fugit, typum geſſit illius Domini, qui ſub candidiſſimo panis velo honorificam ſtationem in hoc throno obtinet. Quod ſi nunc in memoriam revocare voluerimus, quæ Berchorius, & cum eo Lauretus de Davide literis commendârunt, ipſum ſcilicet exactiſſimum prototypon fuiſſe zeloſi cujusdam, & perfecti Prælati: *David eſt figura Prælati.* Pluribûs colo-

Berch. in Diction. verbô *David* Lauret. in ſylva Allegoriarum verbô *David.*

coloribûs pro hac pictura opus non habebimus, cùm omnes circumſtantiæ hodiernæ feſtivitatis in ea accuratiſſimè delineatæ viſantur; Arca enim veteris Teſtamenti fuit hieroglyphicum Arcæ, quam impræſentiarùm feſtiva veneratione colimus. Manna fuit ſymbolum Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quod coràm proſtat. David porrò fuit perfectiſſima imago ſupremi Ducis, & Superioris noſtri, qui ſatageo ſuo labore, & impigrâ ſuâ diligentiâ hos publicos honores S. P. N. JOANNI de Matha conciliavit. Cæterùm omnes hæ circumſtantiæ adeò tumultuariè, & incomptè à me deſcriptæ fuerunt, ut neceſſe habeam veniam poſtulare ruditatis meæ, & pro auſpicanda pictura hodierni ſermonis implorare favorem gratiæ: Ave MARIA.

R. N. P. Generalem intelligit.

Conſtare ex ſufficientibus probationibus, &c.

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Matth.* 10. *v.* 16.

UNa declaratio totum pretium, & dignitatem hodiernæ feſtivitati noſtræ aſſeruit. Dixi, unica declaratione pretium, & dignitatem hodiernæ feſtivitatis noſtræ partam fuiſſe. Et ità prorsùs res ſe habet; declaratio enim, quam Decretum, Româ in Heſperias oras allapſum, in ſe continet, hæc feſtiva gaudia excitavit. Sed quid tandem in eo declaratur? Nempe ex ſufficientibus probationibus abundè conſtare, quòd præſens corpus ſit verum corpus mei glorioſi Patriarchæ jam defuncti, & quòd ei publica veneratio debeatur. Mirabilis rerum conjunctio! Decretum Pontificium tantùm de hoc S. Corpore loquitur: *Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit.* Sacrum autem Evangelium non ſolùm corpus, ſed totum noſtrum Sanctum ſub emblemate ovis, ſerpentis, & columbæ depingit: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum: Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Quid itaque factu opus, ut inter ſemitas adeò diverſas rectum callem tangamus? Si Evangelium ſecuti fuerimus, Sanctum noſtrum, ut vivum delineemus, neceſſe eſt; hoc autem à meo propoſito abhorret, qui de ſolo cultu ejus corporis loqui conſtitui: Si verò de ſolo corpore ſermonem pertexuero, Evangelium mihi penitùs è manibus dimittendum erit. Quid itaque agam? Aut quò me vertam? Equidem res foret mi-

nimè operoſa corpus mortuum illís coloribûs adumbrare, quos vivens præſetulit, ſed apertiſſimís, & irrefragabilibûs argumentís comprobare (quod mihi incumbit) ejus propriam identitatem; huic námque baſi hodierna Declaratio innititur: *Conſtare*, ità ſonant verba Decreti, *ex ſufficientibus probationibus*, hoc demùm opus, hic labor eſt; neceſſe ſiquidem eſt probare, hoc Corpus eſſe ipſiſſimum Corpus Sancti noſtri, quia ùt tale publicum cultum meretur. Non ſum neſcius, ſupremum CHRISTI Vicarium id ſuô Decretô prolixè jam declarâſſe. Sed ſi in ſcholis etiam circa materias, quæ ſunt de fide, rationes admittuntur, quibûs idipſum probetur, quod, quia de fide eſt, rationem excedit, nemo mihi jure vitio vertet, ſi adductís argumentís id ipſum probavero, quod à Sede Apoſtolica jam deciſum fuit, videlicet, hoc eſſe ipſiſſimum Corpus S. JOANNIS de Matha, & tamquàm tale omnem venerationem promereri. Ad hæc perſpicuè comprobanda uſus vulgatus obtinuit: ut ſigna obſerventur, quæ defunctus præſetulit, quando vitalí ſpiritû artus ejus etiamnum animati fuerunt, & hæc ſigna illis conferantur, quæ in ejus cadavere deprehenduntur.

Quodſi nunc ſigna iſta inter ſe bellè conſpirent, extra controverſiam eſſe cenſetur, tale corpus exanime eſſe prorsùs idipſum, quod viventis fuit. Hoc itaque mihi hodierna luce probandum eſt. Decretum Pontificium exanimi corpori publicos honores ſtatuit: *Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit.* Evangelium depingit colores, quibûs in vita refulſit, ut hos conferendo illis, quos mortuum corpus retinet, certè colligere poſſimus, hoc eſſe Sanctum ejus Corpus, cui publicæ venerationis triumphus meritò ſit exhibendus. Non ego quidem iſtud aſſevero, me optimam rationem hujus rei probandæ inveniſſe, ſed hoc tantùm dico, eam mihi ad meum propoſitum aptiſſimam viſam fuiſſe, cùm ex illa S. Corporis identitas facilí negotiô deduci queat. Demonſtrabo proindè, omnia ſigna, quæ hiſtoriæ huic S. Corpori, cùm adhuc in vivis ageret, conſonis ſuffragiis tribuunt, apertiſſimè teſtari, hoc eſſe prorsùs idem cum illo: Seriem autem præſentis ſermonis in duo puncta partiar, quorum primum oſtendet, hiſtorias omnes ubique teſtari, quòd attenta ſimilitudine actuum hoc ſit verum ejus Corpus, alterum demonſtrabit, quòd hiſtoriæ, conſideratís hujus S. Corporis prodigiis, teſtentur illud eſſe idem cum ipſo, quod in vita ſua tot mirabilia patravit.

PUN-

Digitized by Google

# PUNCTUM I.

IN primo hodiernæ Concionis puncto, me oſtenſurum promiſi, quòd omnia ſigna, quæ nobis hiſtoriæ de hoc corpore, cùm adhuc animâ ſuâ gubernaretur, ſuppeditant, attenta actuum ſimilitudine irrefragabiliter evincant, hoc eſſe verum Corpus S. JOANNIS de Matha. Non tamen intendo alicui perſuadere, hoc S. Corpus eſſe animatum, ſed hoc ſolùm, quòd ſit ſpeculum ejuſdem, cùm adhuc vitali aurâ frueretur. In cryſtallo reflexio, ſive retorſio radiorum diverſas formas exprimit, pro diverſitate nimirùm rerum ſpeculo alicui obverſantium, nemo tamen propterea aſſeruerit, hoc radiorum ludibriô duas vitas effingi, ſed unam ſolam. Quid itaque illud eſt, quod hominem adeò ad vivum repræſentat? Eſt imago, ſive idea illius: ſufficiunt autem ſola ſigna alicujus imaginis, ut ejus prototypon agnoſcatur. Quis ibit inficiàs, ex ſolo aſpectu alicujus imaginis, quam radiorum reflexio depinxit, perſpicuè comprobari poſſe identitatem hominis repræſentati? Id ipſum prorsùs cum S. Corpore noſtro uſuvenit; hoc enim ſigna viventis tam accuratè exprimit, ut de ejus identitate in dubium revocanda nullus relictus locus ſuperſit.

Nemo eſt adeò in S. Literis hoſpes, ut ignoret prodigium, quod in virga Aaronis patratum fuit; hanc Moyſes aliis duodecim immiſcuit, quibus in priſtina ariditate perſiſtentibûs, hæc ſola cœpit breviſſimo tempore non ſolùm in virides frondes prorumpere, ſed & fructus parturire: ***Turgentibûs gemmîs eruperant flores, qui foliîs dilatatîs in amygdalas deformati ſunt.*** Nullum, quod meo excelſo Patri meliùs conveniret ſymbolum, excogitare potuiſſem, quem exiguô temporis intervallô viderunt ſcholæ laureatum, & abundantiâ fructuum, florúmque ſuorum, qui ex fertili ejus ingenio germinaverant, omnes in ſtuporem rapientem, cùm Theologica arcana ex loco ſuperiore enuclearet. Sed non dimittamus hunc Textum. Quæri haud abs re poteſt, quorsùm tandem devenerit hæc virga prodigioſa? Reſpondent Interpretes cum S. Paulo, eam in Arca repoſitam fuiſſe: ***Repoſita eſt in Arca.*** Sed undè conſtat, virgam prorsùs Aaronis, & non aliam in Arca receptaculum habuiſſe? Neminem latet, ambos fratres, Moyſen nimirùm, & Aaronem ſuis virgis, & quidem prodigioſis inſtructos fuiſſe: undè cùm ambæ tantam ſimilitudinem retulerint, dubitari meritò poteſt,

**Num. 17. v. 8.**

**Ad Hebr. c. 9. v. 4. Vide à Lapide in Epiſt. Pauli ad Hebr. hic.**



Digitized by Google

an non potiùs ſcipio Moyſis, quàm virga Aaronis myſticæ illi arcæ incluſus fuerit? Negant tamen Expoſitores tale dubium circà identitatem hujus virgæ emergere potuiſſe. Ratio in promptu eſt; interrogat enim doctiſſimus Abulenſis, utrùm hæc virga flores, fructúsque ſuos, quos extemporaneâ fœcunditate pepererat, in reliquum deinceps ævum conſervârit? Et reſpondet affirmativè, cui etiam Cornelius à Lapide ſuffragatur, qui teſtatur: *Hanc virgam nunquam fuiſſe deſiccatam, ſed ſemper permanſiſſe cum floribus, vel potiùs fructibus.* Sed in quem finem fuit taliter conſervata? Ad comprobandam ejus identitatem: *Hoc enim*, ſcribit ſupra citatus Cornelius à Lapide, *poſteris probari non poterat per virgam ſiccam, ſed virentem.* Cui adſtipulatur Abulenſis his verbis: *In ea* (id eſt virga) *iſta ſemper conſervata ſunt, ut eſſet perfecta probatio: ſi enim pòſt emarcuiſſet cadentibûs foliîs, & fructibûs, ab aliis virgis nihil differre videretur, & ſic non plenè probaret, ſi autem ſemper frondens eſſet, nullus in probatione dubitare valeret.*

A Lapid. in Num. ſup. c. 17. v. 8.

A Lap. ibid.

Abul. q. 11. ſup. cap 17. Num. ad eand. 106.

Libet id clariùs oſtendere: Signa, quæ hæc virga præſetulit, cùm adhuc, ſuæ radici conjuncta, vitâ vegetabili gauderet, erant folia, flores, & fructus, quamvìs autem deinde hâc vitâ vegetabili privata fuerit, folia tamen, fructus, ac flores germinare non deſiit. Neque hìc ſtetit prodigium, ſed & poſtquàm Arcæ incluſa fuit: *Repoſita eſt in Arca*, poſt evoluta plurimorum annorum curricula ſemper flores, fructúsque ſuos mordicùs retinuit: *In ea iſta ſemper conſervata ſunt.* Atque hæc demùm fuit vera, & genuina probatio: *Ut eſſet perfecta probatio* ejus identitatis, quâ cognoſci poterat, hanc eſſe virgam Aaronis, non autem Moyſis. Evicimus identitatem, quid itaque faciendum reſtat? Quæritis, quid faciendum reſtet? Nihil aliud ſanè, quàm ut ad imitationem Salomonis eam inter ſexcentas gaudiorum demonſtrationes ſupremo ſolio hujus templi, id eſt altari, imponamus; comprobata ſiquidem identitate ei ex juſtitia publica veneratio debetur.

2. Paralip. cap. 5. v. 7.

Speciosa profectò, & floridiſſima virga in vernante Eccleſiæ viridario fuit glorioſiſſimus Pater, & Patriarcha meus, S. JOANNES de Matha: porrò quamvis inexorabilis Parcarum ſævities frondentem hanc virgam reſecuerit, ei tamen nativam ſuam fragrantiam tollere non potuit, licèt S. Corpus in anguſtam tumbam præcipita-

Hiſt. Chron. S. JOAN. de Mat. l. 2. c. 17. n. 536.



Digitized by Google

verit; nam ut cœleſtis ejus odor lætiùs, latiúſque ſeſe diffunderet, neceſſarium fuit, ut primitivo ipſius ſepulchro, quod Romæ habuit, patens foramen incideretur. Erat hoc Sacratiſſimum Corpus in vita ſua mundiſſimus alabaſtrus cœlico odore refertus, qualem S. Paulus evaporabat, qui de ſe, ſuique ſimilibus dicebat: *CHRISTI bonus odor ſumus.* Deſiit tandem vivere, quando in oſculo Crucifixi feliciter expiravit, quamvis nè ſic quidem fragrare deſierit, utpote, qui præter omnem naturæ ordinem tantam vim præſtantiſſimi odoris effudit, quantam Roma vix unquam aliàs perſenſit, quæ ſatis admirari non valuit, quomodò ex mortui hominis corpore tanta fragrantia ſcaturire poſſet. Innocentius III. P. M. totô Purpuratorum Patrum Collegiô ſtipatus venerabiles ejus exuvias propriis manibûs ſarcophago impoſuit, illiſque ultima juſta auguſtiſſimo ritu perſolvit, quas cùm paulò pòſt in novum ſepulchrum, è pario lapide fabrefactum, transferre pararet, invenit ingentem olei copiam, quod ſacrum illud corpus in veteri ſuo tymbo diſtillaverat, cujus dulciſſimâ fragrantiâ totum templum repletum fuit. 2. ad Cor. 2 v. 15.

Cùm Iſaac Patriarcha Jacobo filio ſuo paternam benedictionem impertiri conſtituiſſet, exclamavit, dicens: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni.* Cornelius à Lapide ex Hebræo ejus mentem nobis clariùs aperit: *Percipio miram fragrantiam filii mei.* Hæc fragrantia, quam Jacob exhalabat, erat indicium, aut potiùs effectus, ùt S. Ambroſius ſcribit, exquiſitiſſimi odoris interni, quem virtutes ejus evaporabant: *Pulchrè, & verè de Jacob dictum eſt: Ecce odor filii mei: erat enim Jacob perfectus in omni flore virtutum.* Bonus itaque odor ille, quem vita ejus diffundebat, conſervabat ceu ſignum identicum corpus ejus in tam grata fragrantia. Nunc notetur, quòd Iſaac hac probatione convictus, filio ſuo talî verborum formulâ benedixerit: *Serviant tibi populi! adorent te Tribus, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Et ùt addit gloſſa interlinealis Lyrani: *Incurventur ante te adorantes*, in ſignum ſuæ erga te obſervantiæ, & reverentiæ. Nónne idipſum aliis duntaxat verbis Decretum expreſſit, quod Sanctiſſimus Pater Innocentius XIII. in favorem hujus S. Corporis expedivit; verba ſiquidem illa: *Publicæ venerationi exponi poſſit*, idem ſonant, ac ſi dictum fuiſſet: Serviant tibi publica veneratione populi! Adorent te Reges, & Principes horum regnorum! Re-

Geneſ. 27. v. 27.

Cornel. in Geneſ. hic.

D. Ambroſ. lib. 2. de Jacob, & vit. beat. c. 1.

Geneſ. 27. v. 29.

Lyran. in interl. hic.

Re-

vereantur te, genua curvando, filii matris tuæ Eccleſiæ! Sed quare? Cur fuit ei aſſerta hæc publica veneratio? Quia ex actuum, & eventuum ſimilitudine luculenter probatur, hoc Corpus eſſe S. Corpus ejus. Multa ſunt, quæ hic dici poſſent; grande ſiquidem mihi negotium faceſſit Promotor Fidei deſideratiſſima quadam objectione.

Vates Huſſæus Anatomicô calamô compagem humani corporis deſcribens, ait: *Pelle, & oſſibûs veſtiſti me: oſſibûs, & nervîs compegiſti me.* Oſſa ſunt individui ſodales carnium, quarum molli tegmine veſtiuntur, & communi ſanguinis calore foventur. Cæterùm in Depoſito hujus pretioſæ urnæ nec caro, nec ſanguis, nec pellis, aut nervi inveniuntur, ſed nuda duntaxat oſſa: Ex quo infertur, hoc non eſſe Corpus illud, cui publica veneratio debetur; allatæ ſiquidem probationes ejus identitatem non convincunt. Adhuc plùs. Certum eſt, & indubitatum, ad demonſtrandam identitatem exanimis cujusdam corporis neceſſarium eſſe, ut ſigna conſiderentur, quæ in illo obſervata fuerant, cùm vitalem adhuc ſpiritum reciprocaret: Signa autem, quæ S. hoc Corpus in vita ſua præſetulit, ſunt eadem cum illis, quæ S. Job in ſua Anatomia proponit: *Pelle, & carnibûs: oſſibûs & nervîs.* Cùm verò nihil horum in hoc Corpore cernere liceat, utpote quod ſola oſſa retinet, legitimè infertur, ei publicum cultum haudquaquàm deberi, quia ſigna exteriora ejus identitati non ſuffragantur.

Job. 10. v. 11.

Ingenuè profiteor, hanc objectionem eſſe perquàm acutam, non tamen adeò difficilem, ut ſolvi non poſſet. Non abnuo itaque, in iſto corpore veſtigium nullum carnis, aut ſanguinis extare, dico autem hanc ipſam abſentiam carnis, & ſanguinis eſſe apertiſſimum argumentum ejus identitatis; ille enim, qui etiam in vita ſua à carne, ac ſanguine ſeparatus ſemper fuit, eis in ſepulchro adhæreſcere non potuit. Hoc ego nunc cumulatiùs oſtendam, alteram aciem partis adverſæ convellendo. Vos ego appello Alpes Cotias! Vos Montana Brodeliæ! Te quoque Conventum Romanum! Dicite, ubinam Sanctiſſimus incola veſter carnem ſuam, & ſanguinem reliquerit? Nullô hìc opus eſt Reſponsô; terra ſiquidem hoc pretioſo murice tincta, & parietes hoc ſacro cruore undique reſperſi prolixè oſtendunt, quid de illis actum fuerit, & in quo loco remanſerint. Idem nobis dicent cilicia, catenæ, ferreique pectines, quibûs carnes ſuas laniavit, & vulnificis ſulcis ad ipſam usque coſtarum cratem

Hiſt. Chron. S. JOAN. de Math. l. 1. c. 4 N. 71. & cap. 11. N. 145. & c. 12. N. 153. & l. 2. c. 2. N. 201.

Digitized by Google

tem penetravit. Idem teſtatur ſanctiſſimum Corpus ejus, quod inimica vi ingeſtorum cruciatuum adeò exhauſtum fuit, ut etiam cùm in extremis ageret, & ignita febris membra ejus depaſceret, aſperam tamen catenam retinuerit, quæ cæteras carnis partes exederet, quas febris intactas reliquerat. Quamobrem cùm ei etiamnum vivo antiquiſſimum ſemper fuerit oſſa denudare, evidenter colligitur, hoc demùm eſſe verum, & proprium ejus corpus, quod nuda duntaxat oſſa oſtentat; hæc námque nuditas eſt maxima probatio, quæ ejus identitatem clariſſimè convincit. Hiſt. Chron. mox citata l. 2. c. 26. N. 514.

Cùm Diviniſſimus Salvator noſter poſt glorioſiſſimam ſuam Anaſtaſim ſpectabili formâ Diſcipulis apparuiſſet, quidam ex illis de Ejus identitate dubitare cœperunt, & quem præſentem Corpore habuerunt, incredulitatis caligine obnupti procul abſentem putaverunt; nam cùm adorandum ejus corpus coràm vidiſſent, illi longè alia ſomniaverunt, nec quidquam minùs quàm præſentiam corporis Ejus crediderunt: ***Exiſtimabant ſe ſpiritum videre.*** In quem locum Cajetanus ità commentatur: ***Hoc eſt ſpiritualem aliquam ſubſtantiam aërei corporis.*** Et Sylveira: ***Exiſtimabant ſe ſpiritum videre ipſius JESU, ſumpta effigie corporis JESU apparenter.*** Non dubitabant itaque de Ejus ſpiritu, ſed ſolùm de corpore ipſius, quòd, licèt eis priori ſimile viſum fuerit, ipſum tamen eſſe non arbitrabantur. Ut proinde totum dubium circa identitatem corporis exortum fuerit: ***Palpate, & videte.*** Hiſce verbis Increata Sapientia diſcipulos ſuos affata fuit: In quæ Cajetanus ità ſcribit: ***Palpate me, & certificate vos.*** Quodſi enim hoc verum corpus non ſit, ait ſupremum decus Romanorum Pontificum, tactus in eo jurisdictionem ſuam exercere non poterit: ***Quod palpatur, corpus eſt.*** Luc. 24. v. 37. Cajet. hic. Sylv. tom. 5. in Evang. l. 9. cap. 4. expoſit. 1. N. 2. Cajet. hic in v. 39. S. Gregor Mag. cap. 24. v. 39

Equidem incunctanter admiſiſſem hoc eſſe verum corpus: ***Corpus eſt.*** Sed quis mihi perſpicuè probâſſet, hoc eſſe ipſum CHRISTI Corpus? Dubium iſtud hac ratione eliditur: ***Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum.*** Quæ verba Cardinalis à S. Sixto ità exponit: ***Confoſſas manus, & pedes in teſtimonium producit, quod ipſemet eſt.*** Argumenta irrefragabilia pro comprobanda identitate hujus Diviniſſimi Corporis ſunt vulnera, & plagæ in ſacratiſſimis illis manibus, pedibus, & latere relictæ. Luc. 24. v. 39. Cajet. in Evang. Luc. ubi ſup.



Digitized by Google

ctæ. Hi itaque vulnerum hiatus, hæc caro, & pellis, quæ claudendis vulneribus deeſt, identitatem hujus adorandi Corporis maniſeſtiſſimè proteſtantur; nam cùm hæc ſigna vivens habuerit, quæ immites carnificum manus ei inſculpſerant, illìs poſt mortem oſtenſìs abundè evicit, hoc Corpus eſſe idem prorsùs cum priori: *Quod ipſemet eſt.* In hunc modum ſacrì Expoſitores hanc controverſiam definiunt. Interrogant enim, cur CHRISTUS hæc vulnera in ſuo corpore glorioſo retinere voluerit? Et reſpondent, ut irrefragabili teſtimoniô probaret, hoc eſſe verum corpus Ipſius: *Servata fuiſſe illa vulnera, ut certiſſima, & irrefragabilia ſigna veritatis ſui corporis; quia apertè oſtendebant ſtigmata illud corpus, quod vivum apparebat, fuiſſe idem numerô, quod in cruce pendebat.*

Sylv. tom. 5. l. 9. c. 4. q. 8. N. 44.

Hæc fuit ratio, cur CHRISTUS vulnera ſua Diſcipulis ſuis in Congregatione quadam ſpectanda propoſuerit, ut omne dubium de ejus identitate è mentibus ſuis proſcriberent: *Erant diſcipuli congregati .... venit JESUS, & oſtendit eis manus, & latus.* Sed quia huic Congregationi S. Thomas non interfuit, omnia in dubium revocavit, dicens: *Nisì videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Res eſt admodùm operoſa litigioſo alicui ingenio quidpiam perſuadere. Sed quia res iſta eſt adeò difficilis, veni igitur, dixit CHRISTUS ad S. Thomam, veni, & vide hæc ſigna: *Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus.* Cornelius à Lapide de hoc caſu ità loquitur: *Manſit ergò Thomas incredulus, donec explorans vulnera CHRISTI, ex his cognovit ipſiſſimum eſſe.* Nam cùm vidiſſet, corpus illud etiamnum ſua carne eſſe deſtitutum, quam ei in vita vulnera ademerant, protinùs tam maniſeſtis probationibus victas manus præbuit, atque hìs ſignìs perſuaſus, firmiſſimè credidit, hoc eſſe ipſiſſimum corpus ſui Divini Magiſtri: *Ex his cognovit ipſiſſimum eſſe.*

Joann. 20. v. 19. & 20.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 27.

A Lapid. in Joann. hic. in v. 28.

Hæc dum mecum mente revolvo, videor mihi in hoc facto Evangelico, non tam rudem quandam ſciagraphiam, quàm accuratiſſimam delineationem noſtri casûs intueri. Thomas enim priùs in Congregatione dixerat: *Ubi erant diſcipuli congregati,*

ſibi

ſibi prorsùs non conſtare de identitate Divini Corporis; ſed cùm altera vice res eadem in examen deducta fuiſſet, allegatæ ſunt probationes tam evidentes, ut earum vi preſſus Thomas palinodiam cecinerit, primam opinionem ſuam retractando, & identitatem Sacratiſſimi Corporis mordicùs deinceps propugnando. Hoc refert Evangelium de Corpore CHRISTI, & idipſum uſuvenit cum Corpore mei S. JOANNIS de Matha; etenim cùm annô milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimô nonô, & deinceps annô milleſimô, ſeptingenteſimô, decimô quintô, Sacræ Congregationi ſupplices preces porrexiſſemus pro impetranda declaratione ejus identitatis: ***Negativum***, ùt Decretum loquitur, ***prodiit reſponſum, non conſtare videlicet de identitate.*** Sed cùm hæc petitio rursùs alia vice ad S. Congregationem perveniſſet, talis reſolutio prodivit: ***Juribûs denuò deductîs exactiùs, atque perpensîs reſcribendum cenſuit***: ***Prævio receſſu à deciſis conſtare ex ſufficientibus probationibus ad effectum, ut Corpus S. JOANNIS de Matha publicæ venerationi exponi poſſit.*** Sed de identitate iſta ſufficiant. Revertamur nunc ad Sanctum Thomam, & videamus, qualiter publicæ venerationi hujus S. Corporis præluſerit. Vix Sanctus iſte de identitate Divini Corporis convictus fuerat, dum ille protinùs in genua procumbens ejus cultum declaravit, illúdque in præſentia totius Sacri Collegii adoravit, dicens, ***Dominus meus, & DEUS meus***, vel ùt verſio græca apud Cornelium legit: ***Tu es ille Dominus meus: Tu es ille DEUS meus.*** Eo itaque prorsùs tempore, quo identitatem adorandi illius Corporis confeſſus eſt: ***Tu es ille, Tu es ille***, ſimul in genua provolutus, ei publicum cultum, & venerationem detulit; nam, ùt quidam Expoſitor ſcribit: ***Hîs verbîs adorationem exbibuit.*** Confectaneum ſcilicet erat, ut prona veneratione illud corpus adoraret, de cujus identitate ei jam conſtabat. Idipſum nos agimus hodierna die, qui Corpus mei glorioſiſſimi Patriarchæ, magnifico huic throno impoſitum, ſupplici veneratione colimus, cùm ex actionum, & eventuum ſimilitudine ſatis comprobatum maneat, hoc eſſe verum ipſius Corpus, quod in primo puncto præſentis Concionis me demonſtraturum promiſi.

**Joann. ibid. Lect. græc. hic in verſionibus Cornel. hic in Joann.**

**Sylv. in Ev. tom. 5. l. 9. c. 5. Expoſit. 3. N. 65.**

K 2 PUN-

# PUNCTUM II.

IN hoc puncto ſecundo mihi oſtendendum incumbit, quòd ſigna, quæ nobis hiſtoriæ de hoc S. Corpore referunt, ubertim teſtentur, conſideratis prodigiis, quæ hoc corpus poſt mortem patravit, dubitari non poſſe, illud idem eſſe cum ipſo, quod vivens tot miraculis inclaruit. Quamvìs autem mihi non ſit propoſitum, ut hìc loci totum Catalogum ejus prodigiorum contexam; impetrare tamen etiam à me non poſſum, ut non unum ſaltèm ex innumeris aliis in medium adducam, ubi præmonitos velim Auditores meos, illud non toto Sancti hujus corpore, ſed unico tantùm oſſe ejus peractum fuiſſe; nam ſi ex ungue, ut ſcitè quondam nonnemo pictorum dixit, cognoſcatur leo, & ex uno digito menſura gigantis erui poſſit, ſatis fuerit de unico oſſe dixiſſe, cùm proclivi conjectura poſteà divinari poſſint alia prodigia, à toto corpore patrata. Velivola quædam phaſellus prægnantibus carbasîs per cæruleos Oceani campos vehebatur, dum haud procul à litore Galliæ immani tempeſtate circumventa fuit; mare ſiquidem novas identidem fluctuum moles ex imo ebulliens tam impotenti rabie inſaniebat, ut nequidquam proficientibûs omnibûs humanis remediis præſentiſſima mortis imago cunctorum oculis obverſaretur. Viatores, qui in illa navi ferebantur, cùm ſeſe tantîs anguſtiîs obſeſſos cernerent, ardentiſſimis precibûs, quas decumana hæc neceſſitas imperaverat, nuncupatîsque votîs auxilium de cœlo implorabant, ſed caſſo eventu, ſuperîs ad eorum preces obſurdeſcentibus, & undîs magìs in eorum perniciem exardeſcentibûs. Ergò dum illi ſacrum inter, & ſaxum hærent, quidam eorum divino, ùt eventus declaravit, inſtinctu commonitus particulam oſſis, de Corpore S. P. N. JOANNIS de Matha, quam Cardinalis Gineti pro ſingulari dono Patri Generali Noſtræ S. Religionis deſtinaverat, in pontum jactavit, qui ſibi pinguem hunc bolum mirificè gratulatus illicò furias remiſit, & ad priſtinam ſuam tranquillitatem, ſolo hujus oſſiculi attactu placatus, gaudens redivit. Sed cujus ſancti fuit os iſtud? Mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha. Aſt unde hoc conſtat, cùm etiam ipſa Authentica (ùt vocant) eandem ſortem perſenſerint, utpote, quæ cum ſacro oſſe in mare abjecta fuerint? Scire vultis, unde hoc conſtet? Ex iiſdem nimirùm prodigiis ejus vitæ, quæ tanquàm certiſſima ſigna teſtantur, hoc oſſiculum non aliundè, quàm de Corpore hujus Sancti depromptum fuiſſe.

In vita S. Mames Martyr. Auth. P. Fr. Joſepho Moreno, ex noſtris PP. Calç. lib. 2. c. 6. §. 4. N. 34.

Per-

Pervolvamus hiſtorias. Notum eſt paſſim, qualiter Oceanus auſus ſit contra Sanctum hunc, in Galliam navigaturum, naufragos ſuos dentes exacuere, omnique reverentiâ poſtpoſitâ ei protervè inſultare, qui tamen extemplò tumidam ſuam cervicem contraxit, quamprimùm S. Pater noſter eum ſuo attactu cicuravit. Eventus eſt idem, ſed ut plura ſigna congeramus, in portum ſuccedamus. Sanctus noſter hac tempeſtate profligata ſecundiſſimis etheſiis Maſſiliam appulit: Ad eundem planè portum, poſt diſcuſſam æquoris intemperiem, ſacrum os ejus cum ſuis Authenticis delatum fuit. Eadem igitur hæc ſigna, quæ nobis hiſtoriæ proponunt, de ejus S. Corpore, cùm adhuc vitali ſpiritu perfunderetur, per miracula probant non ſolùm identitatem totius corporis, verùm etiam identitatem minimæ particulæ. Sed quid? Ergóne fors totum corpus ejus redactum fuit ad unum oſſiculum? Ità ſe res habet, non tamen phyſicè, ac realiter, ſed in virtute, ac prodigiis.

Cùm Incarnatus DEUS Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtitueret, ſingulis diſcipulis ſuum corpus adorandum ſub hac verborum forma communicavit: ***Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.*** Suſcipite theſaurum, quem vobis trado, in eo enim proprium corpus meum continetur. Notetur autem, CHRISTUM talibûs verbis hìc uſum fuiſſe, quæ ſimul totam identitatem ſui ſacratiſſimi Corporis comprobabant: ***Eſt corpus meum.*** Hoc Corpus inter diſcipulos diſtribuit pro repræſentanda morte ſua: ***Recolitur memoria paſſionis Ejus.*** Sed obſervandum eſt, quòd, ſi hoſtia conſecrata in minutas dividatur particulas, ſingulæ earum vitam in recipiente producant. Aſt quò pactô fragmen adeò exiguum ſufficere poſſit ad tam magnum prodigium patrandum, quale eſt hominem novo ſpiritu impertiri? Quia in ſingulis hoſtiæ fragmentis totum CHRISTI Corpus continetur. Hoc itaque, quod in ſanctiſſimo Sacramento realiter fit, præſtitit Corpus mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha in virtute. Cæterùm cùm & hic ſeſe occaſio offerat ejus identitatem comprobandi, eam mihi elabi non patiar. In ſanctiſſimo Sacramento Diviniſſimus Salvator noſter proprii oris oraculô identitatem ſui adorandi Corporis aſſeruit: ***Hoc eſt Corpus meum.*** Peculiaris autem effectus hujus pretioſiſſimi corporis eſt productio vitæ: ***Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*** Inter alia ſigna, quæ hoc Sacroſanctum Corpus præſetulit, antequàm in

Matth. 26. v. 26.

Eccleſia in offic. Corp. Chriſt.

Joann. 6. v. 95.



Digitized by Google

in ſchemate mortui ſub hoc candido velamine ſe abſconderet, primum facilè locum obtinuit, quòd homines vitali ſpiritu imbuerit; hic nàmque fuit altiſſimus ille finis, cujus gratiâ de cœlo in hunc mundum deſcendit, ùt ipſe teſtatus eſt, quando dixit: *Ego veni in mundum, ut vitam habeant.* Eadem ſigna hoc Sacratiſſimum Corpus retinuit poſt triumphalem mortem ſuam, utpote quod nè tunc quidem deſiit, nec adhuc deſinit vitalem ſpiritum hominibus communicare. Attenta igitur tam accurata prodigiorum ſimilitudine non licet dubitare, hoc eſſe ipſiſſimum CHRISTI Corpus, quod iiſdem ſignis refulget.

Joann. 10. v. 10.

Idem prorsùs, ſervata tamen debita proportione, in præſenti caſu dicendum eſt. Hoc Sacrum Corpus, cùm in vivis ageret, profuſa largitate hominibus vitam donabat, non ſolùm temporalem, quam conſervabat eleëmoſynis, aliiſque miſericordiæ operibûs, ùt hiſtoria ejus prolixè refert, ſed etiam ſpiritualem, quàm exundantibûs ſuæ doctrinæ fluentis rigabat, & augebat. In morte ſua tot prodigiis refulſit, ut Romam univerſam in ſtuporem rapuerit, quæ tantorum miraculorum magnitudine, ac præſtantiâ abſorpta ſacrum hoc corpus totô quatriduô humari non ſuſtinuit: poſt mortem autem haud interrupta ſerie eadem pergit operari prodigia etiam per minutiſſima ſui Corporis oſſicula. Hæc itaque miracula ejus identitatem neceſſariò confirmant, eique publicam venerationem conciliant.

Figueras in fragmentis. N. Melchior in ſua Hiſt. Chronol. l. 2. c. 22. N. 446. & cap. 25. N. 495.

Identitas Corporis Eliſei declarata fuit per quoddam organum SPIRITUS SANCTI; Eccleſiaſticus enim diſertè dicit: *Corpus ejus.* Sed undè conſtat, hoc eſſe genuinum corpus ejus? *Ejus.* Indè nimirùm, quia ſolo attactu ſuo etiam poſt mortem grandia miracula patravit: *Mortuum,* ùt locô ſupracitatô ſcribitur, *prophetavit corpus ejus.* Quæ verba doctiſſimus Cornelius ità exponit: *Prophetavit, hoc eſt miraculum edidit; prophetare namque ſumitur pro miracula facere.* Eliſeus in vita ſua plurima operatus eſt prodigia: expiravit tandem, & rursùs ex ipſo tumulo aliud inſigne miraculum ſolo attactu ſuo perfecit. Hoc itaque, ait Spiritus Divinus, eſt verum, & proprium corpus ejus, pro cujus identitate tanta prodigia militant.

Eccleſ. 48. v. 14.

A Lapid. in Eccleſ. hic.

Clariùs id elucеſcit ex verbis immediatè ſequentibus, quibûs S. Scriptura Eliſeo hoc texit elogium: *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia,* vel ùt legit Cornelius: *In vita ſua fecit prodigia:*

Eccleſ. ibid. v. 15. A Lap. ubi ſup.

*digia*: Cùm viveret, omnes ſuis prodigiis in ſtuporem dabat, poſt mortem opinatiſſimis rursùs miraculis omnes attonitos reddebat; ille ſiquidem non ſolùm in vita ſua, ſed etiam in morte, & poſt mortem, ſuo corpore grandia patravit prodigia: *Eliſeus ergò, & in vita, & in morte, & poſt mortem miracula patravit.* A Lap. ubi ſup. Poſsétne S. Scriptura aptiùs ad meum propoſitum loqui, quamvìs ex profeſſo identitatem Corporis mei S. Patriarchæ probare intendiſſet? Fecit prodigia in vita ſua! ità teſtantur hiſtoriæ: Patravit miracula in morte! Dicat hoc caput orbis Chriſtiani: operatus eſt denique mirabilia etiam poſt quadringentos annos, ab obitu ſuo elapſos, in ipſa Translatione ſua; cùm enim adulta jam nocte penès noſtrum Conventum S. Caroli portaretur, campanæ in ſignum gaudii, & lætitiæ ultrò inſonuerunt, nullius hominis manibûs pulſatæ.

Sed quid? Forſitan S. Corpori in deſideriis fuit, ut Romæ eriperetur, & in Hiſpaniam transferretur, cùm permiſerit, ut inſenſibile metallum quendam quaſi gaudii ſenſum conciperet, ejúsque translationi pro ſuo modulo applauderet? Ego quidem id dicere non auſim, conjecturam tamen ex translatione Joſephi formabo. Mortuus eſt hic DEI ſervus, & ſepultus in Ægypto: *Mortuus eſt & conditus aromatibûs, repoſitus eſt in loculo in Ægypto.* Geneſ. 50. v. 25. Notetur autem, S. Scripturam non dixiſſe: *Poſitus*, ſed *Repoſitus eſt.* Nónne videtur, ac ſi S. Textus non tam de cadavere Joſephi, quàm de Corpore mei S. Patriarchæ loqui voluiſſet, quod imprimìs ab ipſo Summo Pontifice Innocentio III. in decente quodam, & peculiari ſepulchro poſitum, poſteà verò in honorificentiori, & auguſtiori mauſolæo, à terra elevato, & ex pario lapide confecto repoſitum fuit: *Repoſitus eſt?* Non obſtante tamen ſepulchri magnificentiâ, Moyſes ex Ægypto egreſſus, aſportavit ſecum oſſa Joſephi: *Tulit Moyſes oſſa Joſeph ſecum.* Exod. 13. Si animos jam obſtinaverant ad corpus hoc auferendum, cur non ſtatim poſt mortem ejus illud ex Ægypto portârunt, ùt factum fuit cum corpore Jacobi Patriarchæ, quod confeſtim ab ejus obitu ex Ægypto ſublatum, & in Palæſtina ſepultum fuit? Si Ægyptiis hoc pignus relinquere noluerunt, cur non priùs illud abſtulerunt? Quia Ægyptii id non permiſiſſent, reſpondet doctus Pereira, utpote qui maxima veneratione non ſolùm corpus ejus, ſed & ipſum quoque ſepulchrum pro-

Pereir. in Geneſ. ſuper cap. 50. in fine. proſequebantur: *Si fratres Joſeph*, ait ſcriptor citatus, *tentâſſent corpus ejus transportare, id fieri non eſſent paſſi Ægyptii, volentes apud ſe habere monumentum Joſeph, quem mirificè coluerant, & cujus merita magno honore conſervabant.* Ac propterea, cùm illud deinde invitis etiam Ægyptiis transferre decreviſſent, à nocte nigrum pallium mutuârunt, ſub cujus protectione ſecuriùs ex Ægypto diſcederent. Ità translata fuerunt oſſa Joſephi, & eadem ratione Corpus mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha Romanis ereptum fuit; nam & in ejus quoque translatione opus erat noctis caliginem in ſuppetias vocare, quatenùs ſub hoc obſcuro præſidio Reliquiæ tutiùs ex tumba priore extrahi poſſent. Nondum tamen in adytum difficultatis penetravimus. Duo teſtamenta inter ſeſe valdè diverſa condiderunt Pater, & Filius; Jacob enim moriturus ultimam voluntatem ſuam his verbis aperuit: Geneſ. 47. v. 29. & 30. *Non ſepelias me in Ægypto, ſed auferas me de terra hac, condáſque in ſepulchro Majorum meorum:* Joſeph autem ad extrema deductus præcepit corpus ſuum priùs in Ægypto ſepeliri, deinde verò in Palæſtinam transferri: Geneſ. 50. v. 24. *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Unde orta eſt hæc diverſitas, quærit S. Auguſtinus? Si Pater in alio regno vult tumulari, cur filius ejus in Ægypto humari voluit, & deinde primò ſua oſſa transferri? Reſponſio ad manum eſt: Jacob enim Ægyptiis non admodùm acceptus erat, Joſephum autem omnes in oculis circumferebant; ille ſiquidem meritorum ſuorum magnitudine obtinuit, ut à cunctis paſſim Salvator, vel D. Auguſt. tom. 3. lib. 1. de Mirabil. S. Script. c. 15. mundi Redemptor vocitaretur: *Vocavit eum linguâ ægyptiacâ Salvatorem mundi.* Sapientiæ autem ſplendore adeò inter illos effulſerat, ut ſenatûs ægyptiaci oraculum audiret ob conſiliorum Geneſ. 41. v. 45. præſtantiam: *Placuit Pharaoni Conſilium, & cunctis miniſtris ejus,* ac propterea etiam Rex Ægypti eum Præſidentem, & legatum in Ibid. v. 37. ſuis ditionibus creavit: *Unô tantùm regni ſoliô te præcedam,* & cuncta ſua conſilia ejus prudentiæ commiſit, paratus amplecti, v. 40. vel improbare, quidquid Joſepho viſum fuiſſet: v. 55. *Ite ad Joſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite,* ejúſque humeris potiſſimam partem regiminis impoſuit: v. 41. *Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti.* Duæ itaque nationes de poſſeſſione ejus reliquiarum inter ſe contendebant: Iſraëlitæ ſanguinem, & Religionem allega-

legabant, Ægyptii verò innumeros favores producebant, quos ei tam in vita, quàm poſt mortem impenderant. Joſeph itaque hanc litem deciſurus mandavit, ut in Ægypto ſepeliretur, idque ex titulo gratitudinis ob plurima ab Ægyptiis percepta beneficia, ſed nè hac ratione populo ſuo ſe iniquiorem præberet, noluit hanc ſepulturam eſſe perpetuam, ſed decrevit, ut elapsis aliquot annis oſſa ſua transferrentur,quatenùs venerationem,& conſtantem ſedem haberent inter ſuos cognatos. Unde ſi Iſraëlitæ, ex Ægypto egreſſi, oſſa Joſephi ſecum non aſportâſſent, harum Reliquiarum theſaurô privati fuiſſent, utpote qui cùm ipſa urna in dominium Ægyptiorum tranſiiſſet, ſed cùm hoc Joſepho non ſatis arrideret, præcepit: Si vos hinc aliquando emigrare contingat: *Aſportate oſſa mea vobiſcum*; etenim cùm mihi nihil unquam perindè in votis fuerit, ac vivere vobiſcum, nihil etiam poſt mortem magìs deſidero, quàm ut oſſa mea inter vos aſſerventur.

Hoc teſtamentum Joſephi eſt cynoſura illa, quam in materia præſenti inconnivis oculis intueor; totam enim Translationis hujus ſeriem in ſidere iſto polari delineatam invenio. Sanctiſſimus Patriarcha meus, JOANNES de Matha ſingularibûs honoribûs à Curia Romana, cùm in vivis ageret, auctus, & cumulatus fuit; Illum enim Summus Pontifex Præſidentem, & Legatum à latere conſtituit, ſuáque authoritate Concilio Dalmatiæ, ac Diocliæ præeſſe juſſit: Ille erat, quem Innocentius in ſuis dubiis conſulere ſolebat: Ille erat, cujus humeris galerum purpureum, & mitram Epiſcopalem imponere decreverat: Ille erat, cujus directioni ſupremum Eccleſiæ caput maximè acquieſcebat. Habet itaque Roma jus aliquod pro aſſervandis ejus Reliquiis: Quis ibit inficias? Nihilominùs tamen etiam ſanguis ejus, & Religio ſuo jure fulciuntur, quô eas ſibi vendicabant. Et quidem ratione ſanguinis fundat jus ſuum Hiſpania, non tantùm propterea, quòd ſtemma ejus nobiliſſimis Hiſpaniæ familiis ſemper unitum fuerit, quantùm, quòd Falco (Patria noſtri Sancti) tempore illo, quô in lucem prodiit, ſceptro Regis Arragoniæ ſubjecta, & parentes hujus Sancti vaſalli ejusdem Regis fuerint. Ex parte Religionis id depoſcunt omnes ejus filii, qui tot annis oſſibûs paternis privati fuerant. Dixerit proindè Sanctus iſte, ſepeliatur Romæ Corpus meum, nè labem ingratitudinis contraham: Non ſit tamen iſta perpetua ſtatio meorum oſſium, ſed transferantur poſt evolutas aliquot annorum periodos, ut ſatisfaciam & ſanguini, & filiis meis.



Digitized by Google

Et hoc eſt, ô admirabilis Patriarcha, quod noſtri oculi in hac celebri feſtivitate admirantur! Illuxit tandem tempus, quô Sacrum Corpus Tuum poſt tot annos, quibûs ignotum, & abſconditum latuerat, his aris imponeretur; Venit tandem ter exoptata dies, quâ S. Corporis Tui identitas clariſſimis probationibûs evicta, & aſſerta fuit; hanc enim evidenter adſtruunt ſigna, quæ in Tuo Corpore, ſive illud demùm ùt vivum, ſive ùt mortuum conſideretur, mirificè inter ſe conſpirant, ipſa quoque prodigia Tua, quæ tam exacta ſimilitudine in vita, & poſt mortem Tuam, inter ſe conſentiunt, identitatem Sacratiſſimi Corporis Tui irrefragabili teſtimoniô ſuô conteſtantur. Juſtum eſt itaque, ut exultemus ob hunc theſaurum, adeò pretioſum, quem diu abſconditum propitia tandem ſorte deteximus. Æquum eſt, ut hæc regia civitas de tam nobili margarita glorietur; quodſi enim mulier illa Evangelica, cujus meminit S. Lucas, ob inventionem amiſſæ drachmæ ſuæ tantis lætitiis inceſſerit, ut omnes amicos ad ſuorum gaudiorum ſocietatem invitaverit: *Convocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi*, multo majori jure, ùt mea veneratio meditatur, huic ſpectabili urbi gratulari decet, quæ in ſuo gremio tam magnum, & inſignem Sanctum fovet, cujus cultus aliquamdiu obliteratus, &, ut ità dixerim, perditus fuit. Sed agitédum! *Congratulamini mihi;* novô ſiquidem Decretô inventus eſt rursùs cultus iſte, qui huic pretioſo Corpori per tot antéacta ſæcula conſtanti ſemper devotionis curſu exhibitus fuit. Tu autem, ô Pater ſacrate! quem minimè latet zelus illius, qui tot labores exantlavit, ut Tibi publicam venerationem evinceret, munifica manu ejus zelum remunerato! Sit Sanctiſſimum Corpus Tuum pignus, & hypotheca favorum, quos Hiſpania à Tua largitate expectat. Exere totam Tuæ interceſſionis potentiam, pro exaltatione ſanctæ, ac ſalvificæ noſtræ fidei, pro felicitate, ac tranquillitate horum regnorum Catholicorum, pro incremento ſpirituali, & temporali Tuæ S. Religionis, & filiorum tuorum, pro libertate, & redemptione fidelium captivorum, pro incolumitate denique hujus adeò religioſi, doctique cœtûs, qui tanta alacritate ad hoc templum pro Tua feſtivitate celebranda confluxit, & in Tuum honorem linguas domeſticarum campanarum adeò vocales reddidit, ut Tua beneficia experti omnes dicamus, hoc eſſe Corpus Tuum, cujus operâ Tu tantos favores erogas, hoc eſſe Corpus Tuum, quod hodierna feſtivitate colimus,

Luc. 15, v. 9.

&

& quod fuit domicilium cujusdam ſanctiſſimæ, & multeſimis gratiis ornatæ animæ, quódquè erit individuus ſocius ejus in cœleſti gloria. *Ad quam nos perducat beatiſſima* TRINITAS, *&c.*

His dictis Orator noſter ab ambone diſceſſit, nec dubium eſſe poteſt, quin omnes, quotquot eum audiêrunt, id dixerint, quod Vincentius Lerinenſis in alia occaſione protulit: *Nihil exponente te illuſtrius, quod anteà obſcurius credebatur, per te poſteritas intellectum gratulabitur, quod anteà vetuſtas non intellectum venerabatur.*

Veſpera nihil diverſum à præcedente die habuit, præter majorem concurſum hominum, cui anſam dederant inſignes quædam, & primæ nobilitatis matronæ, quæ proprio arbitratu, & à conſerta turba adjutæ, in interius clauſtrum penetrârunt, allectæ curioſitate videndi Oratorium N. V. P. Fr. Thomæ à Virgine, quod à Sacriſtia proximè abeſt, & in quo hucusque aſſervatum fuit Depoſitum S. Corporis. Commodùm accidit, ut iſtis prorsùs diebûs artifices in ornatu hujus Oratorii ad calcem pervenerint, qui illud pellucidis cryſtallis, & inauratis toreumatibûs in terreſtre quoddam cœlum converterant. Inchoatus autem fuit labor eorum unô priùs annô, quin tunc ſpes adhuc affulgeret (præter induſtrias, quæ adhibebantur) qua ſibi quisquam promittere potuiſſet, hoc ſacellum tantæ ſolemnitati aliquid commodaturum.

Mox, ùt concurſus ille modicum remiſit, ídque admodùm ſerò, amotæ ſunt crates à Presbyterio, & tumultuario labore extructum fuit tabulatum quoddam, ad medium usque majoris ſacelli protenſum, & pretioſis tapetibûs inſtratum, in quo collocatum fuit, quidquid neceſſarium eſſe videbatur pro feſtivitate ſequentis diei, in qua ſolemni ritu ad aras operaturus erat Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Alexander Aldrobandinus Sedis Apoſtolicæ in his regnis Legatus: Certatum eſt autem omnibûs ſtudiis Excellentiſſimi Domini Ducis de Medina cœli, Patroni hujus noſtri Conventûs, ne quidquam deſideraretur, quod ad ſplendorem, & dignitatem hujus Feſti quoquomodô pertinere poſſe videbatur.

# CAPUT IX.

## *Solemnitas Tertiæ Diei.*

MAjeſtas hodiernæ feſtivitatis ſplendore ſuo, & magnificentiâ feſtis præcedentium dierum palmam eripuit, adeò in illa omnia erant glorioſa, conſpicua, & illuſtria. Dies erat Dominica, functio magnifica, & Devotio magna: Omnia hæc tantam hominum multitudinem exciverant, ut nisì à primo diluculo fores Eccleſiæ, & Conventûs noſtri à duodecim regiis ſatellitibus cuſtoditæ fuiſſent, Illuſtriſſimo Domino Nuncio ad perficienda Divina myſteria aditus non patuiſſet.

Adveniente verò Domino Nuncio (quem Communitas noſtra ponè januam templi in duos ordines diviſa excepit, Noſtro Reverendiſſimo Patre Generali ei aquam benedictam miniſtrante) Sacerdotes ſacrìs jam veſtibûs induti erant, adventúmque ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis in dicto tabulato præſtolabantur. Erant illi ex numero graviorum Religioſorum, quibus ſe adjunxerant Cæremoniarum Magiſter, atque cum illo Sacellani, & Ephebi ejusdem Domini Nuncii: Aderant etiam Ephebi Excellentiſſimi Domini Ducis de Medina Cœli, qui daduchorum munere functi tam ad Evangelium, quàm ad elevationem S. Hoſtiæ, & calicis ardentes faces in manibus geſtârunt. Hæc functio tantâ pompâ, magnificentiâ, & majeſtate peracta fuit, quâ vix auguſtiorem ipſa Roma adornare potuiſſet: Cæterùm nulla fuit hac die Concio, quòd timeretur, nè hæc ſolemnitas nimìs diu protraheretur, quæ incepit ab hora decima, & finem ſortita eſt horâ primâ à meridie.

Die in veſperam declinante, cùm hæc ſolemnitas ultima fore putaretur, auctus eſt populi concurſus, nobis verò gaudium, & lætitia; viſô enim tantô hominum ſtudiô erga hunc Sanctum, ſupplicatum fuit N. P. Generali, quatenùs Sacrum Corpus nondum ab altari amoveretur, ſed in craſtinum usque diem in eodem ſitu relinqueretur. Nullâ hìc opus erat violentiâ ad animum N. P. Generalis his precibus inclinandum; nam cùm hæc petitio ad ejus orexim ſaperet, illicò in mandatis dedit, ut ſequenti die ſuìs impenſìs aliud feſtum inſtitueretur, quod etiam non inferiori ſplendore, ac priora celebratum fuit, cúmque dies illa in vigeſimam quintam Novembris, honoribus D. Catharinæ V. & M. conſecratam, incideret, quæ

in

in mea S. Religione maxima ſolemnitate transigitur, tum quòd hac dieglorioſiſſimus Patriarcha noſter ſacris initiatus fuerit, tum quòd in noſtris Eccleſiis Abſolutio Generalis hac die dari ſoleat, neceſſarium fuit hæc feſta invicem conjungere, ut alterum ab alterius ſocietate novos ſplendores mutuaret.

Poſtquàm autem nox obſcurô ſuô ſipariô terras noſtras jam involviſſet, clauſæ ſunt januæ templi, & S. Corpus ab altari amotum fuit, ut in loco ejus cuſtodiæ deputato, ſcilicet in ſupradicto Oratorio, collocaretur. Eò igitur deportatum, non fuit ampliùs capſæ illi concluſum, in qua priùs aſſervari conſueverat, ſed altari illius Oratorii impoſitum, partim ut fidelitas in cuſtodia hujus Depoſiti à nobis quàm exactiſſimè cuſtodiretur, partim ut Decreto ſatisfieret, quod S. Corpori publicum jam cultum indulſerat.

In hunc modum concluſæ fuerunt relatæ feſtivitates, famâ interim ſonora voce præconia tam magni Sancti divulgante, cujus veneratio totîs ſexaginta ſex annîs obliterata jacuerat: Nulla intereà à nobis prætermiſſa fuit induſtria, ut decretoriâ ſententiâ ſacris hiſce Reliquiis locus tandem aſſignaretur, in quo conſtantem ſedem figerent, & perpetua deinceps veneratione colerentur, quod felicibûs etiam avibûs impetratum fuit annô immediatè ſequenti, milleſimô videlicet, ſeptingenteſimô, vigeſimô ſecundô, die ſexta Februarii, ùt fuſiùs declarabitur in Parte ſecunda hujus Operis.

# PARS SECUNDA,

## *De ſumptuoſis Feſtis, quæ magnificentiſſimâ pompâ ob collocationem Corporis Magni Patriarchæ S. P. N.*

## JOANNIS DE MATHA

*Madriti in Eccleſia PP. Excalceatorum SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum celebrata fuerunt.*

## CAPUT PRIMUM.

*Vaticanum Capitulum S. Petri meam Sacram Religionem Trinitariam Excalceatam Corpore Sancti P. N. JOANNIS de Matha donat, cujus Donationis notitia in Hiſpaniam defertur.*

PRudentiſſimè locutus eſt magnus Aurelius Auguſtinus, quando dixit: *Beatus eſt, qui habet, quidquid vult, & nihil mali vult.* Obtenta igitur, ùt in prima parte deduximus, noſtra felicitate, quam nobis declaratio identitatis Corporis glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri S. JOANNIS de Matha contulerat, nondum beatos nos eſſe putavimus, quia etiamnum aliquid reliquum manſerat, ad quod noſtra deſideria collimabant; nam cùm geſtientibûs oculis coram intueremur ingentia beneficia, & favores, quos Sanctus iſte, hoc novo cultu auctus, effuſa prorsùs liberalitate ſupplicibus ſuis identidem erogabat, exarſimus immodica cupiditate tantum theſaurum jugiter poſſidendi, quin hanc ſufflaminare poſſet timor, quô metuebamus, nè fors ſupremum Eccleſiæ caput nos repetundarum poſtularet, & tam pre-

tio-

tioſas Reliquias Romæ, ceu avito earum poſſeſſori, reſtituendas decerneret. Efflictim itaque ſemper deſideravimus ad metam votorum noſtrorum quantocyùs pervenire, quatenùs à tam ingrata timoris moleſtia ſuſpenſas, anxiáſque mentes expediremus: ùt proinde de nobis idem fermè dici potuerit, quod in alia occaſione non minus ſcitè, quàm verè Ovidius cecinit: *Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.*

Indefeſſa vigilantia, & flammidus zelus N. R. P. Generalis, quaſi ad hunc ſolum effectum à Divina manu electus fuiſſet (quamvìs ille propter eà nihil eorum prætermiſerit, aut ſegniùs egerit, quæ munus totam Religionem noſtram ſapienter gubernandi ab illo efflagitabat) omnes ingenii ſui vires exeruit, ut inſuperabiles quaſi difficultates vinceret, quæ ejus deſideriis, majori venerationi S. Reliquiarum, majori felicitati Hiſpaniæ, ac majori gloriæ noſtræ S. Religionis intentis, tam infensè adverſabantur. Cui haud immeritò cum Poëta dicere licuiſſet: *Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires.*

Sed neque verbis ullis ſatìs deſcribi, nec imaginatione perfectè concipi poteſt, quanti fuerint labores exantlandi, quot obſtacula perfringenda, quot oppoſitiones denique ſuperandæ, ut votorum noſtorum compotes efficeremur: aſt neceſſariæ erant tot contradictionum procellæ, quæ ſpei noſtræ cymbulam in optatum gloriæ portum propellerent: *Etenim nulla poteſt eſſe diuturna gloria*, ùt Oratorum diſertiſſimus, qui in arce ſtetit Romanæ eloquentiæ, ſcribit, *quam labor ſtrenuus, & indefeſſus non anteceſſerit.* Eo tempore P. Pr. Michaël à S. Joſepho S. Ordinis noſtri Procurator Generalis erat in curia Romana, qui nativas dotes ſuæ ſapientiæ, prudentiæ, & humilitatis in hoc negotio adeò dexterè impendit, ut ſe dominum omnium voluntatum, quibus blandiſſimô ſuô agendi modô imperare videbatur, conſtituerit, cui, ùt ego quidem arbitror, multo majori jure illud Mantuanæ philomelæ carmen attribui potuiſſet, quàm fabuloſo Mercurio: Cicero.

*Pacis, & armorum, ſuperis, imiſque deorum*
*Arbiter* - - -

Superatis tandem incredibilibûs difficultatibûs votô noſtrô potiti ſumus annô milleſimô, ſeptingenteſimô, vigeſimô ſecundô, quô Illuſtriſſi-

ſtriſſimum, & Reverendiſſimum Capitulum S. Petri Romæ (tamquàm proprius, & legitimus Dominus Sacri Corporis) illud meæ Excalceatæ Religioni Trinitariæ inſigni munificentiâ donavit, ut perpetuam venerationem obtineret in noſtra Eccleſia hujus Imperialis, & coronatæ civitatis Madritenſis, conſentiente in hanc donationem Eminentiſſimô Domino, Don Hanibale Albano, dicti Illuſtriſſimi Capituli Archipresbytero, & confirmante eandem Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, Interpretum Concilii Tridentini.

Non ſunt autem hìc ſtrictim prætereundæ duæ non tantùm plauſibiles, ſed & myſticæ circumſtantiæ: Prima eſt, quòd hæc confirmatio facta fuerit ſeptimâ Februarii veſperè ante feſtivitatem hujus glorioſiſſimi Patriarchæ, idque eo prorsùs tempore, quô campanæ omnium Conventuum noſtrorum grato ſuo tinnitu devotorum corda ad venerationem noſtri Sancti invitabant. Secunda eſt: Quòd optatus tantæ felicitatis nuncius in Hiſpaniam perlatus ſit die ſeptima Martii (unico duntaxat menſe in itinere retentus) idque rursùs veſperè ante feſtum grandis Patriarchæ S. Joannis de DEO (cujus corpus itidem in Hiſpania requieſcit) cúmque hi duo Sancti Fundatores adeò ſibi ſimiles fuerint in virtutibus, & præcipuè in charitate, quam alter in Redemptione Captivorum, alter in ſolatio infirmorum ſempiterna nominis ſui commendatione quàm perfectiſſimè exercuerunt, unde ſicut illorum animæ parili jam gloria in cœlo perfruuntur, ità & cultum ſuum in eodem regno conſociare voluerunt: Decretum autem hujus Donationis ità ſonat:

Inſtrumentum authenticum à Capitulo Vaticano editum, quô Corpus S. JOANNIS de Matha, Fundatoris Ordinis SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum Religioſis Excalceatis ejusdem Ordinis donatum fuit.

„ Duo Religioſi Trinitarii Calceati annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô quintô, Corpus, ſeu oſſa S. JOANNIS de „ Matha ſuſtulerunt ab Eccleſia S. Thomæ de Formis, pertinente ad „ Capitulum Baſilicæ Vaticanæ, cúmque ea ad Nunciaturam Madritenſem fuiſſent delata, Clar. Memor. Cardinalis Durazzius, Nuncius Apoſtolicus eadem locô Depoſiti conſignavit PP. Excalceatis „ Conventûs Madritenſis, Ordinis SSS. TRINITATIS, Redemptionis Captivorum.

„ Actum fuit in Sacrorum Rituum Congregatione de memorati Corporis, ſeu oſſium identitate, & poſt nonnulla negativa reſpon-

„ ſponſa, inſtante tandem P. Michaële à S. Joſeph, Procuratore
„ Generali Ordinis Excalceatorum, SSS. TRINITATIS Redemptio-
„ nis Captivorum, dicta Sacrorum Rituum Congregatio receſſit à
„ deciſis, & cenſuit ſufficienter conſtare de identitate, & reſpon-
„ ſum à SSS. D. N. Innocentio XIII. fuit confirmatum.

„ In horum ſequelam Corpus, ſeu oſſa S. JOANNIS de Matha
„ fuerunt publicæ venerationi expoſita in Eccleſia Ord. Excalceatorum
„ Conventûs Madritenſis, útque impoſterùm nulla moveri poſſet
„ controverſia ſuper obligatione dictum Corpus, ſeu oſſa ab Eccle-
„ ſia memorata removendi, vel eadem reportandi ad Eccleſiam S.
„ Thomæ de Formis, ſupradictus P. Michaël à S. Joſeph Procurator
„ Generalis Ordinis Excalceatorum ſuas preces exhibuit Baſilicæ Va-
„ ticanæ pro S. Corporis, aut Sacrorum oſſium elargitione, & pro
„ exemptione ab onere eadem reſtituendi, aut transportandi ad Ec-
„ cleſiam S. Thomæ de Formis, ut perpetuum habeant cultum in
„ Eccleſia ſui Conventûs Madritenſis.

„ Capitulum Baſilicæ Vaticanæ prævia reſervatione beneplà-
„ citi, ſeu approbationis Apoſtolicæ ſuum plenarium petitioni præ-
„ ſtitit conſenſum, Patréſque Trinitarios Excalceatos abſolvit à quo-
„ cunque onere reſtitutionis, & transportationis ad Eccleſiam S.
„ Thomæ de Formis, ut Corpus aut oſſa S. JOANNIS perpetuò co-
„ lantur in memorata Eccleſia Conventûs Madritenſis eorundem, ità
„ tamen, ut in loco viſibili ejuſdem Eccleſiæ curâ, & expenſis ipſo-
„ rum lapis apponatur, in quo pii muneris, & largitionis factæ à
„ Capitulo Vaticanæ Baſilicæ plena mentio habeatur, & ut ad ejus-
„ dem Baſilicæ Capitulum ab iiſdem Religioſis, ſtatim ac fieri po-
„ terit, transmittatur inſignis Reliquia ex oſſibus S. JOANNIS, &
„ una ejus pars collocetur in Eccleſia S. Thomæ de Formis, & reli-
„ quum in Baſilica Vaticana.

„ Auditus fuit juxta morem Eminentiſſimus Cardinalis Anni-
„ bal Albani, Baſilicæ Archipresbyter, qui piam largitionem unà
„ cum dictis conditionibus laudabilem cenſuit, & executioni man-
„ dandam, ſi ità Sacræ Congregationi videatur; quocircà tam Ca-
„ pitulum Baſilicæ Vaticanæ, quàm P. Michaël à S. Joſeph Procurator
„ Generalis ſupplicant pro approbatione.

„ Die ſeptima Februarii, annô milleſimô, ſeptingenteſimô,
„ vigeſimô ſecundô, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E.
„ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione
„ Eminentiſſimi Annibalis Albani ſacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ Ar-

M „ chi

„ chipreſbyteri omnia, ùt ſuprà à Capitulo ejusdem Baſilicæ geſta,
„ benignè approbavit, ac reſpectivè confirmavit.

C. Card. Origius Præf.

P. de Lambertinis Secret.

*Gratis etiam pro ſcriptura.*

Hoc decretum pervenit Madritum horâ duodecimâ diei, cujus tenor, ùt primo rumore divulgatus eſt, tanto lætitiæ ſenſu omnes perfudit, ut Religioſi evantium inſtar geſtierint, & quin ab aliquo Superiorum mandatum fuiſſet, relictô prandiô, cui tunc fortè accumbebant, alii ad pulſandas campanas advolaverint, alii candelas in Eccleſia accenderint, quò cæteri interiori jubilô impulſi junctô agmine properârunt, & in ea Hymnum Ambroſianum: *Te DEUM Laudamus*, lacrymis potiùs, quàm vocibûs (utpote quas repetiti ſingultus, è tanta gaudii ubertate enati, crebriùs interruperant) ad finem usque decantârunt.

# CAPUT II.

## *Ornatus, & Diſpoſitio loci, in quo Sanctum Corpus collocandum erat.*

Loquitur hic Author de N. P. Generali.

ÆQuitas, & juſtitia depoſcebat, ut is, qui tantos labores exantlaverat pro aſſerenda publica veneratione glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri, S. JOANNIS de Matha, felicitatem quoque nanciſceretur ejus Sacras Reliquias ſuper altare, in quo perpetuam ſedem habituræ erant, collocandi. Affligebat tamen generoſum animum ejus brevitas temporis; nam cùm Generale Capitulum noſtrum, quod in illum annum inciderat, ex legum præſcripto celebrandum eſſet die vigeſima ſecunda Maji, vix pro apparatu ad pollucibiles illas, quas moliebatur, feſtivitates ei quadraginta dies reſidui manebant; quod ſanè exiguum tempus erat ejus giganteo animo collatum. Sed cum Divina Providentia conſtituiſſet, ut ille tam glorioſo operi coronidem imponeret, qui ſuâ indefeſsâ vigilantiâ, & induſtriâ hanc gratiam ex juſtitia promeritus fuerat, effecit, ut, quod vix integri anni decurſu præſtari poſſe videbatur, ſolô quinquaginta die-

Digitized by Google

rum intervallô peractum fuerit: ut autem temporis anguſtiæ inſtanti ſolemnitati non officerent, noſtrum Definitorium Generale cenſuit Capitulum in aliud tempus differendum eſſe.

Hôc Definitorii decretô erecta ſua Reverentia cœpit diſponere omnia, quæ imminenti celebritati congrua judicabantur, & ut S. Corpus quantocyùs in Eccleſia collocari poſſet, mandavit Patri Miniſtro Madritenſi, ut tota Communitate in Conſilium adhibita, excogitaret convenientem ornatum, quo arca S. Corporis decorata auguſtiùs refulgeret, & majori dignitate in templo exponeretur: ipſe autem in ſuam curam recepit diſpoſitionem arcæ interioris, & alia cuncta, quæ ad hoc feſtum pertinebant, ut in ſuis locis deſcriptum invenietur.

Mox, ùt Communitati mandatum ſuæ Reverentiæ propoſitum fuit, hæc in unum coacta cœpit vias rimari, quibûs tam magnæ expenſæ, quæ ad hoc propoſitum perficiundum neceſſariæ videbantur, congregari poſſent: unde ne ſumptuum tenuitate ornatus eorum deſideriis, & in ſanctiſſimum ſuum Patriarcham amori impar, aut minor evaderet, omnes generosìs prorsùs animìs, nemine refragante, copiam fecerunt Patri Miniſtro hujus Conventûs, quo munere tunc fungebatur P. F. Joannes à S. MARIA, ejúsque conſiliariis, tantam pecuniæ vim, undecunque poſſent, conquirendi, quantâ ad tam majeſtuoſam functionem eis opus eſſe videretur, ut tantò majori ſplendore eorum deſideria ad metam perducerentur.

Primum, quod in hoc negotio peculiarem ſolicitudinem efflagitavit, fuit locus, in quo S. Corpus collocandum foret: neque diu in eo inveſtigando deſudatum fuit; inventus eſt enim brevi inquiſitione locus adeò proprius, ut nemo non ſibi perſuaſerit, eum datâ operâ ante centum annos à Divina Providentia pro throno tam glorioſi Sancti præparatum fuiſſe. Forma altaris majoris, quod hoc templum oſtentat, eſt ex mente peritiſſimorum artificum ad omnes regulas politioris architecturæ abſolutiſſima, tantam in omnibus partibus ſuis proportionem, & concinnitatem exhibet. Prima pars illius, in qua Tabernaculum proſtat, innititur arcui ſeptemdecim pedibûs in altitudinem aſcendenti, ſub cujus ſinuoſo ambitu pendebat imago quædam SSS. TRINITATIS, non ſolùm ab antiquitate verùm etiam ab artis præſtantia ſpectabilis: Concluſum itaque fuit, ut hæc imago amoveretur, ruptóque principali pariete arcus, totius altaris ſtructuræ æqualis, erigeretur, ponè autem ipſum parietem ſacellum (Hiſpani Camarinum vocant, quo etiam nomine ma-



Digitized by Google

joris claritatis gratiâ nos deinceps ſumus uſuri) ejusdem cum arcu prædicto longitudinis, & latitudinis tantâ elegantiâ, venuſtate, ac decore conderetur, ut formæ ſuæ præſtantiâ ubertim teſtaretur dignitatem unionis, qui in illo aſſervandus erat.

In hunc finem conquiſiti fuerunt primi nominis artifices: neque difficile erat hos invenire, non tantùm quod flos ſelectiſſimorum ingeniorum ad hanc regiam urbem confluere ſoleat, quantùm, quod ſpecialiter à Divina Providentia ex diverſis regnis, & provinciis pro hoc opere tectonicè conſummando adducti fuiſſe crederentur, ut olim contigit in ſtructura tabernaculi, & Arcæ veteris Teſtamenti: Ornatus autem iſte ità comparatus erat.

A ſummo Tabernaculi apice, qui arcæ, & pavimento illius Sacrarii, quod Camarinum vocari diximus, eſt contiguus, ſe vaſta mole erigit baſis arcæ, deauratîs floribûs in viridi campo conſpicua, quæ in duabus cavaturis duas ſtatuas, aurô undique obductas, ſuſtentat, quarum altera charitatem, altera pœnitentiam repræſentat: Hæc baſis in ſeptem pedum altitudinem conſurgit, cujus vertici incumbunt duæ arcæ, ex quibus altera, quæ in ſuo gremio ſecundam complectitur, ex ære deaurato conſtructa fuit, altera verò, in qua S. Corpus aſſervatur, ex nitidiſſimo argento conſtat. Has arcas oculi potiùs, quàm calamus depingere deberent; iſte enim, quantumvis acuatur, nunquam earum elegantiam pro rei dignitate exprimere poterit: Nihilominùs tamen operam dare decrevi, ut eas rudî ſaltèm ichnographiâ adumbrem.

Arca interior fuſa eſt ex puriſſimo argento, cujus longitudo ultra ulnam procurrit, latitudo autem ei debita proportione reſpondet. Altitudo ejus usque ad extremum apicem ulnam itidem excedit: aſſurgit verò hæc arca ex baſi quadam ad artis amuſſim elaborata, quæ formam mediæ arundinis imitando in quatuor cuſpides ſe extendit, clauditúrque artificioſa teſtudine, quæ ab acroteriis procedens quadratam effingit planitiem, in qua duo angeli, ex eodem metallo formati, conſiſtunt, qui alterâ manu catenas, compedes, & numellas geſtant, aliarum verò conjunctione thronum efficiunt, cui Crux noſtræ Familiæ Trinitariæ Diſcalceatæ inter varietatem deauratorum emblematum inſidet. In medio arcæ prominet imago S. P. N. JOANNIS de Matha mediam corporis ejus partem repræſentans, & ornamentîs deauratîs, quæ in ſimilitudinem ramorum ſunt effigiata, undique circumdata. Imago hujus Sancti in una manu librum geſtat, & in altera calamum: oculi ejus in cœlum ſunt

ſunt erecti, ac ſi etiamnum altiſſimæ contemplationi intentus eſſet. Corpus ejus totum ambit circulus quidam plurimìs adamantibûs, ſmaragdìs, topaziìs, aliìsque lapidibûs pretioſìs interpunctus. Præſtantia laboris, & præcipuè ſcalpri vix ſatìs commendari poteſt, tótque gemmas in celaturis, & toreumatibus complectitur, ut numerus duo millia ſuperet: ipſa quoque acroteria paſſim ſaphyrìs, chryſolitìs, cyaniſque reſperſa fulgent, ità tamen, ut ſingulas gemmas artificioſus labor diſtinquat, quæ tanta venuſtate inter ſe colludunt, ut neſcias, an laboris exquiſitæ elegantiæ, an verò pretioſorum lapidum ſplendori palmam concedas. Octo anguli, qui ab acroteriis hujus arcæ usque ad baſim ejus procurrunt, tam ſcitè deauratìs foliìs, aliisque hujus ſortis emblematìs ſunt exornati, ut oculos mirô colorum ludibriô gratiſſimè demulceant: ſubſcus autem illa, quæ in acroteriis mediam arundinem refert, quatuor feras retinet, quibûs hæ pretioſæ reliquiæ clauduntur, quæ tenuiſſimo goſſipio incubant. Ipſa verò arca interiùs, purpureìs undique pannìs, quos aureæ fimbriæ flexuoſìs ſpirìs ambiunt, obducta nitet.

Porrò arca exterior, quæ hunc pretioſum unionem in ſuo gremio complectitur ex ære quidem procuſa fuit, aureìs tamen pulveribûs ubique reſperſa eſt: Hæc à ſuo fulcro, usque ad ſupremum apicem duas ulnas in altitudine ſuperat, aſcendítque à ſua baſi non æquali ſemper forma, ſed ab anguſtia quadam inferiori ſenſim emergens per acroteria ſua, quibûs interiorem arcam ambit, ſe ſuperiùs latiùs extendit. Inſiſtit autem quatuor artificioſis pedibus, formam unguium aduncorum imitantibus, qui ſacram hanc molem ſuſtentant, in qua ars inſigniter triumphavit, utpote quæ figuras omnes in ære tam dextrè expreſſit, ut melius quidpiam vix ſperari potuiſſet, quamvìs materia ex cera fuiſſet.

In ſummo ejus cacumine crux Trinitaria, quam Diſcalceata Familia geſtare ſolet, deauratìs undique radiìs circumdata prominet, hanc excipit vertex hujus arcæ æreis floribûs, foliìsque conſpicuus, qui ſenſim deſcendens in quatuor ſe partes diffundit, totidémque cuſpides acroteriorum efficit, in quarum duabus, quæ ad eccleſiam proſpectant, duo angeli reſident, compedes, ac numellas in manibus tenentes. Indè ſubſcudes, viſendo labore fabrebactæ, totam quidem arcam circumdant, & coronant, ſed ea parte, qua ad verticem hujus molis procedunt, formam dimidiæ lunæ effingunt, cujus fronti affixa eſt parmula quædam, ex eodem metallo fabrefacta, cui grandiuſculìs litteris hæc verba ſunt inſculpta: *Corpus S. JOANNIS*

*ANNIS de Matha.* Subſcudes autem, quas diximus, totam arcam ambire, etiam ad medium deſcendunt, ubi circulo quodam, ex puriſſimo lazulo fabricato, coërcitæ locum dant parvæ cuidam januæ, ſive anterulæ, quâ apertâ per lucidiſſimam cryſtallum ſe arca interior, ſive argentea in conſpectum dat, cujus pulchritudinem circulus ille ex lapide lazulo, mirum in modum auget, & amplificat. In ſummo autem aræ faſtigio viſitur myſterium SSS. TRINITATIS integris perſonis repræſentatum, quæ variis Seraphinorum imaginibûs ſtipatæ benignis oculis ad arcam aſpiciunt. Paucîs: Tali arte, dexteritatéque omnia ſunt diſpoſita, ut arca in ipſa gloria cœleſti conſiſtere videatur.

# CAPUT III.

## *Diſtributio Feſtivitatum, & Translatio Sacrarum Reliquiarum ad novam Arcam.*

VIdens itaque N. R. P. Generalis, arcam jam ſortitam fuiſſe thronum, tali theſauro reſpondentem, ſimúlque conſiderans tempus inſtare, quo ſacra hæc lipſana transferri deberent, ad Dominum Don Franciſcum Salcedonem, Marcheſium de Valdillo, hujus regiæ urbis præfectum ſe contulit, eidémque propoſitum ſuum aperuit, qui nihil cunctatus ſequenti ſtatim die Senatum Madritenſem hujus rei certiorem reddidit: iſte autem hanc notitiam gratiſſimè accepit, pollicitus, ſe operam daturum, ut, cui felicitas obtigiſſet hunc theſaurum intra limites ſuæ jurisdictionis poſſidendi, ei tales honorum demonſtrationes exhiberentur, quales vix unquam alicui exhibitæ fuiſſent. In hunc finem deſignati ſunt Commiſſarii, videlicet Dominus Don Joannes de Quadros, & Dominus Don Joannes Moreno, qui dicto Urbis Præfecto, nec non Excellentiſſimo Domino Duci de Medina Cœli, ac denique N. R. P. Generali adjuncti conſilium hujus rei gratiâ inierunt, in quo deciſum fuit, ut hoc ante omnia Majeſtatibus Catholicis intimaretur, quæ eo tempore in regia arce Aranjuez ruſticabantur, & ſerenioris aëris temperie, quam jucundiſſima Veris amœnitas eis affatim ſuppeditabat, ſeſe oblectabant, ad quas proindè tam ſenatus, quàm S. Religio noſtra ſupplices libellos deſtinavit.

Catho-

Digitized by Google

Catholicæ Majeſtates, intellecta urbis, & Religionis voluntate, gratam habuerunt hanc relationem, nativáque ſua devotione impulſæ, decreverunt, ut tres primæ feſtivitates ſuo ære celebrarentur, prima quidem expensîs Regum Catholicorum, ſecunda ſub nomine ſereniſſimorum Principum Aſturiæ, tertia verò ſub titulo Infantum Caſtellæ. David quondam translationem Arcæ immensîs jubilis, Salomon autem Filius ejus immodicîs expensîs peregit, ſed cùm religioſiſſima pietas Davidis, cum magnificentia, & generoſitate Salomonis æquali gradu in regio pectore noſtri Catholici Monarchæ Philippi V. convenerint, ejus devotio omnes expenſas largè ſuppeditare voluit, quotquot ad has tres ſolemnitates neceſſariæ forent.

Regium Conſilium Caſtellæ, quod particeps erat hujus gloriæ, cujus etiam authoritati Religio in acceptis refert maximas honorum demonſtrationes, quæ poſteà corpori S. Patriarchæ noſtri exhibitæ fuerunt, ſuarum partium eſſe voluit quartam feſtivitatem adornare, cui, ut ſupremum Inquiſitionis Conſilium, cujus aliundè tota intentio in majorem honorem, & gloriam DEI collimat, nihil de pietate concederet, quinta feſtivitate DEUM in Reliquiis ſui Sancti glorificare conſtituit. Celebratio ſextæ ſolemnitatis ex juſtitia competebat Excellentiſſimo Domino Duci de Medina cœli tamquàm patrono hujus Conventûs, à cujus nobiliſſima ſtirpe S. Religio noſtra maximos favores, & gratias accepit. Septima feſtivitas fuit amoris tributum, quod tota Diſcalceata familia Trinitaria glorioſiſſimo ſuoFundatori conſecravit; nam cùm omnia ejus membra, ceu germani filii tam magni Patris, impatienti cupiditate ad hanc felicitatem ſemper aſpiraverint, conſectaneum fuit, ut, cùm omnes ad ejus venerationem, locorum diſtantiâ prohibiti, confluere non poſſent, ſaltèm omnium votis unius diei feſtivitas ſatisfaceret.

Nobiliſſima Confraternitas JESUS Nazareni, imaginis à Mauris quondam captæ, ſed deinde annô milleſimô, ſexcenteſimô, octogeſimô ſecundô à mea excalceata Religione redemptæ, unanimi conſenſu decrevit, ut, quæ haud extremam partem in hac gloria haberet, etiam propria unius diei ſolemnitate eam celebraret, atque adeò octavam feſtivitatem ſuam eſſe voluit. Ultimum diem hujus Novennæ hæc Imperialis, & coronata civitas Madritenſis ſibi vendicavit, ut aurea ſua clavi tam ſplendidos, & feſtivos applauſus concluderet.

Fe-

Digitized by Google

Feſtis itaque in hunc ordinem diſtributis cœptum eſt neceſſariis diſpoſitionibus manum admovere, & quoniam omnes in hanc ſententiam deſcenderunt, ut S. Corpus priùs ſolemni ſupplicatione per urbem circumferretur, antequàm altari imponeretur, ideò civitas per quatuor Commiſſarios, Religio verò per ſuos Prælatos officioſiſſimis precibûs omnes hujus urbis conventus religioſos invitârunt, non ſolùm ut hanc ſupplicationem ſuâ præſentiâ condecorarent, verùm etiam in certis quibusdam locis, per quæ ſupplicatio tranſitura erat, altaria extruerent, ut in publica apotheoſi, ſive Canonizatione Sanctorum fieri conſuevit.

Ut autem propiùs ad rem propoſitam veniretur, translatio ſacrarum Reliquiarum in arcam novam ad diem vigeſimam octavam Aprilis indicta fuit, quam etiam, licèt id minimè neceſſarium fuiſſet, publica authoritate N. R. P. Generalis peragi voluit, ità ut hæc quoque functio, ſicut & omnes aliæ priores authentica eſſet. Ad hanc translationem deputata fuit illa pars Sacriſtiæ, quam Reliquiarium nominant, in qua ſplendido ornatu in hunc finem altare quoddam erectum fuit. In hoc loco horâ præſtitutâ comparuerunt, Dominus Nuncius Apoſtolicus, Excellentiſſimi Domini Duces de Medina Cœli, Dominus Marchio de Cogolludo, N. R. P. Generalis, ſex PP. Definitores Generales, P. Provincialis, ac denique P. Miniſter hujus Conventûs.

His ità congregatis recitatum fuit Decretum Donationis, rupta deinde ſunt ſigilla, ac Sacræ Reliquiæ detectæ, quæ nives candore æquabant, omniáque ſigna præſeferebant, quæ diverſæ ſcripturæ, de ſacris hiſce oſſibus exaratæ, eis tribuerunt. Collocata ſunt veneranda lipſana in arca nova ſuper molliſſimum goſſipium, cunctisque oſſibûs decenter repoſitis; Nuncius Apoſtolicus ſacrum caput in manus ſuſcepit, apertisque deinde januis tota Communitas admiſſa fuit, quæ coram hoc ſancto cranio in genua provoluta illud exoſculari promeruit, cunctis in dulciſſimas lacrymas, quas liquidiſſimum gaudium ob tantam felicitatem obtentam eis extorſerat, reſolutis; interior ſiquidem eorum lætitia, cùm pectoris anguſtiis contineri non poſſet, neceſſe habuit, ut ſe per oculos effunderet.

Repoſito denique etiam ipſo ſacro capite clauſa eſt arca quatuor clavibûs, quarum duas, ex quibus altera ad regem, altera ad civitatem pertinebat, N. R. P. Generalis Nuncio Apoſtolico in manus tradidit, ſuæque Illuſtriſſimæ Dominationi ſupplicavit, quatenùs illas tantisper ſub forma Depoſiti aſſervaret, donec ſua Reverendiſſi-

ma

ma otium nanciſceretur illas propriis manibus aſſignandi. Tertia quoque, quæ duplex erat, & ad Religionem ſpectabat, commiſſa fuit eidem Domino Nuncio, idque in recognitionem plurimorum favorum, ab eo acceptorum: Quartam denique obtinuit Excellentiſſimus Dominus Dux de Medina Cœli tamquàm Patronus hujus Conventûs. Ut autem Decreto Donationis mos gereretur, ſeparata eſt una inſignis Reliquia pro Eccleſiis Romanis S. Petri, & S. Thomæ de Formis dividenda, quam Dominus Nuncius clauſam reliquit, donec authenticè illi capſæ imponeretur, in qua Romam transmittenda erat. Hôc negotiô in hunc modum feliciter transactô, arca denuò priſtino Oratorio reſtituta fuit, cunctis intereà avidè deſiderantibûs, ut conſummato Eccleſiæ ornatu fauſta dies illa citò illuceſceret, quæ ſequentes feſtivitates auſpicatura erat.

# CAPUT IV.

## *Ornatus Altaris, & Templi.*

NUllum non movit lapidem S. Religio noſtra, ut ornatus exterior magnitudini ſui affectûs reſponderet, & Eccleſiæ ſplendor ſua deſideria æquaret. Primas curarum partes ſibi altare majus vendicavit, quod, nè ſuis anguſtiis majeſtati inſtantium feſtivitatum quidquam detraheret, ornamentorum longa ſerie ad meditullium ferè templi extenſum fuit, ut ad ſuprema parietum acroteria aſcendens ſcutum Trinitarium fulciret, & ab eo viciſſim coronaretur. Erecti ſunt igitur ſuper quatuor columnas ſeptem gradus; per quos aſcenſus patebat ad venuſtiſſimi operis arcus, argentô, & bombycinis floribûs undique conſpicuos, quorum ſinguli in ſuo vertice totidem imagines, ex nitidiſſimo argento fuſas, oſtentabant, in quibus materia cum opere de præſtantia certabat. Infima pars Presbyterii tribus gradibus, totidem arcus ſuſtentantibus, innitebatur, qui magnifico ſchemate tabernaculum ambiebant, oculóſque ad conſpiciendum auguſtiſſimum Altaris Sacramentum admittebant, cujus velum erat miri operis tulipa, quæ artificis manu tam ſcitè elaborata fuerat, ut cum apertione tabernaculi ſemetipſam expanderet, atque inter variegata colorum ludibria ſpecioſiſſimum florem campi, & lilium convallium, Euchariſticum nimirùm DEUM delectabili ſpectaculô oſtenderet. Alii prætereà duo arcus in utroque Altaris latere ſuperbiebant, qui rupium, fontium, arborúmque formas referen-



Digitized by Google

tes, duas imagines S. Michaëlis, & Immaculatæ Conceptionis in ſuo hiatu oſtentabant.

Aſcendebat autem altare arboribûs, polymita papyrô, argenteís, ſericísque floribûs ornatum usque ad abſidem templi, in qua ſtructurâ ejus ſenſim, decentérque coibat, claudebatúrque ſtriatâ conchâ, cujus cava tantam amœnitatem ſpirabant, ut putarentur ſculpta, aut certè inſignis cujusdam pictoris manu effigiata. Venas conchæ hujus diſtinguebant tæniolæ ex albis, rubris, flavísque floribus contextæ, quæ ſtructuræ huic tantum decus addebant, ut formam compendioſi cœli, aut cœli in compendium redacti obtineret. Totam autem hanc fabricam circumdabat, & complectebatur magnus quidam arcus, ex argento, floribúsque extructus, in quo diverſæ parmulæ argenteæ, inſignia noſtri glorioſi Sancti exhibentes, exquiſito ordine pendebant.

Haud procul ab illo loco, ubi principalis arcus Camarini incipit, qui ad pedem usque conchæ ſe porrigebat, relicta fuit quædam ſatis capax planities, in qua rursùs alii quatuor arcus in forma, ùt vocant, perſpectiva, argentô, & floribus undequaque obducti, ſeſe extulerunt, qui candelis deinde illuminati ectypon quoddam, & ſimilitudinem cœleſtis gloriæ referebant. Ultimus illorum ſuo vertice arcam attingebat argenteam, cui cùm ex adverſo oppoſita fuiſſet magna, pellucidáque cryſtallus, hinc gemmæ, candelarum ſplendore illuminatæ, tantos radios evibrabant, ut oculos in ſtuporem abriperent. Ad radicem ejusdem arcus turgebant in ſupradicta planitie duæ columnæ, in quinque gradus diviſæ, quorum ſinguli vaſis argenteis, ſericísque floribûs cumulatiſſimè referti erant. Hæc omnia in unam pulchritudinem conſpirantia formam hujus loci reddebant longè magnificentiſſimam.

Infima altaris planities pretioſiſſimo peripetasmate, & pulvinaribus inſtrata viſebatur, quæ acu phrygia, argenteis filis informata, quàm ditiſſimè depicta erant, ut, licèt cætera abfuiſſent, hic ſolus ornatus præſentem functionem congruo ſplendore decorare quiviſſet. Super pavimentum autem erectum fuit grande quoddam tabulatum, ſuis gradibûs inſtructum, & opulentis aulæis tectum, quod usque ad umbilicum ſacelli majoris procurrebat, & deputatum erat pro multitudine miniſtrorum, qui ad tam ſolemnem functionem neceſſarii erant.

Adumbratâ utcunque formâ Altaris Majoris juvat nunc oculos ad reliqua templi ornamenta ſpectanda convertere. A teſtudine Ecclе-

cleſiæ deſcendit ſplendidum conopeum, quod fimbrias ſuas, ſive limbos ad acroteria murorum demittens, effecit, ut putaretur tota teſtudo ad regulas nobilioris architecturæ ex pannis ſericis conſtructa fuiſſe: ipſa verò templi laquearia, aureis undique, bombycinisque fimbriis obducta, aurea quoque periſtromata geſtabant, quæ per parietes defluentia non ſolùm ob nativum ſuum pretium,verùm etiam ob concinnum eorum ordinem majorem in modum commendabantur. Cæteri autem templi, ac altarium fornices Neapolitanis tapetibûs veſtiti erant, qui limborum ſuorum verſicolori varietate arcus hiſtoriarum dividebant: eodem ornatu omnes Eccleſiæ anguli ſuperbiebant.

Ab ipſa principali murorum projectura totam Eccleſiam ambiebat viſenda ſeries pretioſiſſimorum aulæorum, in quibus acu phrygia vita Domini noſtri JESU CHRISTI, Ejúsque Virgineæ Matris MARIÆ ad oculorum invidiam aurô, ſericóque depicta erat. Hæc periſtromata, cùm eſſent brevia, coronidem agebant aliorum peripetaſmatum, quibûs totum templum ad pavimentum usque obductum erat, & in quibus plumarius omnes prophetias libri Apocalyptici aureis, bombycinisque filis elegantiſſimè expreſſerat. De præſtantia, & nobilitate horum tapetum iſtud dixiſſe ſufficiat, illos eſſe ex pretioſiore ſupellectili, quâ regium palatium noſtri Catholici Monarchæ Philippi V. ornatur, unde deprompti fuerunt pro majori ſplendore tantæ feſtivitatis ex indulgentia Excellentiſſimi Domini Marchionis de Villena ſuæ Majeſtatis ſupremi aulæ Præfecti, qui ex regio palatio abundè ſuppeditavit, quidquid ad augendam magnificentiam hujus ſolemnitatis neceſſarium fuit.

Acroteriorum planities mira diverſorum ornamentorum varietate refulſit; in ſingulis ſiquidem eorum anconibus ſtabat pyramis quædam ex ſolido argento fuſa, floribúsque bombycinis ſtipata, ex cujus altero latere prominebat grande malluvium argenteum, ex altero autem magna amphora argentea. Ad hunc modum tota projecturæ ſuperficies ornata fuit, utpote quam centum, & triginta vaſa argentea coronabant. Ex conopeo teſtudinis deſcendit magnum quoddam candelabrum penſile,inter præcipua hujus aulæ cimelia computatum, quod in viginti lychnuchos ſeſe diffundens totidem lucibûs templum illuminabat. Ipſa quoque tranſenna, ſive cancelli, qui chorum ſepiunt, peculiaris decoris expertes non manſerunt, utpote qui eadem ratione, ac acroteria, vaſis argenteis, ſericisque floribûs exornati fuerunt. Tanta denique pulchritudine

 tota

tota Eccleſia reſplenduit, ut, cùm devotio omnes attraheret, multos tamen curioſitas diu detineret, hominibûs ex tota hujus urbis vicinia turmatim affluentibûs, ut ſaltèm unius diei ſpectaculô mentes, oculóſque ſatiarent.

# CAPUT V.

## *Platearum, per quas circumducta fuit ſupplicatio, & Altarium, in illis extructorum, ornatus.*

ILluxit tandem dies Dominica, quæ illô annô in tertiam Maji incidit: cúmque decretum fuiſſet, ut hac luce ſolemnis ſupplicatio triumphali apparatu inſtitueretur, Excellentiſſimus Dominus Marcheſius de Aytona providô conſiliô centum milites ex legione prætoria cum officialibus eorum expedivit, quorum pars altaria à plebis inſolentia tutarentur, pars verò cum doryphoris ſuæ Majeſtatis portas Eccleſiæ, & Conventûs cuſtodirent, ac deinde ſupplicationem aſſectarentur. Diſpoſuit autem civitas, æquè ac Religio noſtra, ut hæc ſupplicatio è templo noſtro egreſſa deſcenderet ad plateam hortorum, illámque emenſa in vicum, qui ab amore DEI nomen habet, penetraret, & ex hoc eluctata ad aream, quam vulgò Anton Martin vocitant, procederet, ac deinde longa ſerie plateam de Atocha perambularet, ſícque in forum majus intraret, poſteà verò reditus in conſpectu portæ, quam de Quadalaxara cognominant, per plateam majorem usque ad portam ſolis, & ab illa per totum vicum S. Hieronymi, & per domos Excellentiſſimi Domini Ducis de Medina cœli adornaretur, indè verò agmen arcum plateæ, quæ de prado vulgò nominatur, tranſiret, atque ſic ad RR.PP. Capucinos deflectens per plateam Francorum ad noſtrum Conventum reverteretur. Juvat imprimis ornatum platearum deſcribere, ut ſic expeditiùs ad ipſam ſupplicationem pervenire valeamus.

Primum, quod ſeſe oculis noſtris offert, eſt parva area, quæ ante noſtram Eccleſiam protenditur, hæc à platea pilis lapideìs, quas ferrea clatra invicem connectunt, dividitur: Super has pilas extructi fuerunt quinque arcus floribûs, herbíſque veſtiti, ipſís quoque clatrís parili ornamentô velatís. Totus verò ambitus hujus areæ, & propylæum templi obducta fuerunt ſericis periſtromatís, in ſuperficie autem propylæi pendebat nobile cadurcum ex holoſerico formatum,

Digitized by Google

tum, quod obumbrabat effigies noſtrorum Catholicorum Monarcharum, & Sereniſſimi Principis Aſturiæ: Porrò ſpatium illud, quod inter Conventum noſtrum, & plateam intercedit, undique veſtitum fuit pretioſiſſimis tapetibûs, quos diverſæ ſtatuæ, magnique clypei argentei coronabant, & hos rursùs varia quaſilla florum, fructuúmque diſcriminabant.

In medio ſupradictæ areæ, ex adverſo Eccleſiæ, erectum fuit prægrande altare, cujus altitudo triginta pedes æquabat. Ad hoc viam pandebant diverſæ ſtatuæ Nympharum formam referentes, quæ brachiorum conjunctione ſex rursùs arcus opere, ùt vocant, perſpectivo effingebant, gratiſſimóque ſpectaculô ſylvas, montes, hortos, & fontes oculis intuentium objiciebant. Reliquam deinde planitiem areæ occupabant alii ſeptem arcus, æquali pulchritudine ſuperbi, quibus inſiſtebant ſeptem prodigioſæ imagines: ſuper hos erecti erant ſeptem gradus, varia argenteorum vaſorum ſupellectile ornati, in quorum ſummitate aliud altare eminebat, quod argenteo arcu circumdatum oſtentabat exquiſitam quandam imaginem S. P. N. JOANNIS de Matha ſub ſpecioſa umbella, argenteis candelabrìs, bombycinìs floribûs, aliisque rebûs pretiosìs vallatam. Tantam denique venuſtatem hæc area, porticúsque ſpirabant, ut multi indè diſcedere noluerint, nè vel momentô tam delectabili ſpectaculô fraudarentur. (1) **Primum Altare.**

Platea hortorum, ea parte, quâ ad prata reſpicit, tapetibûs undique obducta fuit. In illa verò parte, quæ aditum ad vicum de Atocha aperit, devotus quidam altare hâc formâ extruxit: Baſis erat ſatìs magna, cui menſam impoſuit, eámque divite, ùt vocant, antipendio ornavit. Super hanc menſam ſtabat columna quædam ad imitationem marmoris variegata, in cujus vertice, in ſimilitudinem priſcorum altarium efformato, repræſentabatur ſpecies magni ignis, in cujus medio cor quoddam flagrabat, argenteóque ſuô fumô, quem evaporare videbatur, tres circulos nubium effingebat; quas ſol ſuo ſplendore retrorsùs perfundebat. Hæ nubes complectebantur ſculptam imaginem S. P. N. JOANNIS de Matha, cujus ſtatumen erat flammidum illud cor. Ex latere autem utrinque deſcendebant variæ nubes, quibûs permixti erant multeſimi Angeli, inſtrumenta muſica in manibus geſtantes, ídque adeò concinnè, ut jamjam dulciſonum quoddam melos modulari velle putarentur. Planities altaris decorata fuit plurimìs candelabrìs, florúmque faſciculis, inſigni quodam cadurcô totam aram coronante. (2) **Altare cujusdam Devoti.**

(3) Altare Ludionum.

Tertium altare erectum fuit operâ, & impensis duarum ſocietatum Ludionum, qui cùm vitam in hac vicinia tranſigant, ſuæ devotionis ſtudiô communi pietati obſtetricari voluerunt. Hoc altare occupabat totam latitudinem cujusdam plateæ, quæ cum vico hortorum coit. Extructum fuit ſuper baſim prægrandem, repræſentabátque amœnum quoddam viridarium, diversis floribûs, & arboribûs conſitum, atque in ſuas areolas arte topiaria ſcitè diviſum, quod ornabant duo fontes, grandem aquarum vim jugiter evomentes, & quàm plures ſtatuæ ex ære procuſæ. Auxit hanc pulchritudinem dorſum altaris, quod totum ex terſiſſimis cryſtallis conſtabat, in quibus ſe omnes formæ ſtatuarum, florum, & fontium gratiſſimô oculorum ludibriô multiplicabant.

Aderat quoque magna menſa, ſupra quam ſeptem arcus argentô, floridisque ſertis conſpicui, ſese erigebant: arcus autem iſti erant throni totidem argentearum ſtatuarum. Ex adverſo menſæ ſtabat vas quoddam ingentis magnitudinis, in quinque gradus diviſum, quorum ſinguli argentô, floribûs, aureîs fimbriis, aliisque rebûs pretiosis ad ſtuporem ornati erant. Porrò in vertice hujus pulcherrimi vaſis eminebat argentea parma, quæ Sanctiſſimum nomen MARIÆ, ex meris adamantibus elaboratum, continebat, in quo opere dubium erat, eſsétne artificis dexteritas, an gemmarum multitudo majori admiratione digna. In ſummo denique totius ſtructuræ hujus faſtigio ſtabat imago Bèatiſſimæ Virginis MARIÆ de Novenna (cujus honori conſecratum eſt ſacellum ludionum) ſub pollucibili quodam conopeo argenteo margine magnificentiſſimé cincta. Totum autem altare circumplectebatur inſignis quidam arcus, opere reticulato formatus in elegantem teſtudinem deſinens, qui non ſolùm argentô undique obductus, floribúsque redimitus fuit, verùm etiam deauratas tabellas oſtentabat, in quibus verſus aliquot, ad hanc feſtivitatem accomodati, deſcripti viſebantur. Impendiò ſanè dolendum fuit tam ſplendidam fabricam, & multorum dierum laborem, unius duntaxat diei ſolemnitati ſerviviſſe.

(4) Altare Excalceatarum Monialium Trinitariarum.

Exiguô admodùm intervallô in eadem platea occurrit religioſiſſimum aſceterium noſtrarum Monialium exalceatarum, quæ ſicut in omnibus aliis occaſionibus, ingenti ſuô zelô actæ, ſingulares gaudiorum demonſtrationes ediderunt, ità hac die in illis eminere ſtuduerunt, ut affectum verarum filiarum tanti Patriarchæ mundo clariſſimè ſpectandum proponerent. Conſtruxerunt itaque ante aream ſuæ Eccleſiæ quatuor roſeta tam exquiſiti artificii, ut cum naturalibus

bus de palma certarent. Hæc roſeta, feretro cuidam benè magno impoſita, ibi collocârunt, ubi ſacra Arca tranſitura erat. E regione autem ſui Parthenonis ad introitum, ſive in ore parvæ cujusdam plateæ, aliud altare condiderunt, quod in opulentia, & artificio nulli alteri quidquam conceſſit. En formam illius!

Baſi cuidam prægrandi inſiſtebat menſa triquetra, tribûs pretioſîs antipendiïs velata. Huic incubuit ſtructura quædam, in decem gradus diviſa, in cujus cacumine ſpectabatur majeſtuoſus thronus, in quo refulgebat ineffabile myſterium SSS. TRINITATIS ſub opulentiſſima umbella, cujus limbus ornatus erat tribûs ſcutulis Cruce Trinitaria inſignitîs. Multitudo argenti, præſtantia imaginum, florúmque ſericorum polymita varietas omnium oculos in ſui admirationem rapuerunt. Peculiari tamen præconiô celebratus fuit venuſtiſſimus quidam JESULUS, qui in menſa altaris ſtabat, tantam amœnitatem, & perfectionem ſpirans, ut eſſet magnes omnium oculorum.

In eo loco, ubi platea hortorum, cum illa, quæ ab amore DEI nomen habet, committitur, curâ, & Devotione RR. PP. Auguſtinianorum Recollectorum aliud inſigne altare ſurrexit; aræ ſiquidem ditiſſimîs antipendiïs obductæ, impoſuerunt ligneam molem in quinque gradus aſcendentem, qui ſcabellum præbebant cuidam arcui, ab argento, & floribus ſpectabili, in cujus medio proſtabat ſculpta imago Doctoris, & ſolis Eccleſiæ, S. Auguſtini: Latera hujus arcûs à ſummo usque ad imum nîl niſi ramos argenteos, & corallinos exhibebant, tantásque Reliquias, aliásque res prodigioſas ex ebore, cryſtallo, & argento ſpectatoribus proponebant, ut nemo ſatìs admirari valuerit, quomodo in tantillo ſpatio tot cimelia locum habere potuerint. Totum altare tegebat pretioſum cadurcum, quod ſuis extremitatibus inſignia periſtromata, quæ latè protendebantur, attingebat.

(5) Altare RR. PP. Auguſtinianorum Diſcalceatorum.

In fine plateæ amoris DEI ſeſe aditus pandit ad vicum de Atocha, qui longa opulentorum peripetaſmatum ſerie veſtitus fuit. Initium huic ornatui dabat ſplendidum quoddam altare induſtriâ Patrum S. Joannis de DEO extructum. Forma ejus pyramidem imitabatur: ſtabant autem in utroque altaris latere duæ columnellæ faſtigatæ, quibus totidem JESULI ſelectiſſimæ pulchritudinis inſiſtebant: in medio verò harum columnarum aſſurgebat quædam pyramis, ad viginti, & unius pedis altitudinem, cujus verticem coronabat arcus, ſub quo imago S. Joannis de DEO pretioſo, & acu phry-

(6) Altare Pratrum Miſericordiæ.

gia

Digitized by Google

gia depicto habitu veſtita, ſe in conſpectum dabat. Altaris planities, & duæ columnellæ collaterales tot floribûs erant ornatæ, ut totius veris amœnitas in hunc locum commigrâſſe videretur. In omnibus gradibus nullus erat locus, qui non vaſis argenteis, bombycinísque floribûs largè exornatus fuiſſet, luculentâ quâdam umbellâ totum altare in ejus ſummitate coronante.

(7) *Altare regii Hoſpitalis Arragonenſium.* Haud procul ab hoc Conventu Fratrum Miſericordiæ diſtat celebre Hoſpitale Dominorum Arragonenſium ſub invocatione Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Serrato, cujus Adminiſtrator ſpeciali affectu impulſus viſendum altare architectatus fuit. Aſcendebant octo gradus flexuoſo ordine ſuper rupes quasdam ſcitiſſimè effictas, in quibus ſe imago Beatiſſimæ Virginis MARIÆ eâ formâ, quâ ejus apparitio depingi ſolet, oculis intuentium objecit. Gradus exornati erant ditiſſimo quodam apparatu argenteo, in quorum radicibus ſpectabatur alia imago glorioſiſſimæ DEI Genitricis MARIÆ ſub titulo Derelictorum, cujus lateri adhærebat effigies S. Vincentii Ferrerii. Omnes hi gradus ſedes erant rerum pretioſarum, utputà candelabrorum argenteorum, florum bombycinorum, & exquiſitorum antipendiorum.

(8) *Altare in porta de Loreto.* Pervenimus ad ſeminarium puellarum Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ de Loreto, in quo loco pietas quorundam Devotorum magnificum altare excitavit. Elevabatur iſtud ſuper tres arcus, qui cum ipſo Eccleſiæ pariete fornicem quendam, terſiſſimis undique ſpeculis obductum, efformabant. Latera quoque, quæ figuram dimidii ovi præſentabant, pellucidis ubique ſpeculis refulgebant. In medio ſupradicti fornicis fons prorumpebat, per multos tubos limpidas ſuas undas evomens, cujus venuſtas tot augmentis creſcebat; quot ſpeculis ejus forma multiplicabatur. A pavimento ſenſim aſcendebant ſex gradus, qui arcum fulciebant, in cujus medio ſtabat ſculpta Imago S. P. N. JOANNIS de Matha: ipſi verò gradus diverſis Reliquiis, ſericis floribûs, variiſque ornamentis argenteis elegantiſſimè inſtrati erant.

(9) *Ornatus areæ ante Conventum Sanct. Magdalenæ.* Moniales Conventûs S. Magdalenæ aream ſuæ Eccleſiæ ſplendidiſſimis aulæis Mediolanenſibûs veſtiverunt, atque imaginem Beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ, quæ ante fores illius templi in eminentiore loco conſiſtit, inſignis pulchritudinis arcu ex ſericis floribus conſtructo, circumdederunt, eámque multis argenteis candelabris, & arborum ramis exornaverunt, magnificô cadurcô totam ſtructuram coronante.

E ro-

E regione S. Sebaſtiani in eadem adhuc platea Reverendi Patres Cajetani ſuum altare erexerunt. In grandi quadam baſi ſtabant tria antipendia, aureis filis contexta: Menſa altaris duos habebat gradus, quibus innitebantur ſeptem arcus triumphales, tres quidem in fronte, & in utroque altaris latere duo. Hi ambiebant ſeptem ſculptas imagines tantæ elegantiæ, ut artem ſuperando, naturam quàm proximè imitarentur. Super hos exurgebat alia moles lignea quatuor graduum, quibus tres arcus cum totidem imaginibus inſiſtebant, quæ non minoris erant perfectionis, ac priores. In ſupremo hujus operis cacumine ſtabat prodigioſa imago S. Cajetani ſub argenteo quodam arcu. Erant autem omnes gradus, menſa, & arcus tot ſtatuis argenteis, Sanctorum Corpora ad pectus usque referentibûs, aliisque rebûs pretioſis tam cumulativè inſtructi, ut omnes hunc locum magna admiratione dignum cenſuerint. (10) Altare PP. Cajetanorum.

Conventus noſter ſitum ſuum obtinet in Parochia S. Sebaſtiani, quæ, ut in hac occaſione affectum ſuum, quô S. Religionem noſtram proſequitur, teſtatum faceret, honoravit nos eleganti quodam altari, quod totum plateæ oſtium occupabat. Extruxit igitur ſuper unam menſam, divite antipendio obductam, quinque gradus, cryſtallinis, & bombycinis ornamentis inſtratos, cryſtallino arcu, in cujus vertice prominebat glorioſiſſimus Martyr S. Sebaſtianus ſub pretioſa umbella, totam aram circumeunte. (11) Altare Parochiæ S. Sebaſtiani.

In medio oblongæ areæ, quæ ante Eccleſiam PP. Trinitariorum Calceatorum diffunditur, porta principalis templi conſiſtit. Hanc occupavit unum ex elegantioribus altaribus, quæ in hac feſtivitate conſpecta fuerunt: Aſſurgebat autem ante propylæum templi in forma præcelſæ cujusdam pyramidis, in cujus primo gradu ſedem habuit S. P. N. FELIX de Valois, in ultimo verò, quem pretioſus arcus coronabat, ſtabat imago noſtri glorioſiſſimi Patriarchæ S. JOANNIS de Matha, in cujus pedamento radiabat nomen hujus Sancti aureis literis exaratum. Vix finem invenirem, ſi multitudinem argenti recenſere vellem, quod mox in clypeos tornatum, mox in amphoras excavatum, mox in imagines, & ſtatuas anaglyptica arte elaboratum totam hanc molem adeò implevit, ut ſpectatores omne argentum, quod cantatiſſima illa ærifodina in Peruvia, quæ ſub nomine Potoſi in Europa inclaruit, ex fœcundis ſuis viſceribus unquam protulit, in hunc locum confluxiſſe putarent. Claudebat hoc dives promontorium umbella, ſive baldachinum opere plumario ſplendidiſſimè confectum: exquiſitiſſima verò periſtromata, quæ totam (12) Altare PP. Trinitariorum Calceatorum.

areaṁ ſuperbo apparatu cingebant, majori fulgore totam ſtructuram condecorabant.

# CAPUT VI.

## *Aliorum Altarium Deſcriptio, & Ornatus Platearum.*

(13) Altare PP. Mercenariorum Calceatorum.

IN platea nova nobile altare condidit Religioſiſſima Communitas PP. Mercenariorum Calceatorum, cujus ſtatumen, ſive fundamentum erat ampla quædam porta, ut tranſitus illius loci liber eſſet. Super hanc portam collocata fuit menſâ altaris, argenteô antipendiô conſpicua: Ab ipſa menſa aſcendebant tria tabulata quinque graduum, totidem arcubûs onerata, in quorum medio ſub pretioſô conopeo, argenteîs, ſericisque filis contexto, reſplendebat imago S. Petri de Nolaſco, quæ ulnam longitudine ſuperans, non ſolùm ab arte, verùm etiam à materia, (ex argento ſiquidem conflata fuit) ſpectabilis erat. Ex eodem metallo conſtabant etiam res aliæ cunctæ, quotquot ad ornatum hujus altaris adhibitæ fuerunt.

(14) Altare PP. Prædicatorum.

Paulò inferiùs viſendum altare excitavit Religioſum Collegium Patrum Prædicatorum, qui Conventum S. Thomæ incolunt. Super unam baſim tres arcus in altum ſe efferebant, qui ad artem perſpectivam diſpoſiti gratiſſimô ſpectaculô diverſas rupes, arbores, fontésque exhibebant, in quorum medio ſtabat cervus bicolore S. Religionis noſtræ cruce inſignitus, & ad aquas anhelans, eâ nimirùm formâ, quâ glorioſiſſimis Patriarchis noſtris in montibus Brodeliæ apparuit. Super hos arcus erectum fuit altare argenteis antipendiis velatum, in quo repræſentabatur S. P. N. JOANNES de Matha primam lithurgiam DEO offerens, ante quem ſex gradus ſuſtentabant arcum argenteum, in quo videbatur angelus veſte Trinitaria amictus, & decuſſatis brachiis duos captivos, alterum Maurum, alterum verò Chriſtianum tenens, eô planè modô, quô Sanctiſſimo Patriarchæ noſtro, dum prima vice ad aras operaretur, ſeſe ſpectabilem præbuit. Omnes gradus exornati erant argenteis imaginibûs, floribûs, & plurimis candelis, quæ loco huic magnam amœnitatem conciliârunt.

(15) Area S. Crucis.

In area, quæ parochiali templo S. Crucis præmittitur, magna religione, ac pietate fidelium colitur prodigioſa quædam imago ſub titulo: Sanctus CHRISTUS afflictorum. Hæc decorata fuit multis ramis, & candelabris argenteis. Omnes muri hujus areæ pul-

pulcherrimis tapetibûs veſtiti ſuperbiebant: Cúmque hæc imago tanta devotione ab omnibus honoretur, non potuit non eſſe locus iſte valdè conſpicuus.

Forum majus hujus urbis, quod etiam abſque novo picturæ ornatu, quô non ità pridem cohoneſtatum fuit, ex mente omnium Exterorum æquè, ac indigenarum cunctis Europæarum civitatum foris in Architectura, & domorum elegantiâ præfertur, in hac occaſione majorem adhuc pulchritudinem obtinuit, quia omnia clathra, quæ æqualitatem menianorum impedire potuiſſent, amota, & depoſita fuerunt: In veſtibulo pannificum conſtruxerunt ſuum altare RR. PP. S. Franciſci ſuper unam magnam baſim, cui menſam aræ impoſuêre. Hanc menſam onerabant quatuor gradus, qui bajulorum munere functi ingentem arcum portabant, ſub cujus ambitu imago S. Franciſci refulgebat. Inventio, & diſpoſitio ornatûs peculiari conſideratione digna fuerunt; conſtabat enim ex multis ſolibus, quos artifex ex cryſtallo in hanc formam reduxit, quibus permixti erant innumeri rami, & flores bombycini, ſplendidâ quadam umbellâ verticem altaris occupante. (16) Altare PP. Franciſcanorum.

In illo loco, qui viam aperit ad portam de Guadalaxara, erexit magnificum altare Imperiale Collegium Societatis JESU. In magno quodam ſtatumine aſſurgebat menſa altaris, quam tegebat antipendium ex puriſſimo argentô fabrefactum, diverſas Sanctorum imagines arte anaglyptica referens, quæ res ſola oculos majorem in modum recreare potuiſſet. Septem prætereà arcus, qui duobus gradibus inſiſtebant, & quinque pedes altitudine æquabant, totidem imagines Sanctorum ex Societate JESU circumdabant. Super hos aliud tabulatum eminebat, quod in ſplendidum arcum excurrens imaginem magni, & glorioſi Patriarchæ S. Ignatii de Loyola ſub divite quodam conopeo, ad artis amuſſim confecto ſuſtentabat. Totum tabulatum, gradus, & arcus tanta argenteorum vaſorum multitudine ornati erant, ut cùm nonnulli curioſi eorum numerum inire vellent, propoſitum ſuum aſſequi non potuerint. (17) Altare Collegii Imperialis.

Haud procul à ſupradicta porta de Guadalaxara, ea parte, quâ tranſitus eſt ad plateam aurifabrorum condiderunt altare Patres S. Ægydii, cujus forma ex tribus tabulatis, in ſexangularem figuram redactis, conſtabat, triáque pretioſa antipendia præſeferebat. Hæc tabulata gradibus quibuſdam innitebantur, ſuáque mole tres arcus ſpecioſos ſuccollabant, ex quibus duo, in utroque latere turgentes, totidem imagines parvuli JESU circuibant, tertius verò, (18) Altare PP. S. Petri de Alcantara.

 qui

qui medium ſitum obtinebat, thronum S. Petro de Alcantara faciebat. Reliqua altaris loca diverſis reliquiis, oſſibûs, & corporibûs Sanctorum, quæ in pretioſis, & deauratis urnis aſſervabantur, copioſiſſimè exornata fuerunt, quæ diſtinguebant multiplices ſericorum florum faſciculi, gratô colorum ludibriò oculos demulcentes.

(19) Altare PP. Mercenariorum Diſcalceatorum.

In ore plateæ ſutorum amœniſſimum altare in forma octangula explicuit Reverenda Communitas PP. Mercenariorum Diſcalceatorum. In menſa altaris ſtabat parvulus JESUS ſub ſchemate paſtoris, oviculam in humeris bajulantis, ad cujus alterum latus repræſentabatur S. Joſephus inter rupes, & arbores ſuavi ſomno oppreſſus, in altero autem, quod jucundiſſimum florum theatrum exhibebat, ſedebat in molli ceſpite candidiſſimum illud Virginitatis lilium, digniſſima DEI genitrix MARIA, quæ agnellis, ſibi circumfuſis, dulciter blandiebatur. Tam amœnum autem hoc erat ſpectaculum, ut multi exuberante gaudii ſenſu in tenerrimas lacrymas reſoluti fuerint. Super menſam altaris lentè porrigebantur novem arcus, inter quos ſtabant novem ſtatuæ Maurorum, geſtibûs, & actionibûs ità compoſiti, ac ſi confeſtim lætum aliquem ſaltum eſſent exorſuri. Super hos erectum erat aliud tabulatum, quatuor gradibûs ſublime, & in tres arcus argenteos deſinens, in quorum medio effulgebat imago Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Mercede, quam ſub duobus arcubus collateralibus aſſectabantur S. Raymundus Nonnatus, & glorioſa Virgo, & Martyr, S. Barbara, tamquàm Patrona principalis hujus Conventûs. Gradus ornati erant ſericis floribûs, candelabris, aliiſque cimeliis argenteis.

(20) Altare PP. Agonizantium.

In oſtio plateæ S. Chriſtophori ſplendidum caput ſuum efferebat altare Reverendorum Patrum Agonizantium, cujus forma, ſi gradus ſpectentur, qui ſuper opulenta antipendia aſſurgebant, ovalis erat. In utroque altaris latere ſtabant duo venuſti JESULI, duobus parvis obeliſcis impoſiti. Spatium quod inter utrumque intercedebat, occupavit elegantis operis arcus, ſub quo conſpiciebantur duo angeli argentei, aurô tamen largè obducti, qui junctis, & in ſublime protensîs manibûs tenebant crucem (Inſigne hujus S. Religionis) tot adamantibûs interpunctam, ut eorum fulgore perſtricti oculi diſcernere nequiverint materiam, ex qua formata fuit.

(21) Altare PP. Auguſtinianorum Calceatorum.

In gradibus S. Philippi ſuum Altare fundaverunt RR. PP. Auguſtiniani Calceati, quod in formam triquetram diviſum tribûs antipendiis ornabatur, ſuper quæ conſurgebant quinque gradus in ſplendidum arcum excurrentes, in cujus medio ſtabat glorioſiſſimus Do-

Doctor, & ſol Eccleſiæ S. Auguſtinus: aliæ verò altaris partes magnificè decoratæ erant diversís imaginibûs, argenteis floribûs, & Reliquiarum capsis, nobili baldachino totam ſtructuram claudente, cúmque area illius Conventûs eminentiorem ſitum obtineat, ipſum etiam altare oculos auguſtiùs divertebat.

In ultimo angulo ejusdem plateæ ſuum Altare ædificaverunt Reverendi Patres Carmelitæ Calceati. Baſis magna menſam altaris ſuſtinebat, quam ſepivit argenteum antipendium. Indè aſcendebant quatuor gradus, quibus inſiſtebat venuſtiſſima imago magni Prophetæ S. Eliæ, argenteo margine circumcincta, & ſplendidiſſimâ umbellà obumbrata. Reliquam altaris planitiem obſidebant diverſi rami argentei, aliáque ornamenta. (22) Altare PP. Carmelitarum Calceatorum.

Haud procul à porta ſolis in ipſa area Eccleſiæ Noſtræ Dominæ de Solitudine Reverendi Patres Paulani elegans Altare erexerunt, cujus baſis pilas, & clathra, quibûs area illa vallatur, altitudine æquabat. Super hanc aſſurgebat menſa altaris argenteô antipendiô præcincta, & quinque gradibûs onuſta, in quorum ultimo argenteus arcus coruſcabat, intra quem crux ſpectabatur, ad cujus utrinque latus ſtabant duo glorioſiſſimi Sancti Franciſci, de Paula nimirùm, & de Sales. Aream porrò, ejúsque pilas, & clathra ambiebant ſplendidiſſima peripetasmata. Altare coronabat conopeum acu phrygia depictum: Gradus autem vernabant diversís floribûs, pretiosis imaginibûs, & ornamentís argenteís inſtrati, quæ omnia accedente plurimarum candelarum fulgore oculos gratiſſimè exhilarabant. (23) Altare PP. Minimorum.

Ad ingreſſum plateæ, quæ ab opificibus cribrorum, ſive ſecerniculorum nomen habet, Reverendi Patres Carmelitæ Diſcalceati Altare compoſuerunt quinque graduum, ſuper unam menſam erectorum, quæ omnia obducta erant polymita, & deaurata papyrô. In extrema ejus parte aſſurgebat arcus ex floribus bombycinis conſtructus, in cujus gremio reſidebat Myſtica Magiſtra, S. Thereſia: Gradus autem variis ramís, capsísque Reliquiarum decorati erant. (24) Altare PP. Carmelitarum Diſcalceatorum.

In porta Hoſpitalis Dominorum Italorum pietas Adminiſtratoris ejusdem elegans Altare molita fuit: hoc in tres partes diviſum formam octangulam referebat, ſeptémque gradibûs turgebat, quorum ultimus excipiebat magnam pyramidem, plurimís vasís argenteís conſpicuam, quæ diſcriminabant diverſæ Sanctorum Italorum imagines, in Italia elaboratæ, quarum naturalis pulchritudo, & perfectio omnes in admirationem dabat, dulcíque ſpectaculô delectabat. (25) Altare Hoſpitalis Dominorum Italorum.

(26) Altare PP. Clericorum Minorum.

Patres Clerici Minores, qui Eccleſiam à SPIRITU SANCTO nuncupatam poſſident, omnes divitias ſui templi ad ornatum ſui Altaris protulerunt. Forma ejus triquetra fuit, ac propterea etiam tria antipendia oſtentavit. Super menſam altaris elevabantur ſex gradus, inſignis decoris arcum fulcientes, ſub quo dominabatur Princeps cœleſtis militiæ, S. Michaël Archangelus, ad cujus latera deſcendebat duplex ſeries toreumatum ſcitiſſimè ſculptorum. Præcipuum decus hujus altaris fuit, quòd tota ejus ſtructura ad ipſos usque ramos, urceos, & arcus aliam materiam non habuerit, quàm argentum malleatum, ut proinde altare alio ornatu opus non habuerit ad publica præconia promerenda, quàm ſimplici ſuâ, nudâque ſtructurâ.

(27) Altare PP. S. Hieronymi.

Reverendi Patres Hieronymitani, qui nunquàm aliàs in ſimilibus functionibus Altare conſtruxerant, hac vice tamen latam porticum ſuam opulentis aulæis obduxerunt, & in ipſo Eccleſiæ propylæo altare ſtatuerunt, quod, licèt præter menſam, & antipendium duos tantùm gradus, & unum arcum habuerit, tanta nihilominùs rerum pretioſarum varietate, ac multitudine inſtructum fuit, ut earum præſtantiâ alia non ſolùm æquaverit, ſed & de palmâ contenderit.

(28) Altare PP. Capucinorum.

Conventus S. Antonii, quem RR. PP. Capucini incolunt, ſingularem amoris affectum erga nos oſtendit, partim quòd ejus indigenæ nativa quadam propenſione in pietatis operibûs ferveant, partim quòd loci viciniâ nobis conjungantur. Totam aream, quæ ante Eccleſiam eorum extenditur, occupavit vaſta quædam, & prægrandis moles lignea, Deſertum quoddam montanum repræſentans, in cujus cavernis, & ſpelæis promicabant exquiſitæ imagines Sanctorum Anachoretarum, S. Onuphrii, S. Mariæ Magdalenæ, S. Petri de Alcantara, aliæque ſtatuæ florido, & herbeſcenti cæſpiti inſertæ, multisque floribûs, fontibûs, & arboribûs aureorum malorum circumdatæ, quæ licèt omnia viſum blandiſſimè recrearent, ſingulare tamen fuit oculorum illicium ſpeculum quoddam, in quo repræſentabatur ſpecioſus infantulus inter flores, herbásque recumbens, qui tamen nullibi aliàs videri potuit, ſed per ſpeculum duntaxat oculis intuentium ſeſe objecit, ingeniô artificis peculiare quoddam artis trophæum in eo ſtatuente.

Super hanc molem eminebat ſplendidus thronus, pretioſâ umbellâ coronatus, cujus ſinuoſa ſyrmata per totam aream diffuſa protendebantur: Hic autem thronus erat ſedes cujusdam imaginis, quæ glo-

Digitized by Google

glorioſum Patriarcham, S. Franciſcum Seraphicum exprimebat, ad cujus latera ex utraque parte quatuor arcus aſſurgebant, ſub quibus totidem imagines variorum Sanctorum refulgebant. Cæterùm, quod omnium admiratio maximè celebravit, fuit baſis ſupradicti throni, cujus ſuggeſtus præſeferebat figuras Sanctorum trium Regum Magorum, quibus formam donavit labor acûs, ſed tam eleganter, ut multas etiam celeberrimi nominis picturas longô poſt ſe reliquerint intervallô.

In platea Francorum ſpectabili prorsùs apparatu reſplenduit elegantiſſimi operis altare, quod impenſis, & induſtriâ nobiliſſimæ Congregationis, ſub titulo JESUS Nazareni ſurrexit. Totam ejus ſtructuram ambiebat magnus quidam arcus triumphalis, ultra quadraginta pedes in altum elatus, & ex omni parte argentô, ſplendidisque picturis exornatus. In ejus vertice ingens concha, florum tæniolis, cruſtisque argenteis decora, magnifico ſchemate prominebat, & ſtructuram ad inſtar baldachini claudebat. Tria tabulata, in forma ovali compaginata, tribûs pretioſiſſimis antipendiis amiciebantur, ex quibus illud, quod medium locum obtinebat, & ſeptem gradibûs in ſublime aſcendebat, thronus erat imaginis JESUS Nazareni, elegantiſſimè depictæ: Alia verò duo totidem arcus, & imagines geſtabant: cuncti autem gradus eorum tot ſpeculis, tanta vi argenti, tótque rebûs pretioſis ſuperbiebant, ut hoc altare ex mente omnium inter præſtantiſſima computatum ſit, quæ in hac ſupplicatione viſa fuerunt. Haud diſpari cultu omnes plateæ reſplenduerunt, utpote quarum meniana, januæ, & feneſtræ pretioſiſſimis tapetibûs Neapolitanis veſtita fuerunt, adeò quidem, ut vix paries aliquis viſus ſit, qui non ſuo peculiari ornatu oculos intuentium ſolicitâſſet: oſtia verò platearum, in quibus nullum altare occurrit, obducta fuerunt oblongis aulæis, inſigni pulchritudine conſpicuis. Omnes denique plateæ, per quas Proceſſio tranſitura erat, repræſentabant magnificentiſſimum quoddam theatrum, quale urbs iſta nunquam vidit: Plebis concurſus, ad ſpectandum ornatum platearum, & altarium effuſus, fuit adeò confertus, ut ab hora undecima usque ad quartam ægrè in ordinem redigi potuerit.

(29) Altare Confraternitatis JESUS Nazareni.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## *Solemnis Proceſſio, & triumphalis pompa, quâ S. Corpus in publicum elatum fuit.*

QUartâ à meridie horâ cœpit hæc triumphalis pompa in plateas prodire, quod ſequenti formâ contigit. Agmen ducebat turma apparitorum urbicorum, & doryphororum ſuæ Majeſtatis, qui denſiſſima populorum examina perrumpentes, Proceſſioni viam aperiebant. Hos ſequebantur perſonati gigantes, qui licèt cæteroquin in ſolo feſto Corporis Primi Redemptoris Domini noſtri JESU CHRISTI comparere ſoleant, nihilominùs tamen etiam hodie feſtum cujusdam glorioſi Redemptoris Captivorum ſuâ præſentiâ condecorare voluerunt. A tergore iſtorum incedebant omnes Confraternitates, in ſua vexilla, & labara partitæ, ardentésque candelas in manibus geſtantes. Poſt Confraternitates ſequebantur ſigna, & cruces Parochiarum, quas immediatè excipiebant Communitates Religioſorum.

Equidem non ſumus nos primi in ſimilibus functionibus, hodie tamen locus iſte nobis aſſignatus fuit, quia Proceſſio è noſtro Conventu exivit. Ibat itaque noſtra Communitas Religioſiſſimæ Communitati RR. PP. Trinitariorum Calceatorum aſſociata, qui ta.nquàm filii glorioſiſſimi Patriarchæ hujus applauſum noſtrum ſibi proprium fecerunt, cujus ſplendorem augebat non ſolùm hæc ipſa ſocietas, verùm etiam incorporatio nobiliſſimæ Congregationis JESUS Nazareni, quæ hac occaſione ambabus Communitatibus immixta gradiebatur, ipſo Excellentiſſimo Domino Duce de Oſſuna (qui tamquam ſenior Conſiliarius iſtum honorem ſibi vendicabat, ídque propterea, quòd Dux de Medina cœli, cui munus iſtud competebat, in labaro nobilitatis Hiſpanicæ ferendo occupatus eſſet) in medio N. R. P. Generalis, & Patris Miniſtri Calceatorum, qui huic functioni præſidebant, Confraternitatis vexillum portante.

In medio autem hujus triplicis Communitatis ſex Religioſi Sacerdotes, quorum tres erant ex Ordine noſtro, tres verò alii ex Ordine PP. Calceatorum, geſtabant in ſplendido quodam feretro imaginem S. P. N. FELICIS de Valois, cujus veſtis ſerica, licèt acu phrygia eſſet operoſiſſimè depicta, locum tamen dedit, ut inter argentea fila lætè promicarent adamantes, & ſmaragdi, quorum tantus erat numerus, ut vix dignoſci potuerit, ex quanam potiſſimùm mate-

materia veſtis illa confecta fuerit. Imaginem hujus Sancti proximè antecedebant tres puellæ, ad inſtar angelorum pretioſiſſimè veſtitæ, quæ accenſas candelas in manibus deferentes glorioſo Patriarchæ noſtro prælucebant.

Sequebantur deinde reliquæ Communitates cum crucibus, & candelis, quarum veſtigia premebant duo tubicines, tympanotriba ſonorum taratantara ſpargentes: poſt iſtos incedebat tota nobilitas Hiſpanica in Grandes, Principes, Legatos, Conſiliarios, Marchiones, & alios titulos diviſa, adeò, ut ſicut nulla perſona authoritatis fuit, quæ ad hunc actum invitata non eſſet, ità quóque nulla fuerit, quæ non officioſiſſimè comparuiſſet. In medio Procerum inſigne labarum portabat Excellentiſſimus Dominus Dux de Medina cœli, qui pro hac functione novum confici juſſit, aureis, ſericíſque filis depictum, in cujus una parte refulgebat imago glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri, S. JOANNIS de Matha aureis, argenteis, ſericíſque filis opulentiſſimè picta, in altera verò ſplendebant Inſignia hujus Excellentiſſimæ domûs

Proximum à Magnatibus locum occupaverunt ſedecim puelli, habitu Captivorum veſtiti, crepidis, pileolis, & pretioſis Maurorum veſtibûs amicti, ſcapularia S. Ordinis noſtri, acu picta, gemmíſque ornata in pectore deferentes, quos præcedebat una puella, ad ſimilitudinem angeli veſtita, habitu tamen Trinitario induta, quæ cancellatis manibûs (ùt quondam angelus ille, qui glorioſiſſimo Patriarchæ noſtro in prima Ejus liturgia publicè apparuit) in duabus catenis argenteis ducebat duos captivos, alterum in veſtitu Maurorum, alterum autem in amictu Chriſtianorum. Sequebantur deinde alii viginti puelli tamquàm angeli pretioſiſſimè exculti, qui teneris manibûs modeſtè portabant diverſa inſignia noſtri Sancti.

Hos rursùs ſequebantur duæ Cruces Parochiarum S. Sebaſtiani, & S. MARIÆ, in quarum medio portabatur Crux Capituli Dominorum Parochorum, & beneficiariorum, qui omnes in ſocietate Reverendiſſimi Domini Vicarii ferculum, in quo S. Corpus requieſcebat, immediatè præcedebant. Erat hoc ferculum extructum in forma magni cujusdam throni, cujus maxima pars ex argento conſtabat, quod bombycini flores variegatô colorum ludibriô amœniſſimè decorabant. In hoc ſpecioſo Thabor erat collocata ſacra arca, quam bajulabant quatuor Sacerdotes ex Ordine PP. Trinitariorum Calceatorum, quatuor Grandes Hiſpaniæ, & quatuor Sacerdotes ex Ordine noſtro. Ex his bajulis Religioſis omnes erant aut Præla-

ti, aut Magiſtri. Arcam obumbrabat baldachinum argenteis filis tam opulentè pictum, ut multi, qui totam Europam peragrârunt, aſſeverare non dubitaverint, ſe nusquam locorum rem magis ſplendidam, aut conſpicuam vidiſſe. Hoc portabant duodecim Religioſi, qui & ipſi Prælati erant, & Magiſtri ex utraque Familia Trinitaria.

Hanc triumphalem pompam claudebat Senatus, & Magiſtratus hujus Imperialis, & coronatæ Villæ Madritenſis, quem præcedebant conſueti duo reges armorum, quatuor anteambulones, quos Mazeros vocant, ac ipſe denique ſupremus Judex Civitatis: Senatores autem tantâ frequentiâ comparuerant, ut illi ſoli abſuerint, qui gravi invaletudine præpediti adeſſe non poterant. Finem huic agmini dabat Dominus Don Franciſcus Antonius de Salzedo, Marchio de Vadillo, urbis hujus Gubernator. Ab ipſo feretro, usque ad urbis Gubernatorem incedebant ex utroque latere duó ordines ſatellitum ſuæ Majeſtatis, ut importunitatem plebis compeſcerent, omnique confuſioni intercederent. Singularis tamen miraculi locò habitum fuit, in tam immenſo concurſu, & populi multitudine, quâ nunquam in hac urbe major viſa fuit, nullam perturbationem emerſiſſe, aut infortunium aliquod accidiſſe, ſed omnia ità placidè, ac tranquillè ceſſiſſe, ut Proceſſio ſumma gravitate, & decore ambulare potuerit.

Horâ tandem mediâ octavâ, veſperaſcente jam die, glorioſus iſte triumphus finem ſortitus eſt, quo tempore ſacra Arca Altari majori impoſita, & in loco, ei priùs jam præparato, collocata fuit; cúmque omnia fauſtis jubilìs, & feſtivìs acclamationibûs reſonarent, doluêre plerique, imminentium tenebrarum caligine commune gaudium intercipi, & ſufflaminari. Verùm licèt obſcurum noctis chaos atrum ſuum ſiparium ſuper noſtrum hemiſphærium expanderit, efficere tamen non potuit, ut homines ei plurimis facibûs, quas publicè accenderant, totisque ſtruibûs ardentibûs non inſultarent, ſonoro interim tympanorum, tubarum, lituorum, & campanarum clangore devotorum corda ad ſequentis diei ſolemnitatem invitante, quæ principium datura erat Majeſtuoſis illis Feſtivitatibus, pro gloria, & honore noſtri Sancti adornandis.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT VIII.

## *Dies primus Feſtivitatum, quæ incœperunt quartâ Maji, die Lunæ.*

ILluxit tandem ſequens dies, quæ in quartam Maji incidit, & à luna nomen habuit: Illuxit autem ſerena admodùm, hilarique facie, tamquàm nitidiſſimis ſuis lucibûs ſplendorem hodiernæ feſtivitatis augere geſtiret. Hanc, ùt primùm è purpureo ſuo thalamo, roſeiſque auroræ brachiis prodivit, tubæ, tympana, omnéſque campanæ lætiſſimo plauſu ſalutaverunt, nováque gaudia, & jubila in cordibus hominum excitaverunt.

Ex mente S. Iſidori hæc dies ideò à luna nomen habet, quia iſte planeta in eum dominatur, de quo Aſtrologi referunt, eum peculiari quadam virtute pollere aquas ad ſe attrahendi: Cùm autem aquæ in S. Scriptura ſymbolum ſint multarum gentium, & populorum: ***Aquæ multæ populi multi***, cúmque hæc prima dies fuerit Devotionis holocauſtum noſtrorum Catholicorum Monarcharum Don Philippi Quinti, & Doñæ Eliſabethæ Farneſiæ, dici haud immeritò potuit, noſtrùm glorioſum Patriarcham in hiſce duabus perſonis regiis omnes populos Monarchiæ Hiſpanicæ ad ſe attraxiſſe.

D. Iſidor. lib. 5. c. 30. apud Beyerlink. verbô: *Dies.*

Apoc. c. 17.

Veteres de Luna finxerunt, terram ab ea aureo imbre fœcundari, quò deſignare voluerunt, ùt Pierius Valerianus ſcribit, abundantiam bonorum, & beneficiorum, quibûs mundus iſte per influxum hujus ſalutaris planetæ ditatur: ***Per aureum verò imbrem cœleſtium bonorum affluentiam.*** Neceſſarium proinde erat, ut nos quoque maximis felicitatibûs hac die cumularemur, quâ pietas noſtrorum Catholicorum Monarcharum tam affluentes favores nobis præſtitit.

Pier. Valer. fol. 577. A.

Decreverat autem N. R. P. Generalis, ut hæc dies peculiari quadam prærogativâ cæteras antecelleret; ipſa namque ratio depoſcebat, ut noſtri Catholici Monarchæ ſolemnitatis Majeſtate ab aliis diſcernerentur: Invitatus proinde fuit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Alexander Aldobrandini, Sedis Apoſtolicæ in his Regnis Legatus, ut ritu Pontificali ad aras operândo ſuæ perſonæ charactere præſentem feſtivitatem præ aliis redderet illuſtriorem.



Digitized by Google

Horâ diei decimâ ſuîs jam Dalmaticis, ùt vocant, & Pluvialibûs amicti operiebantur adventum Illuſtriſſimi Domini Nuncii decem S. Ordinis noſtri Religioſi, qui omnes erant è numero graviorum, & authoritate conſpicuorum. Aderant pariter in hunc finem Magiſter Cæremoniarum, Sacellani, & Ephebi ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis, quæ præfixâ horâ thronum ſuum occupans initium dedit functioni tam ſolemni, quâ ſplendidior multîs retrò actîs annis viſa non fuit. Decantatô Evangeliô, cui Ephebi ſuæ Illuſtriſſimæ accenſîs facibûs adſtiterunt, pulpitum conſcendit, multùm R. P. Fr. Joannes à S. Calixto, qui poſt plurima, & præcipua, quæ in S. Religione noſtra adminiſtraverat, officia, poſt explicatas etiam magna ingenii commendatione Theologiæ Scholaſticæ quæſtiones, eo tempore Provinciæ Transfigurationis in Andaluſia ſub titulo Provincialis præerat, jamque plurimîs ſuîs concionibûs, quas typis ſubjecerat, grandem ſibi nominis celebritatem pepererat. Hic itaque hodierna die maxima ſubtilitate, ac eruditione opinioni, de ſe conceptæ, reſpondit, ùt clariùs patebit, ſi ipſa ejus Concio in medium proferatur, quæ eſt ſequens.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam in prima die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

## JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum ad frequentiſſimum Auditorium dixit M. R. P. Fr. Joannes à S. Calixto, actualis Provincialis Andaluſiæ, ſive Provinciæ Transfigurationis.*

Hanc Feſtivitatem Majeſtates Catholicæ adornaverunt.

## THEMA.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Matth. cap.* 10.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

## SALUTATIO.

Eccleſ. 40. v. 8. ECcleſiaſticus nobis conſulit, ut id, quod alicui donatur, & quod ab altero in proprietatem accipitur, ſolicitè literis commen-

mendetur : *Datum verò, & acceptum omne deſcribe.* Qui alteri quidpiam donat, ſuam liberalitatem demonſtrat, qui autem munere aliquo afficitur, ſuam hôc pactô gratitudinem declarat. Voluit itaque Divinus Spiritus, ut datum omne, & acceptum deſcriberetur, quatenùs utriusque memoria, literis comprehenſa, perennaret.

Fateor, mi glorioſe Pater, & Patriarcha! voluntatem hodierna die meliùs locuturam, quàm intellectum. Intellectus eſt ſcatebra ratiociniorum, voluntas eſt mater gratitudinis: Cùm verò hujus Donationis magnitudine intellectus propemodùm ſubmergatur, opus eſt, ut voluntas in ſuppetias veniat, & facunda gratiarum actione intellectûs deliquia ſuppleat. Scribatur itaque Donatio, & gratiarum actio. Inſculpatur hæc Donatio marmori, ut perpetua ejus extet memoria: Inſcribatur hoc acceptum intimis animorum noſtrorum penetralibus, ut gratitudo noſtra nunquam deſinat.

Annô præſente, Milleſimô videlicet, Septingenteſimô, vigeſimô ſecundô, die ſeptima Februarii Venerabile Capitulum Eccleſiæ Vaticanæ ſacrum Corpus mei Patris, & Fundatoris S. JOANNIS de Matha meæ Cœleſti Familiæ Trinitariæ Diſcalceatæ in donum, & proprietatem contulit, eámque ab omni reſtitutionis onere abſolvit, quam etiam Donationem ſacra Congregatio Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium, S. Concilii Tridentini Interpretum, Referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Hannibale Albano confirmavit, & approbavit, hac tamen conditione adjecta, ut mea Diſcalceata Religio teneatur unum lapidem erigere, eidémque tantæ Donationis ſeriem pro æterna Poſterorum memoria inſculpere: *Ità tamen*, verba ſunt Reſcripti, *ut in loco viſibili ejusdem Eccleſiæ, curâ, & expenſîs ipſorum lapis apponatur, in quo pii muneris, & largitionis factæ à Capitulo Eccleſiæ Vaticanæ plena mentio babeatur.*

Scribendum eſt itaque Datum, & Acceptum: Datum quidem in pario lapide pro notitia Poſterorum: Acceptum verò in tabulis noſtrorum Cordium, pro æterna gratitudine. Datum, mi glorioſe Patriarcha! binis duntaxat vicibûs deſcriptum fuit, in Diplomate nimirùm, & in lapide: Acceptum autem ſcribetur in tot marmoribus vivis, quot ſunt corda filiorum Tuorum Diſcalceatorum. Amor noſter eſt marmorea tabula noſtra, in qua honor iſte Tuus tamquàm proprius rubricabitur. Altera præterea conditio adjecta fuit, ut

nimirùm Romam mittatur una Reliquia, quæ procul dubio inſignis erit, cùm de Corpore mei S. Patriarchæ deprompta ſit. Hæc igitur Donatio noſtris cordibus inſcripta voluntates noſtras majori gratitudine inflammat, quia meo S. Patriarchæ honores duplicantur. Hæc eſt ſuccincta totius rei epitome. Tranſeamus nunc ad S. Scripturam.

Sceptriger Vates graphicè deſcribit, veniſſe tempus, quô DEUS Davidis, aut potiùs corporis ejus memoriam faceret: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Totus Pſalmus iſte, ùt Lorinus, & Incognitus advertunt, ad literam de CHRISTO intelligitur, quia PATER æternus recordatus eſt laborum, quos CHRISTUS, tamquàm mundi Redemptor in ſua vita mortali exantlavit, ac propterea, ubi noſtra Vulgata habet: *Et omnis manſuetudinis ejus*, legit S. Hieronymus: *Et omnis afflictionis ejus*, alii autem: *Cum omnibus afflictionibus ejus.* Hæ autem afflictiones fuerunt totidem gradus, quibûs ad ſummam altitudinem aſcendit.

Pſalm. 131. v. 1.

Lorin. & Incog. in hunc Pſal.

S. Hieron. alii ex Hebræ.

Hoc ſanè Rex Prophetarum innuere voluit, quando dixit: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.* Hæc arca eſt mortuum corpus Diviniſſimi Redemptoris noſtri, cujus typum quondam geſſit, ùt Lorinus S. Auguſtini veſtigia ſecutus obſervat, tam Arca Noë, quàm Arca illa veteris Teſtamenti: *Opponit Auguſtinus hanc Arcam Noë Arcæ Noë, & Teſtamenti, ſeu Teſtimonii.* Per iſtam verò arcam intellexit Corpus cœleſtis Redemptoris: *Ut arca ſumatur pro Corpore CHRISTI*, ſub forma cadaveris: Undè etiam doctus Lauretus dicere non dubitavit, oſtium Arcæ Noë ſymbolum fuiſſe vulneris, CHRISTI lateri inflicti: *Oſtium in latere eſt illud vulnus, quando latus Crucifixi lanceâ perforatum eſt.* Ut proindè totus iſte Pſalmus ad literam de ſacratiſſimo Corpore Diviniſſimi Redemptoris noſtri intelligendus ſit.

Id. Pſalm. v. 8.

Aug. apud Lorin.

Idem Lorin.

Lauret. verbô: *Arca.*

Hæc ego nunc ſervata proportione glorioſiſſimo Patri meo, S. JOANNI de Matha, qui etiam in vita ſua Redemptoris munere functus fuit, applicabo: Arca eſt Ejus cadaver; in hac ſiquidem Arca Divinæ Providentiæ manibûs tam affabrè expolita, Ejus Sanctiſſima anima multis annis clauſa fuit. Hæc arca aſcendit, & elevata fuit in requiem ſuam: *Surge .... in requiem tuam.* In

Digitized by Google

In quadam arca, illi perſimili, quam Noë architectatus eſt, ubi, ùt Jacobus Edeſius, à Beyerlink citatus, ſcribit, aſſervabantur oſſa primi parentis noſtri, Adami: *Noë oſſa Adami in Arcam religioſè ſuſceperit.* Hanc itaque Arcam, oſſibûs mei primi Redemptoris refertam, ejus filii elevare contendunt, qui alium modum eam magnificandi, & in altum evehendi non inveniunt. Jacob apud Beyerl.

Aſt quomodo elevatur hæc Arca cum oſſibus in ea contentis? Dum S. Pater meus ex innata ſui amoris propenſione hunc thronum eligit, ut ſuis filiis in hoc ipſo throno ſedem præparet: *Et filii eorum uſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*, vel ùt alia verſio legit: *Et filii ejus.* Dum hunc montem Sion (quo nomine meam ſacram Diſcalceatam familiam deſigno: *Quoniam elegit Dominus Sion*) eligit, ut ei proprietatem ſui ſacri corporis conferat. Id Pſ. v. 12. Flor. in v. 13.

Addidit autem Lorinus, electos fuiſſe filios filiorum: *Filii filiorum ejus.* Elegit itaque meus S. Patriarcha filios ſui filii, videlicet V. P. F. Joannis Baptiſtæ à Conceptione, Fundatoris meæ Diſcalceatæ Religionis: Hos elegit, tamquam novum Benjamin ſuorum oculorum, ut perpetuam inter eos ſibi habitationem conſtrueret: *Elegit eam in habitationem.* Idem Lorin.

Et quemadmodùm S. Joannes ait: *Non enim nos elegimus DEUM, ſed ipſe nos.* Ità prorsùs S. P. meus JOANNES de Matha elegit hóſce filios ſuos, eiſdémque ſuum affectum conſecravit, ut ex ejus electione, & amore ſit mea Diſcalceata Familia verus poſſeſſor ejus ſacri Corporis.

Tam ſingularia amoris indicia ſunt ideæ hujus columbæ cœleſtis, & amantis: Hæc arca reſpicit, & alludit ad ferculum Salomonis: *Ferculum fecit rex Salomon*, ut ei Arcam veteris Teſtamenti imponeret, dicit Verſio Chaldaica: *Poſuit in medio ejus Arcam Teſtimonii.* Ornatum autem fuit pulchra quadam imagine, columbæ figuram referente. Cant. 3. v. 9.

Ità ſanè Flores ſcripſit: *In medio, ſeu interiori pompatici illius currûs effluxiſſe amoris ſymbolum ſub columbæ ſpecie.* Perſtrepebat inter ipſas amoris flammas gratum murmur columbarum. Emblema hoc fuit ſacri Corporis mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha, columbæ adeò amantis: *Simplices ſicut columbæ.* Flor. de inclyto Ag. Matth. in ſup.

ut

Digitized by Google

ut jam nec amor ejus, nec noſtra voluntas habeat, cur gemat; hac namque Donatione ejus veneratio plenum eſt conſecuta ſplendorem.

Hæc veneratio adumbrata fuit in illo ferculo, ſive curru triumphali, in quo ars cum materia de præſtantia certabat. Audiatur Flores: *Ex auro, argento, margaritis, rubinis, carbunculis, & aliis gemmis pretioſis efformatum.* Quodſi autem cæci gentiles in Palæſtina quondam auſi ſunt columbam tamquàm Deam venerari: *A Palæſtinis tanto honore habita columba, ut pro Dea adoraretur,* quanto majori jure corda noſtra adorare deberent meum S. Patriarcham, tamquàm columbam, eúmque venerari in illo immenſo ſplendore, & lucis Oceano, in quo nunc coruſcat.

Flor. ubi ſup.

Delrio in Cant.

Hoc igitur Sacrum Corpus jam ſatis apertè oſtendit, ubinam perpetuam ſuam requiem habere vellet. Textus mirabiliter modum indicat: *Et requiem temporibus meis.* Deſiderat ſuam requiem, eámque in ſucceſſione temporis conſtituit. *Tempus* autem, ùt Ariſtoteles docet, *eſt numerus motûs ſecundùm prius, & poſterius.* Ex quo infertur, motu adeò inquieto non poſſe deſignari perpetuitatem quietis.

Id. Pſal. v. 5.

Arbitror tamen id fieri poſſe, argumentô à Corpore CHRISTI petitô. Hoc ſacroſanctum corpus varias temporum viciſſitudines ſenſit. Fuit cadaver, quando à ſua anima deſtitutum in cruce pependit: Fuit cadaver, quando Pilatus, tamquàm ſupremus judex illud Joſepho donavit: *Donavit Corpus Joſeph.* Fuit denique cadaver etiam in ſepulchro, in quo ceu Depoſitum aſſervabatur, multis etiam ſuſpicantibûs, illud furtô ſublatum fuiſſe: *Tulerunt Dominum meum.* Reſurrexit hoc corpus ſummo cunctorum applauſu, quod inter ipſas temporum varietates ſuaviter requievit, ac deinde fulgorem ſuum tantò illuſtriùs diffudit, quantò glorioſiùs omnes temporum viciſſitudines ſuperavit.

Joann. 20. v. 13.

Cadaver mei S. Patris JOANNIS de Matha Roma adoravit: Indè quorundam amor, ſive audax, ſive temerarius dicam, neſcio, illud ſurripuit, atque in hanc urbem tranſtulit, ut Aulici, & regnum totum ejus præſentiâ bearentur. Sed quia hoc S. Corpus fuit nobis ſub forma Depoſiti concreditum, atque adeò aliquamdiu abſconditum, liberalitas Capituli Vaticani illud nobis donavit. Ex hoc Antecedente infertur pro mea Diſcalceata Familia conſequentia poſſeſſionis.

Digitized by Google

nis. Requievit itáque temporibûs ſuís, in iſto ſiquidem admirabili throno ejus applauſus perpetuabuntur.

In hoc ſuo throno, ſive tabernaculo perpetim reſidebit omnium oculis expoſitum, partim, ut ſupplicibus ſuis cupita largiatur beneficia, partim ut clientum ſuorum venerationem excipiat, precésque exaudiat: ***Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.*** Exquiſita verborum formula! Ibi adoretur, ubi ſteterunt pedes ejus, qui locus, ſi de Corpore CHRISTI loqui velimus, ille fuit ex mente Caſſiodori, in quo expiravit: ***Hoc referri ad ſanctam Crucem, ubi Corpus ejus confixum monſtratur***, ut proinde, ſi de cadavere mei Patris, S. JOANNIS de Matha hæc exponere conemur, ibi ſit adorandus, ubi felici epilogô ſuam vitam mortalem concluſit.

**Id. Pſ. v. 7.**

**Caſſiodor. apud Loria.**

Arcæ, quæ ſcriptorum calamís magis celebrantur, duæ ſunt, Arca nimirùm Noë, & Arca Veteris Teſtamenti. Non poſſunt, Sancte Pater mi! Arcæ adorari absque Tuis Reliquiis. Duabus itáque Arcis opus eſt, ut adoretur, ubi ſteterunt pedes ejus, ſeu in loco, in quo beatam ſuam animam ad aſtra transmiſit: unâ quidem, ut Romam pergat, & inſignem Reliquiam ſepticolli urbi adferat, alterâ verò, ut in hac civitate cum reliquis oſſibus maneat. Hæc arca probat noſtram proprietatem: illa, quæ Romam vadit, eſt teſtimonium Donationis: Majori itáque gloriâ hoc S. Corpus condecoratur, quia Romam, ubi vivere deſiit, rursùs revertitur, ut & ibi publica veneratione colatur.

Hæc arca, ùt verſio Chaldaica teſtatur, fuit columna: ***Poſuit in medio ejus Arcam Teſtimonii, quæ erat columna ſæculi.*** Arca, & columna habebant nomen Teſtimonii. Hæc itáque arca, & hæc columna nobis Teſtimonium ferent, ut futuris ſæculis conſtet, nos, licèt pauperes ſimus filii Tui, veros tamen eſſe poſſeſſores Sacratiſſimi Corporis Tui.

**Verſ. Chald.**

Jam quieſcit noſter affectus, quia Corpus Tuum in iſto templo requieſcit. Sed quales pro tanto hoſpite honores excogitare poterit intellectûs noſtri tenuitas? Verſio paraphraſtica nobis lumen dabit: ***Pone in domo hoſpitii ejus quietem tuam.*** Cùm itáque S. hoc Corpus in ea domo publicæ Venerationi pateat, ubi tamquàm in hoſpitio exceptum fuit, oportet, ut ei offeramus incenſa adorationis in hâc domo, in qua hoc pretioſum Corpus tam diu hoſpitis inſtar habitavit, quamdiu ſub forma Depoſiti aſſervatum fuit.

Q Sed

Digitized by Google

Sed quis Te adorat, mi Pater: *Adorabimus?* Tui filii in terram proſtrati; qui ſibi cultum Tuum maximæ gloriæ ducunt, atque cum illis tota aula piiſſimi noſtri Monarchæ, in qua quidquid eſt grande, quidquid eſt nobile, quidquid eſt illuſtre ſuos affectus Tibi conſecrat, ut veneratio Tua quotidianis incrementis augeatur. In Translatione, ſive collocatione Arcæ Veteris Teſtamenti ſummus Sacerdos Pontificalibûs veſtibûs amictus ſacris operatus eſt, ac proptereà notat Lorinus, quòd Arca etiam ſub ſacrificii nomine deſignata fuerit: *Arca vocabatur ſacrificium:* Hodie autem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Nuncius Pontificali ritu celebrat, ut Collocatio Arcæ mei S. Patris JOANNIS de Matha, & mea S. Religio gaudeat hoc peculiari honore, qui in noſtra gratitudine æternus erit: Quod ſi autem & ipſe quoque Dominus noſter JESUS CHRISTUS in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Arca vocitetur, cœleſte Manna, quod ſingulis juxta propriæ voluntatis deſideria ſapit, in ſe continens, non potuit deeſſe hæc Arca Divina, nè glorioſiſſimus Patriarcha meus, S. JOANNES de Matha tam inſigni coronâ privaretur. Cùm verò Sacrum Corpus ejus fuerit domicilium omnium gratiarum, & virtutum, erit ejus pietatis, ac clementiæ, omnes nos earum pellucido fulgore implere.

Beier. verbô: *Manna.*

Et quemadmodùm Alexander Magnus, gloriæ cupidine actus, totum ſuum interdum exhauſit ærarium, ut donorum largitate ſui nominis dignitatem, & honorem amplificaret, ità munificentia melioris cujusdam Alexandri Tuo Corpori iſtum cultum, & Tuis, ſuiſque filiis hoc gaudium conciliavit. Sit itáque Alexander iſte, qui caput eſt totius Ordinis noſtri, mihi canalis, per quem, ut ardenti ejus, quò in Te fertur, amori reſpondeas, mihi facilius illabatur influxus gratiæ: Ave MARIA.

N.R.P.Generalem intelligit.

## Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Matth. ut ſup.*

# INTRODUCTIO.

EX oraculo hodierni Evangelii diſcimus, S. Patrem meum JOANNEM de Matha non ſolùm ſerpentem, ſed & columbam eſſe: *Prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Murmure columbarum ſe accendit, prudentiâ ſerpentis ſe renovavit. Quantò diutiùs igitur hæc columba abſcondita fuit, tantò vehe-

hementiùs incendium iſtius ſerpentis erupit, ut oculi omnium ejus glorioſam renovationem admirarentur.

Doctus quidam, ſerpentis miram indolem conſiderans, ei hoc lemma adjunxit: *Novus exuta pelle reſurgo*; ſerpens enim, annis gravatus, veterem pellem deponit, atque hac ratione ſemetipſum renovat, ùt Barradas, Ariſtotelem citans, obſervat. Sanctiſſimus itáque Pater meus JOANNES de Matha diverſis vicibûs ad inſtar ſerpentis glorias ſuas renovat, quam renovationem Princeps Philoſophorum his verbis exponit: *Et cute altera ſubnaſcente ipſa removetur.* Serpens ſuam pellem veterem removet: ipſe autem impulſus eam removendi procedit ex deſiderio ſe renovandi.

**Pincianus verbô: Serpens.**

**Barrad. in Evang. Arl. l. 8. animal. cap. 17.**

O Pater mi! O ſerpens prudentiſſime! qui ingenioſo tuo intellectu tot amoris demonſtrationes renovas! Flagrantiſſimus ardor amoris Te impulit, ut Te removeres, atque adeò in ipſo Tuo incendio Te renovâſti. Ideò S. Auguſtinus dixit, ſanctos Apoſtolos aſtutiam ſerpentis imitari debere: *Aſtuti ſicut ſerpentes:* Cùm verò ſerpens iſte tantâ ſapientiâ procedat, hoc ipſo majorem exiſtimationem ſuæ renovationi conciliat. Serpens ſuam cutem removet, & dilectus meus Pater S. JOANNES de Matha ſui amoris actus impulſu ſe removit, ut hæc Donatio glorioſior evaderet.

**Aug. in Pſ.**

Evicit mea Diſcalceata Familia ejus Identitatem, quô factô ejus veneratio renovata fuit. Quando publicum cultum prima vice obtinuit, ejus gloria rursùs renovata fuit. Rupta ſunt tandem ſigilla hujus pretioſi Depoſiti, quod nunc in noſtram proprietatem tranſiit, & iterum ejus honor renovatus fuit, ità tamen, ut cultus Identitatis ceſſerit in ejus gloriam, Donatio autem, quâ S. Corporis ejus proprietarii facti ſumus, in noſtram. In Identitate S. Pater meus ſemetipſum renovavit: In Donatione verò renovat nos, hanc Aulam, & hæc Regna.

Sapientis eſt, ùt Doctor gentium S. Paulus Apoſtolus teſtatur, tempus redimere: *Non quasì inſipientes, ſed ùt ſapientes redimentes tempus:* Cùm autem corda noſtra exæſtuante quodam deſideriorum ardore, quem nulla annorum ſeries ſopire poterat, flagrarent, & ad hanc Donationem anxiis votis anhelarent, Sanctus Patriarcha meus hanc afflictionem noſtram redemit, ut proinde hæc Donatio in ſummam noſtram utilitatem ceſſerit, quia S. Pater meus ſe pro his Regnis, pro hac urbe, ac denique pro tota

**Ad Epheſ. 5. v. 15.**



Digitized by Google

mea Diſcalceata Familia renovavit ; ex hac enim ejus renovatione aucta eſt fortuna regni, felicitas urbis, & tandem S. Religionis meæ gloria. Hæc tria puncta fuſiùs nunc probare intendo.

# PUNCTUM I.

MOrtuus eſt Orpheus, cui necem immodica vis amoris attulit: mortuus eſt autem, cùm dolorum ſuorum acerbitatem blando citharæ ſuæ ſonitu mitigaret. Ut autem æterna beneficiorum ejus memoria extaret, erecta fuit in Macedonia prægrandis columna, ceu monumentum æternum ejus rectè factorum, cui impoſita fuit urna lapidea, ut nulla temporum viciſſitudo ejus famam aboleret: *Superimpoſita columnæ eſt urna lapidea.*

Beierl. verbò: Cadaver.

In hac urna, tamquàm in throno quodam, ferunt incolæ ejus regionis, condita eſſe Orphei oſſa. Narrant prætereà, aves, quæ circa hanc urnam nidificant, aut potiùs quæ in vicinia hujus urnæ excluduntur, multò ſuaviùs, & argutiùs, quàm alios pennatos phonaſcos cantare, idque aſſerunt ex virtute hujus ſepulchri provenire, cujus prodigioſos effectus ipſæ aves dulciſonâ ſymphoniâ ſuâ proclamant. Tot itáque favoribûs receptis gentes illæ ſe admodùm fortunatas reputant.

O mi dulciſſime Pater! nunquam ſanè cultus Tuus remiſiſſet, ſi æquali paſſu cum Tuis miraculis ambulâſſet. Nunquam extinctus fuit ſplendor Tuus, quia favores Tui nunquam deſierunt. Quamvìs Te ad inſtar amantis columbæ occultaveris, fama tamen prodigiorum Tuorum univerſam Hiſpaniam eſt pervagata. Illicò ac terras noſtras attigiſti, gloria Tua in tota hac Monarchia refloruit: Cadaver Tuum aſſervabatur ſub forma Depoſiti, ſed cor Tuum ſemper in amoris pyra flagravit: Quamvìs autem hoc regnum Te poſſidere efflictim ſemper deſideraverit, diu tamen hac felicitate fruſtratum fuit: Nunc autem Te, ùt rem propriam intuetur. Age igitur! Diſperge latè incendia Tui flammantis cordis, omnes enim regnicolæ in poſſeſſione Tui corporis felicitatem ſuam repoſitam habent.

Quodſi enim oſſa Prophetarum de locis ſuis miracula effundere conſueverint: *Pullulent de loco ſuo*, ſuámque virtutem exhalaverint, ídque propterea, quòd locus iſte eſſet ipſorum: *De loco ſuo.* Itáque cùm locus mei S. Patriarchæ jam ſit ejus proprius, nec poſſit eſſe ejus proprius, quin ſimul etiam ſit proprius hujus regni, effun-

Eccleſ. 49. v. 12.

effundat nunc torrentem miraculorum hæc ſacra Arca, cùm ſit propria hujus Monarchiæ.

Libet greſſus recipere ad Arcam Davidis, ſive ad corpus Diviniſſimi Redemptoris noſtri. De hac Arca ait verſio paraphraſtica: *Audivimus arcam tuam.* Hoc cadaver fuit auditum. Rem miram! oſſa poſſunt eſſe objecta oculorum, non tamen aurium: Si autem hæc oſſa audiuntur, neceſſe eſt, ut loquantur. Oculi admirantur ea intuendo: ratio obſtupeſcit illa audiendo? Unde iſtud? Inquilini hujus urbis, Pater mi! oculis ſuis oſſa Tua vident, ſimúlque audiunt prodigia Tua: in aliis verò regnis ſolùm audiuntur miracula. Cùm verò amantis animi tui tanta ſit benignitas, ut novos ſemper favores erogare gaudeas, evadit conſectaneum, ſummam Hiſpaniæ fortunam eſſe, quòd Te ùt rem propriam intueatur. Hæc poſſeſſio Tui Corporis eſt tanta felicitas, ut maximum indè commodum in illos redundet, qui Te in hac civitate adorant: Eſt honor peculiaris illorum, qui Te audiunt: ipſi námque favores Tui, ſi vel ſolùm audiantur, abundè gloriam horum regnorum manifeſtant. Verſ. Para.

Nihil autem aliud eſt, ùt eadem verſio dicit, arcam audiri, ac populi gloriam effloreſcere: *In qua præcipua populi noſtri gloria conſiſtit.* Scilicet dum cognoſcimus, hanc venerandam Arcam eſſe nobis propriam, confeſtim etiam intelligimus ab ejus poſſeſſione fortunam, & gloriam hujus Monarchiæ dependere. Ead. Verſ.

Conſtituta fuit Arca aliquamdiu in terra Ephraim, quæ à nativa ſua amœnitate mirificè celebratur. Hoc diſertis verbis teſtatur doctus Leblanch: *Arcam fuiſſe in Ephrata, id eſt: in terra Ephraim.* Hæc Arca deinde temporibûs Joſue translata fuit in urbem Silo, ſicut oſſa mei S. Patriarchæ Româ in Hiſpaniam: *Arca translata eſt in urbem Silo.* Quam urbem ubi ingreſſa fuit, eam ſibi in propriam ſedem elegit: *Arca translata eſt in urbem Silo, quam etiam ſibi in ſedem elegit.* Aſt S. Pater meus ad impulſum ſui amoris hanc urbem elegit, ut perpetim in hoc regno habitaret. Leblanc. in Pſalm. Idem. ubi ſup.

Addit verò ſupra laudatus Leblanch: *Quòd eſſet in medio poſſeſſionis Iſraëliticæ.* Elegit hanc urbem pro ſuo throno, ut in meditullio regni Iſraëlitici reſideret. Aſt glorioſiſſimus Patriarcha meus hanc civitatem pro ſua habitatione elegit, ut tamquàm è centro iſtorum regnorum ſuos influxus cumulatiùs effunderet. Id. ut ſup.



Digitized by Google

Lineæ omnes rectâ viâ à ſuo centro currunt ad circumferentiam. Quamobrem cùm S. P. meus JOANNES de Matha tanto flagret amoris æſtu, flammidum cor ejus hoc centrum Hiſpaniæ occupavit, ut favores ſuos latiùs per totum regnum diſpergeret. Hunc ille thronum pro ſtabili ſua ſede elegit, atque adeò ſe regno Hiſpaniæ in proprietatem donavit; eô ipsô enim quòd hoc regnum pro ſuo domicilio elegerit, ei ſimul etiam jus ſui corporis poſſidendi contulit.

Collocatâ arcâ Divini Corporis idem erat eam in opacis ſylvarum campis inveniſſe: *Invenimus eam in campis ſylvæ*, ac pretioſum theſaurum detexiſſe, ùt idem Leblanch ſcribit: *Invenimus theſaurum noſtrum.* Pronomen Noſtrum indicat proprietatem: Theſauri verò nomen oſtendit magnitudinem ejus pretii; hoc námque Sacratiſſimum Corpus regnum noſtrum tam dives, & potens efficit, ut nec voluntas inveniat rem magìs pretioſam, nec ratio theſaurum majoris amoris.

Aſſerit prætereà ſuprà citatus author, Arcam inventam fuiſſe in ſecundo templo, ſive altari, quod Zorobabel architectatus eſt. Et hoc rursùs meo propoſito inſigniter congruit; nam & iſtud quoque eſt templum ſecundum, in quo hoc ſacrum cadaver publicæ venerationi exponitur; primum ſiquidem cultum ſuum obtinuit in templo S. Thomæ de Formis, unde poſteà furtô ſublatum fuit, non dedignante ejus amore nomen rei furtô ſurreptæ, ut in hoc templo ſuo publicis applauſibûs celebraretur.

Obſervat autem præfatus ſcriptor idem fuiſſe, Arcam (ſymbolum nimirùm Divini Corporis) in proprietatem Judæorum ceſſiſſe, ac ſacrum quendam ignem ſuſcitâſſe, qualis ille fuit, qui tempore Nehemiæ prodigiosè exarſit: *Non apparere aliud tempus, quô reperta fuerit, quàm illud, quô à Nehemia inventus eſt ignis ſacer, & miraculum illud extitit.* Hoc itáque regnum in oſſibus mei S. Patriarchæ invenit ignem quendam adeò prodigioſum, ut ob coruſcas felicitátis flammas, quas evibrat, totus mundus ejus ſplendorem ſit admiraturus.

Beyerl. verbô: *Cadaver.*

Quodſi enim cadaver Joſephi, cùm ex Ægypto Sichimam transferretur, ùt Beyerlink, affirmat, datum ſit Sichimitis, ut hanc pretioſam gemmam hæreditario jure poſſiderent, haud immeritò dicere poſſum, Hiſpaniam ſuis anxiis deſideriis, & indefeſſis laboribûs, qui-

quibûs poſſeſſionem hujus Sacri Corporis obtinere conabatur, jus acquiſiviſſe illud hæreditandi, & tamquàm rem propriam poſſidendi.

Undè quemadmodùm penes cantatiſſimas illas Ægypti Pyramides nonnulla ſepulchra inveniuntur, ad quæ ſuperſtitioſa plebs ſingulis annis catervatim confluere ſolet, ut imaginaria quædam beneficia conſequatur, ità univerſa Hiſpania ad ſepulchrum, & corpus tam Sancti, beneficique Redemptoris convenire deberet, ut cœleſtes gratias conſequeretur; glorioſus námque Patriarcha meus tam mellitæ pietatis viſceribus affluit, ut absque ulla temporis limitatione vetera prodigia novis ſemper cumulet, nec inducias ullas in ſuis beneficiis admittat. Camerar. in Meditat. Hiſtoc. cent. 1. c. 75.

# PUNCTUM II.

HÆc univerſalis felicitas totius Hiſpaniæ eſt certiſſimum prognoſticon fortunæ, & gloriæ, ad quam hæc regia civitas per oſſa S. Patriarchæ noſtri evehetur; quodſi enim Athenienſibus ſolemne fuit in ſingulis urbibus, ſuæ ditioni ſubjectis, aſſervare urnas, in quibus oſſa ſive cineres heroum, in bellis mortuorum, condita erant, ex quarum urnarum poſſeſſione Athenienſes ſuam felicitatem metiebantur: Habeat itáque & hæc Metropolis Hiſpaniæ hanc pretioſam Arcam, in qua requieſcunt oſſa primi poſt CHRISTUM Redemptoris, viri ſapientiſſimi, Apoſtoli Dalmatiæ, Legati à latere, hominis tanta charitate flammidi, ut in ipſis quoque ejus prudentiæ verbis tota ſemper amoris pyra refulſerit; hanc enim ſi poſſideat, non habet, cur ſiniſtras fatorum viciſſitudines, aut novercantis fortunæ ſævitiem timeat; utpote quæ in poſſeſſione Corporis mei glorioſi Patris S. JOANNIS de Matha firmiſſimum ſuæ felicitatis fulcrum obtinet. Alex. l. 3. c. 2.

De Arca, cujus David meminit, ſcribit doctus Leblanch, eam translatam fuiſſe à civitate Cariathiarim ad montem, qui erat Hieroſolymis, ibidémque repoſitam eſſe, tamquàm rem propriam, in quodam templo, regio palatio vicino: *David enim Arcam tranſtulerat ex urbe Cariathiarim in tabernaculum erectum propè palatium ſuum in Sion.* Aſſervandum eſt itáque perpetuò in hac urbe S. Corpus mei glorioſi Patris, quod nobis in proprietatem ceſſit pro fauſto augurio noſtrarum felicitatum. Lebl. in Pſ.

Inventa eſt hæc Arca, ſive cadaver: *Invenimus eam*: Urbs autem, quæ rem adeò pretioſam invenit, jure ſupercilia attollere, & ob

Digitized by Google

ob ſuam felicitatem magnificè ſe circumſpicere poteſt. Id nobis innuit ſuprà citatus Leblanch admirabili quadam reflexione: *Illa inventio, ob quam exultatur, indicat Arcam fuiſſe perditam, & DEI ope ità repertam, ut magna ſit cauſa lætitiæ.* Poſtquàm, mi Pater! ſacrum Corpus Tuum clanculò ſurreptum fuit, plerique illud inter res perditas computârunt: Ipſa quoque urbs Madritenſis aliquamdiu timebat, nè hanc pretioſam margaritam amitteret, ut proinde meritò de ſua felicitate ſibi plaudere poſſit, cùm nunc tandem ejus poſſeſſionem obtinuerit.

Id. ubi ſup.

Inventa eſt Arca in Sion, ut hæc civitas illam ceu rem propriam poſſideret: inventa autem fuit non ſolùm Arca, ſive cadaver, ſed etiam Altare: Ubi notat eruditio ejuſdem Leblanch, urbem majori deſideriò inhiâſſe cadaveri tam benefico, quàm Altari victimarum: *Longè enim majus erat illis deſiderium inveniendæ Arcæ, quàm Altaris illius.* Ut enim publicam ſuam felicitatem conſequeretur, impatienti cupiditate deſideravit fortunam poſſeſſionis tamquàm prodromum ejus venerationis.

Idem. Lebl.

Obtinuit denique urbs noſtra utrumque Arcam ſcilicet, & Altare. In Arca, ſive cadavere theſaurarium miraculorum: In Altari opportunitatem nacta fuit ſuo Patrono incenſa ſacrificandi, ut proinde, Pater mi! in hac urbe victima Devotorum pari paſſu cum Tuis beneficiis ſit proceſſura; incolæ ſiquidem hujus urbis poſſeſſionis Tuæ utilitate allecti conſtruunt meliorem Arcam Tuæ venerationis. Quamobrem cùm S. P. meus JOANNES de Matha tanta erga nos charitate flagret, ut hanc urbem perpetuum ſui amoris centrum conſtituere voluerit, ipſa magnitudo ejus favorum, erit menſura ejus venerationis.

Aſt quô pactô conſecuta eſt urbs noſtra felicitatem corpus mei S. Patriarchæ poſſidendi? Revertamur ad eundem Pſalmum. David votô ſe obſtrinxerat DEO templum ædificandi: *Sicut juravit Domino, votum vovit DEO Jacob.* Scribit autem Titelmanus, piiſſimum hunc Monarcham, acri dolore ſtimulatum fuiſſe, cùm cerneret, Arcam ſuô thronô, in quo conquieſceret, etiamnum carere: *Dolens Arcam Domini non habere fixum requiei locum.*

Id. Pſalm. v. 2.

Titelm. in hunc Pſal.

Volebat, ut mundo univerſo conſtaret identica veritas Arcæ, quam ipſe, ceu abſconditam conſiderabat, ùt Iſaias teſtatur. Omnes itáque ejus cogitationes, ipſa quoque, quam moliebatur, templi ſtructura collimabant, ut irrefragabilem redderet Arcæ identitatem:

Cùm

Digitized by Google

Cùm verò Arca illa ſymbolum cujuſdam Redemptoris fuerit, ipſe conatus & deſiderium, quô rex ille ardebat, videndi ejus cultum declaratum, ei conciliavit felicitatem, Arcam illam tamquàm rem propriam poſſidendi.

Elapsô annô milleſimô, ſeptingenteſimô, decimô ſextô, parili ſtudiô concurrerunt ad evincendam identitatem Corporis mei S. P. JOANNIS de Matha Excellentiſſimus Dominus Archiepiſcopus Toletanus, nobiliſſima, & coronata Villa Madritenſis, ac denique noſter Catholicus Monarcha, cum Regina Domina noſtra. Ad preces ſuarum Majeſtatum, & ad regium earum influxum prodivit denique ex Tabulario Curiæ Romanæ deſideratiſſimum Reſcriptum, quò S. Corpori publica veneratio decreta fuit. Quod ſi autem hæc coronata Villa, Majeſtas Catholica, & Regina Domina noſtra tanta ſolicitudine in aſſerendum cultum mei S. P. JOANNIS de Matha incubuerunt, jure ad hanc urbem poſſeſſio S. Corporis devoluta fuit.

Et ſub qua forma obtigit huic urbi felicitas tam pretioſum theſaurum poſſidendi? Ego id aperiam. Cives Thebani tantô deſideriô tenebantur, oſſa ſui Regis, queîs ſe ab omni incurſione hoſtium defenſum iri arbitrabantur, penès ſe retinendi, ut ejus tumulo columnam impoſuerint, ſuper quam eminebat ſcutum, ſerpentis imaginem referens: ***Ejus tumulo impoſita eſt columna cum ſcuto, in quo ſerpens cælatus eſt.*** Atque hiſce oſſibûs in tam prudente ſerpente delineatîs, oſſa illa æternam memoriam, & Thebani ſuæ urbis defenſionem obtinuerunt. Pauſ. & Suid. in Arcadic.

Haud diſpari ratione per oſſa mei S. P. JOANNIS de Matha aſſecutus eſt noſter Monarcha, omnéſque cives hujus urbis inexpugnabile quoddam defenſionis ſcutum. Notat Leblanch, quòd defenſio aulæ Hieroſolymitanæ, quam ei Arca Davidis præſtitit, alludat ad alium Pſalmum ejuſdem coronati Prophetæ: ***Excurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus.*** Ut teſtatum faceret, hanc Arcam eſſe tutiſſimum defenſionis ſcutum: ***Hic alluditur ad id, quod dicimus: Excurgat DEUS, & diſſipentur inimici Ejus.*** Pſal. 67. v. 1. Lebl. ubi ſup.

Sed quali induſtriâ defendet meus S. Patriarcha hanc urbem? Hanc nobis idem Pſalmus manifeſtabit: ***Pennæ columbæ deargentatæ.*** Pennæ quidem ſunt aptum inſtrumentum ad ſcribendum, Id. Pſalm. v. 14.

R pa-

Digitized by Google

parùm tamen idonea tela ad defendendum: Aſt amor mei S. Parentis eſt adeò ingenioſus, ut ex ipſis quoque pennis arma fabricare nôrit, pennis namque exarat ſcripturam, quâ pollicetur, ſe huic urbi perpetuò patrocinaturum, eámque ſuæ protectionis armis defenſurum. Exiguum ſiquidem amoris argumentum ei videretur, ſi corpus ſuum huic aulæ donaret, & non ſimul ex ſuis pennis, quibûs tamquàm columba eſt inſtructus, arma cuderet, ut eam protegeret, & defenderet.

Pennæ declarant mei S. P. JOANNIS de Matha ſapientiam, agnomentum verò columbæ ejus amorem. Cùm itáque pennæ ſint ejus arma, ideò totam potentiam ſuæ ſapientiæ exerit, ut huic urbi ſuum proteſtetur amorem. Ideæ, quas pro ea defendenda concepit, ſunt gloria ejus intellectûs: modus defenſionis eſt æternus triumphus ejus voluntatis. Sint itáque, Sancte Pater! oſſa tua, quæ huic urbi donâſti, nobis marmoreus murus, quô contra omnes hoſticos inſultus protegamur, ſint pariter charta, in qua noſter Catholicus Monarcha ſua trophæa ſcribat.

Non habet proindè urbs iſta ampliùs, quòd timeat! Id prolixè colligitur ex Verſione paraphraſtica: *Vos verò tamquàm Imperatoris milites timorem omnem deponite*: Non habet, cur gemebunda deinceps exclamet: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*; cùm enim hoc ſit unicum corpus alicujus Patriarchæ, quod hæc regia, & coronata civitas in ſuo gremio poſſidet, nullæ eam deinceps tempeſtates terrere, nullæ quoque adverſitates affligere valebunt; cùm enim Corpus mei S. P. JOANNIS de Matha ſit columba adeò benefica, in ejus poſſeſſione civitas maximam felicitatem ſuam conſecuta fuit.

Verſ. Paraph.

Pſalm. 54. v. 7.

# PUNCTUM III.

NUnc ego, mea Sacra Religio! prægnantibûs carbaſis in altum tuæ gloriæ provehor. Ergóne jam tuum eſt Corpus Sanctiſſimi tui Patriarchæ? Ergóne jam ſyrtes evaſiſti, quæ te à conſecutione tanti boni ſatis diu arcuerant? Has ſuſtulit Donatio Eccleſiæ Vaticanæ, quæ tibi hunc inſignem honorem tribuit. Quantis non curarum molibûs conflictata fuiſti, ut ab onere illud reſtituendi abſolverere? Nunc autem repletum eſt gaudiô cor tuum, quia S. Congregatio Donationem tibi factam, approbavit. Tanta hinc tibi

Digitized by Google

tibi gloria acceſſit, ut ſola voluntas eam aſſequi poſſit, labia ſiquidem, quamvìs diſertiſſimâ animâ informata fuerint, nè dimidiam ejus partem pro dignitate ponderare queunt.

Memorabilis eſt illa ſententia, quâ Salomon in libro Proverbiorum dicit, eum, qui alterum donô afficit, honorem, & victoriam conſecuturum: *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera.* Accomodemus hæc verba Donationi Corporis mei S. Patriarchæ. Eccleſia Vaticana ratam habuit hanc Donationem: Iſta eſt victoria ſuæ munificentiæ. Non tamen totam gloriam in ſe tranſcripſit, ſed victoriâ ſuâ contenta honorem meæ S. Religioni contulit. In hac itáque Donatione inſignem quidem triumphum reportavit liberalitas, major tamen eſt ſplendor, qui ex ea in meam S. Religionem derivatus fuit. Proverb. 22. v. 9.

Habet prætereà Donatio aliam quoque prærogativam, quòd nimirùm accipienti ſuaviter animam ſuffuretur: *Animam autem aufert accipientium.* Non tollit quidem animam, ſed captivat: Non accipit eam per tyrannidem, ſed ſurripit eam per amorem. Quamobrem cùm in Donatione hujus Sacri Corporis mea Diſcalceata Familia Trinitaria ſit illa, quæ accepit, anima ejus hôc donô fuit dulciter ſurrepta, ipſa tamen ejus poſſeſſione ſe admiratur glorioſè exaltatam.

Modum declarabit ſubſequens ſermo. Obtenta perpetua poſſeſſione Arcæ Teſtamentalis, ait S. Textus, Sacerdotes ejus juſtitiâ ſe veſtiviſſe: *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*, quos ejus amor elegit, ut hôc ſplendidô indumentô decorarentur, quemadmodùm Verſio Arabica innuit: *Electi tui amicientur juſtitiâ.* His itáque Sacerdotibus, quos proprio motu elegit, manere debet poſſeſſio Arcæ, atque hoc eſt, in quo maxima eorum gloria conſiſtit. Pſalm. 131. v. 9. Verſ. Arab.

Veſtire ſe juſtitiâ, ait crebriùs jam citatus Leblanch, eſt diverſitatem in veſtibus inducere, qualiter fecerunt SSS. Patriarchæ, & Fundatores Sacrarum Religionum, in quibus eſt veſtis ex juſtitia; hæc enim aliis collata Religioſorum hominum familias inter ſe diſcernit, ut proindè ſacra veſtis, quam S. Pater meus JOANNES de Matha ſuis filiis pro hæreditate reliquit, ſatis ſupérque declaret, nos ab aliis Religionibus ex juſtitia diſtingui.

Hoc diſertis verbis idem Leblanch fatetur: Veſtis nos ab aliis diſtinguit: *Sic Religionum Parentes alumnos ſuos variis veſtibûs diſtinxerunt, ut cùm JOANNES de Matha oriun-* Leblanch. hoc Pſalm.

 *dus*

*dus ex Provincia, Theologus Pariſienſis, & FELIX anacboreta Valeſienſis DEI admonitu Romam petiiſſent .... Pontifex JOANNI, FELICIque candidas veſtes tribuit.* Cùm itáque cœleſtis veſtis, quam nobis meus S. Patriarcha reliquit, inferat diſtinctionem ex juſtitia, quæ electos ſui primitivi rigoris ab aliis ſecernit, ideò voluit, ut Arca ſui corporis in eorum poſſeſſione maneret.

Sed in quo fundatur hæc juſtitia? Arca Davidis elegit montem Sion pro centro ſuæ quietis: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* Hic effectus amoris proceſſit ex impulſu ejus electionis; *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Tota igitur ratio hujus juſtitiæ fundatur in amoris ardore. Ex quo fit, ut ipſam quoque poſſeſſionem Tui Corporis, Pater mi! conſecuti fuerint Tui filii Diſcalceati ex impulſu Tuæ electionis, ut proindè amor Tuus ex juſtitia proprietatem Tui Corporis filiis Tuis contulerit.

14. Pſ. v. 15.

Vas electionis, S. Paulus Apoſtolus, de CHRISTO Domino noſtro loquens, ait, Eum noſtram juſtitiam, & noſtram ſapientiam eſſe: *Qui factus eſt nobis ſapientia à DEO, & juſtitia.* In corpore hujus Diviniſſimi, & benigniſſimi Redemptoris conſiſtit noſtra juſtitia, ut ſuô etiam ſuffragiô S. Bernardus comprobat, cujus hæc ſunt verba: *Hæc eſt juſtitia hominis in ſanguine Redemptoris,* qui ex inſtinctu ſui flagrantiſſimi amoris nobis quaſi ex juſtitia ſuum corpus donavit. Hæc itáque eſt maxima noſtra gloria, quòd charitatis ſuæ magnitudine actus ſuum pretioſiſſimum corpus nobis donaverit, ut eſſet de jure, vel ex juſtitia noſtrum.

Ad Cor. 1. v. 30.

Epiſt. 190. ad Innoc. Pontif.

O mi ſancte Pater, & Patriarcha! Tua ſapientia nobis poſſeſſionem Tui ſacratiſſimi Corporis contulit: *Factus eſt nobis ſapientia.* Veſuvius Tui amoris filiis Tuis Diſcalceatis ex juſtitia illud attribuit. In hac Donatione non minùs ſapientia, quàm amor mei S. Patris relucet; nam, ùt ſapiens hanc Arcam pro ſua habitatione elegit, & ùt amans in iſtis filiis ſuis ejus poſſeſſionem perennare voluit.

Ad declarandam autem magnitudinem hujus favoris ait Verſio Syriaca, ſacerdotes illos, qui Arcæ incenſum adorationis obtulerant, & quibus gloria illam poſſidendi obtigerat, viros admirationis fuiſſe: *Viri admirationis ſunt.* Conſimili modô etiam Diviniſſimus Redemptor noſter dixit, omnes ætates grandi admiratione ſuſpenſum iri, quòd adorandum Corpus ſuum usque in finem ſæculo-

Verſ. Syriac.

culorum nobis relinquere conſtituerit : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* : Locutus eſt autem de ſuo Corpore, ùt doctiſſimus Cornelius à Lapide obſervat: Unde, quòd hic ſacer Redemptor ſuis filiis, Trinitariis Diſcalceatis proprietatem ſui Corporis contulerit, tantam eis gloriam, & favorem præſtitit, cujus magnitudinem intellectus ſola admiratione aſſequi poteſt. Matth. 28. v. 20. Cornel. in Matth.

Hæc proprietas, Pater mi! eſt fortuna iſtorum Regnorum, felicitas Aulicorum, & inexplicabilis gloria filiorum Tuorum. Quòd ſi enim Moabitæ ſe longè feliciſſimos prædicaverint, quòd gloriam haberent in ſuo Regno corpus Redemptoris Moyſis poſſidendi, quamvis locum ignoraverint, in quo theſaurus iſte latebat, quanto majori jure de noſtra nobis fortuna plaudere poſſumus, qui evidenter ſcimus, ſacrum Corpus Tuum in hac urna eſſe reconditum? O! quanta hinc gloria accedet noſtræ Hiſpaniæ! Quantus ſplendor Tuæ Diſcalceatæ Familiæ! quæ non quievit, donec ad ejus poſſeſſionem perveniret.

Si tributum noſtræ venerationis aliquam à Tuo mi Pater! amore compenſationem, aut gratam vicem ſibi polliceri auſit, non aliam efflagitabimus, quàm ut gloriam Tuæ Diſcalceatæ Familiæ propagare digneris, ut ſub Tua protectione feliciter tandem conſequatur Beatificationem Tui filii, & noſtri Patris Venerabilis, nimirum N. P. Fr. Joannis Baptiſtæ à Conceptione: Cùm enim hæc Te veneretur ùt Arcam gratiarum, optimum teſtimonium erit Beatificatio hujus Venerabilis viri pro æterno honore noſtræ felicitatis.

Et ſi Arca, ùt notat Leblanch, *Locum & tabernaculum* habuit, locum pro requie intellectûs, tabernaculum pro victoriis voluntatis. Tabernaculum in terra pro accumulandis meritis, locum in gloria pro ſempiternis gaudiis: Effice, mi Pater! ut præſentiæ Tui corporis debeant hæc Regna, Reges noſtri, & Principes Catholici, ac denique omnes filii Tui, ut non extinguatur in nobis Tui amoris flamma, nec minuatur Tua erga nos benevolentia, quatenùs Tuô locô honorificô, tamquàm mediô quodam adjuti impetremus gratiam ad Tuam beatiſſimam ſocietatem perveniendi in gloria: *Ad quam &c.* Id. ut ſup.

Deſiit Orator noſter loqui, cunctis in magna admiratione relictis, quòd viderent, eum omnes eloquentiæ leges in ſe tam accumulatè complexum fuiſſe, quas diſertiſſimus ille Caſſiodorus in viro

 magno

Caſſiod. in Pſalm. 72. magno deſideravit, quando dixit: *Eloquens eſt ille, qui ſcit parva ſubmiſſè, media temperatè, magna granditer dicere: qui ſcit invenire præclarè, enunciare magnificè, diſponere apertè, & figurare variè.*

Continuatum deinde fuit ſacrum Miſſæ ſacrificium eadem Majeſtate, ac pompâ, qua inchoatum eſt, quô finitô remanſit expoſitum Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum. Horâ quartâ à meridie cœpit ſuaviſſima quædam ſymphonia omnium aures demulcere, quæ non tantùm à multifario muſicorum inſtrumentorum apparatu, verùm etiam à phonaſcorum exquiſitis modulis plauſum tulit. Porrò Divinus juſtitiæ ſol non priùs abſconditus fuit, donec creatus iſte in noſtro hemiſphærio occubuiſſet: nè autem locus aliquis umbris daretur, Conventus noſter eâdem magnificentiâ illuminatus fuit, qua præcedente veſperâ, campanis intereà læto ſonitu reclangentibûs, & devotorum corda ad venturas Feſtivitates invitantibûs.

# CAPUT IX.

## *Deſcriptio Secundæ Feſtivitatis, quæ celebrata fuit quintâ Maji, Die Martis.*

Dies Martis, cui vulgi opinio ſcævos omnes ſucceſſus attribuit, nec quidquam auſpicati in ea fieri poſſe credit, hac vice minimè infauſta fuit, ſed gratô prognoſticô maximas felicitates præſagivit. Habet Planeta iſte duas haſce proprietates, quòd nimirùm luceat, & comburat. Cæterùm hac die omnia quidem mira luce ſplendebant, nullus tamen combuſtionis metus ſuberat. Debebatur hæc prærogativa fulgidiſſimis duobus aſtris (Sereniſſimos intelligo Aſturiæ principes) quorum devotio hodiernum Feſtum animavit.

Macrob. lib. 1. de Somnio Scipi cap. 19.

Hæc functio per omnia æqualis fuit illi præcedentis diei, hoc tantùm diſcrimine intercedente, quòd ſacrum Cantatum celebraverit unus ex ſuperioribus Ordinis noſtri, qui tunc temporis Madriti frequenti numerô aderant; videtur enim, ac ſi Sancto Patri noſtro peculiariter curæ fuiſſet, omnes Prælatos, qui Ejus Diſcalceatam Religionem componunt, pro hiſce feſtivitatibus auguſtiùs obeundis in unum locum congregare, cui occaſionem dedit vicinia Generalis (ùt inter nos dicitur) Capituli, propter quod omnes Vocales,



Digitized by Google

ac multi prætereà immediati Superiores hujus Provinciæ conflu-xerant.

Inchoatô itaque ſolemni Miſſæ ſacrificiô, poſtquàm Evangelium decantatum fuiſſet, ſuggeſtum conſcendit Multùm Reverendus P. F. Joannes à S. MARIA, hujus noſtri Conventûs Madritenſis actualis Miniſter, qui priùs ſimili munere etiam Valentiæ functus fuit, & tam hìc, quàm ibi ob inſignes ſuas dotes, & eruditionis præſtantiam ſibi grandem nominis exiſtimationem pepererat: Quàm excellens autem fuerit in ſacra facundia, optimè declarabit ſequens.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam in ſecunda die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, habuit multùm R. P. Fr. Joannes à S. MARIA, Miniſter noſtri Conventûs Madritenſis.*

Hæc Feſtivitas ſub Nomine Sereniſſimorum Principum Aſturiæ celebrata fuit.

## THEMA.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Matth. cap.* 10.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

## SALUTATIO.

MUltorum annorum ſuſpiriis, mi glorioſe Patriarcha! exoptavimus nos, Filii Tui, adorare ſacras Reliquias Tuas in Altari hujus Eccleſiæ noſtræ, ſed retuſæ ſunt flammæ deſideriorum noſtrorum, quæ tantò acriùs exardeſcebant, quantò fortiùs coërcebantur, adeò, ut ipſe quoque contradictiones nobis ſtimuli fuerint, quibûs pro hac felicitate conſequenda magìs incitabamur. Non miror hoc negotium tam lento, & teſtudineo gradu proceſſiſſe; nam cùm favor, quem ambiebamus, eſſet adeò magnus, vix

Digitized by Google

vix aliud fieri potuit, quàm ut multorum annorum ſudoribûs impetraretur.

Scribit doctiſſimus Caſſiodorus, cui etiam quotidiana ſuffragatur experientia, homines, dum votorum compotes efficiuntur, in tantam plerumque vecordiam prolabi, ut illicò obliviſcantur boni, quod celeriter ſunt conſecuti: Scilicet dandi facilitas magnos etiam favores reddit inſipidos. & deſpicabiles, ſed tarditas in largiendo, magnam obtenti beneficii æſtimationem excitat.

Prodigioſum illud vinum in nuptiis Canæ Galilææ convivis multò præſtantius viſum eſt, quàm quod eis primò propinatum fuerat.
Joann. 2, v. 10. *Servâſti bonum vinum usque adbuc*, idque non alia de cauſa, niſi quia ad finem illius nuptialis ſympoſii dilatum fuit; quantò enim tardiùs miraculum illud prodivit, tantò vehementiùs ardor deſiderii
Aug. ſup. Joan. crevit. Nempe, ùt magnus Aurelius Auguſtinus loquitur: Dilatio beneficii illud gratius reddit, & jucundius.

Multis annis mea ſacra Religio impigra ſedulitate laboravit, ut Identitatem Corporis mei S. P. JOANNIS de Matha evinceret. Deplorabamus quidem pertinaces repulſas, & contradictiones, hæ tamen lacrymæ minimè extinguere poterant ardorem deſideriorum noſtrorum, quibûs non ſolùm declarationem Identitatis, verùm etiam poſſeſſionem hujus ſacri theſauri appetebamus. Et quid moror? Divina pietas noſtrís ſuſpiriís emollita, effecit, ut Caput Eccleſiæ primum nobis concederet, Identitatem S. Corporis declarando. Deerat tamen etiamnum ſecundum, quod cùm multò avidiùs concupiſceremus, ſinguli menſes nobis evaſerunt ſæcula dolorum, dies luſtra, momenta anni: Nemo tamen miretur; nam cùm beneficium, quod prehenſabamus, eſſet tam grande, opus erat, ut illud pretiosâ monetâ plurimorum ſuſpiriorum mercaremur.

Sperabat mea S. Religio hunc adeò ſublimem favorem ad inſtar ſervorum, quorum Evangelium meminit: *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum*, qui ſperabant adventum Domini ſui, quem habebant. Quid ergò ſperabant? Domini ſui præſentiam. Gloriabatur Conventus iſte noſter Corpore mei S. Patriarchæ, quod aſſervabatur in Oratorio tam ſpecioſo, ut ſit ſtupor oculorum, & extaſis ſenſuum. Si hoc igitur jam habebamus, quid ſperare poteramus? Dicam. Aſſervabatur hoc S. Corpus in illo loco ſub forma Depoſiti, deerat autem nobis proprietas juris, ſeu propria ejus poſſeſſio. Atque hoc erat, quod ſperabamus:

Nunc

Digitized by Google

Nunc verò gratias agimus SSS. TRINITATI, cujus auxilio, & influxu nobis Capitulum Vaticanum hunc ſacrum theſaurum largitum fuit, ipſa S. Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum hanc donationem confirmante. Jam transmigravit, mea Religio! ſpes tua ad poſſeſſionem, utpote quæ domina facta es tam pretioſarum Reliquiarum! O quàm propitiis nunc oculis Divina pietas te intuebitur, quæ tam nobilem, & inſignem margaritam poſſides.

Optimo proinde jure Filios tuos iiſdem verbîs alloqui potes, quibûs uſus eſt S. Bernardus ad ſuos Monachos in obitu S. Malachiæ: Gaudeo, & exulto, dicebat Luſcinia illa Claravallenſis, quin imò etiam volo, ut vos quoque lætitiam effundatis per ſpiracula cordium veſtrorum, quæ ſunt os, & oculi, quòd Altiſſimus DEUS, tantum nobis beneficium contulerit, tantóque nos ſolatiò affecerit, ut hoc Monaſterium corpore S. Malachiæ (S. P. N. Joannis de Matha) honoraverit. Hoc ſanè ſignum eſt minimè obſcurum Divini erga nos amoris, & peculiaris benevolentiæ, qua hanc familiam proſequitur. Bernard. in vit. S. Malach.

Redemptor Moyſes morti proximus Tribui Gad his verbîs benedixit: *Benedictus in latitudine Gad*, addit autem S. Textus: *Et vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* Res eſt ſanè memorabilis, inter omnes tribus ſolam illam, quæ à Gad nomen habet principatûs titulô cohoneſtatam fuiſſe. Nemo tamen mirabitur, qui verba eruditi Lyrani expenderit: *Iſte Doctor fuit Moyſes ſepultus in ſorte Gad, & hoc ceſſit ad magnum honorem, & dignitatem illius tribûs.* Cùm verò tam magnus Redemptor, & Doctor, qualis Moyſes erat, ibi ſepultus fuerit; quid mirum, quòd hæc tribus tam grandem honorem conſecuta fuerit, & præ cæteris aliis principatûs gloriam obtinuerit? Deutor. 33. v. 20. v. 21. Lyran. hic.

Ad celebrandam hanc Donationem, & Collocationem Corporis mei S. P. JOANNIS de Matha parili devotionis & pietatis ſtudiò conſpirârunt noſtri Sereniſſimi Principes Aſturiæ, utpote qui præſentem Feſtivitatem ſuo nomine celebrari voluerunt: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Ubi fuerit cadaver.* Conſiderandum eſt autem, Evangeliſtam in plurali dixiſſe: *Aquilæ.* Cùm verò ſub nomine Corporis denotetur Cadaver mei S. Patriarchæ, & ſub nomine Aquilarum haud obſcurè Matth. 24. v. 28.

deſignentur Sereniſſimi Principes noſtri, oportebat profectò, ut in die, quâ Corpus mei S. Patris in hac Eccleſia collocatur, Sereniſſimus Princeps Aſturiæ, cum ſua regia conjuge tam glorioſam functionem ſui nominis ſplendore decorarent.

Revertamur ad Textum: *Ubicunque fuerit corpus: Ubi fuerit Cadaver.* Duo Corpora hodierna die in hoc Altari collocata cernuntur, Sacratiſſimum nimirùm Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & Corpus mei S. Patriarchæ in hac argentea arca: Hæc autem conjunctio eſt non minùs glorioſa, quàm neceſſaria; non poterat enim deeſſe præſentia Corporis CHRISTI, quando in hac urna collocatur Corpus mei Sancti Patris JOANNIS de Matha.

Jacob moriturus præcepit ſuo dilecto filio Joſeph, nè ſe in Ægypto tumularet, ſed cadaver ſuum inPalæſtina terræ commendaret:
Geneſ. 37. v. 30. *Nè ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis.* Quænám igitur cauſa hunc S. Patriarcham impulerit, ut mallet in Palæſtina, quàm in Ægypto humari? Hanc detexit acutum ingenium S. Petri Damiani. Corpus CHRISTI ſuâ præſentiâ, & ſanguine effuſo ſanctificaturum erat Palæſtinam. Hoc prænoverat Jacob, ſpiritu Prophetiæ edoctus: Mandavit itáque filio ſuo, ut potiùs in Palæſtina, quàm in Ægypto ſepeliretur; hôc námque pactô neceſſarium erat, ut corpus ſuum Corpori, & Sanguini noſtri Diviniſſimi Redemptoris conjungeretur, atque adeò collocatio ſuorum oſſium præſentiâ Regis cœleſtis honoraretur.

Videri nunc alicui poſſet, neceſſaria fundamenta ſecuturi ſermonis à me jam jacta fuiſſe; ſed hallucinatur, quisquis ità cogitat, deeſt ſiquidem adhuc unus ex præcipuis lapidibus. Poſt DEUM mea S. Religio hanc magnam felicitatem in acceptis refert induſtriæ, labori, & ſolicitudini unius in Generalatu ſucceſſoris mei S. Patriarchæ, cujus gloriæ dignè celebrandæ omnes eloquentiæ vires ſuccumbunt.

Joann. 14. v. 8. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, dixerunt quondam diſcipuli ad ſuum Divinum Magiſtrum, & Superiorem. Domine, & Prælate noſter! monſtra nobis Tuum, & noſtrum Patrem, nec quidquam aliud à Te requiremus: *Et ſufficit nobis.* Grandes favores Incarnatus DEUS ſuis diſcipulis præſtiterat, utpote quos ſuâ doctrinâ illuminaverat, quibûs ſuâ præſentiâ authoritatem conciliaverat, & qui de Ejus liberali manu multa etiamnum beneficia

Digitized by Google

cia ſe recepturos ſperabant. Quomodò ergò illi dicere ſunt auſi, ſe viſo Patre nullos deinceps ampliùs favores efflagitaturos: *Sufficit nobis*, ſed in hoc tamquàm compendio omnium Ejus gratiarum conquieturos : *Sufficit nobis.*

Cauſa in promptu eſt. Non licet inficiari, quòd SS. Apoſtoli DEUM PATREM adoraverint, fateri tamen etiam oportet, hunc ab eis nunquam viſum fuiſſe, utpote qui oculis corporeis cerni nequit: Cùm autem filii nativa propenſione ferantur ad videndos, & adorandos parentes, SS. Apoſtoli prudentiſſimè dixerunt: *Oſtende nobis Patrem* ; Hoc enim ſi feceris ; Illumque nobis monſtraveris, omnes felicitates in compendio nos habere putabimus, eritque inſignis hic favor veluti quidam epilogus omnium aliorum: *Et ſufficit nobis.*

Vanitas, & ſuperſtitio veterum Romanorum multas paſſim ſtatuas erexit. Una ſola ex illis erat gratitudinis. Quid ſic? Ergóne inter tot ſtatuas unica duntaxat fuit gratitudinis? Ità ſe res habet; multæ ſiquidem ſtatuæ ſolùm cerni poſſunt, & inveniri in materia, de qua loquor. Omnia membra meæ Diſcalceatæ Familiæ in ſuis cordibus geſtant unam ſtatuam gratitudinis; Superior enim, qui poſtquàm Religionem tot Conventibûs ampliavit, eámque tot honoribûs, & laureis coronavit, ac nunc denique pro coronide ſuorum catorthomatum effecit, ut videremus, & adoraremus ſuum, ac noſtrum Patrem, hoc *ſufficit nobis*, ut ei tot erigamus ſtatuas, quot ſunt Religioſi, atque in hiſce ſtatuis vivis publicemus plurima, quæ ejus regimini debemus, noſtrámque gratitudinem æneis laminis pro æterna ejus beneficiorum memoria inſculpamus.

Hoc ego agebam in præſenti ſalutatione ut omnes colores expromerem, lineáſque ducerem per ſingulas hodierni Feſti circumſtantias, atque ità diſpicerem, num animam, & vitam imagini, quam mente concepi, dare valeam. Video arduitatem mei conaminis, alacri tamen, & excelsô animô rem propoſitam aggrediar, ſi mihi roſea illa gratiarum aurora, Sanctiſſima DEI Genitrix MARIA, affulſerit unicô ſaltèm radiô ſuæ gratiæ: AVE MARIA.

Ecce ego mitto vos ſicut oves.
Caro mea verè eſt cibus. *Sup. cap. jam citatis.*

# INTRODUCTIO.

HOdierna dies non requirit elogia mei Sancti tamquàm vivi, ſed præconia defuncti. Sequamur lucem Evangelii: *Ecce, Ego mitto vos.* Dignemini conſiderare illud verbulum: *Ecce.* Ultra hanc voculam non progredietur ſermo meus. *Ecce!* Conſiderate Sanctiſſimum Patriarcham meum in hac Arca pretioſa; multa ſiquidem nova, multáque mirabilia eruemus ex iſtis, quæ in hac concha deliteſcunt.

Expoſitores S. Scripturæ unanimi conſenſu teſtantur, hoc verbulum: *Ecce* in ſacra pagina eſſe ſignum, & notam rei novæ, & admirabilis: *Ecce ſignificat rem miram, & novam.* Quidnam autem eſt illud, quod Evangelium, ceu rem admirabilem, ſingularem, & nunquam viſam includit? Eſt S. Patriarcha meus JOANNES de Matha, cujus Corpus Altiſſimus DEUS meæ S. Religioni miſit: *Ecce ego mitto vos*; tam magnum enim theſaurum ſolùm cœlum nobis conferre poterat! tam grande beneficium ſolùm ex Alto nobis obvenire valebat. Sed cur nobis Domine miſiſti, vel contuliſti tam pretioſum cimelium? Ut in iſta Arca collocatum ſemper in hac Eccleſia coleretur. *Eſtote ergo.* Verbum *ſum, es, fui* ſignificat etiam permanſionem, ſive ſtabilem ſitum: Unde infertur Sacrum Corpus mei glorioſi Patriarchæ jam in iſto Altari permanere debere, quia DEUS illud nobis miſit, & Eccleſia hoc nobis donavit.

Quòd Capitulum Vaticanum meæ Diſcalceatæ Familiæ Corpus mei S. Patris donaverit, & quòd DEUS illud nobis ideò miſerit, ut in hoc Templo collocaretur, eſt una Donatio admirabilis, eſt collocatio plauſibilis, ac denique grandis, & ſingularis novitas: *Ecce ſignificat rem mirabilem, & novam.* Habeo jam meam Concionem in tria puncta diviſam, quin ſit neceſſe, primum Evangelii verbum: *Ecce* tranſire.

PUN-

Digitized by Google

# PUNCTUM I.

ADmiratio eſt filia inſoliti cujuſdam eventûs, qui animum ſuſpendit, & in ſtuporem abripit: *Ecce.* Conſiderate in illa Arca Corpus mei S. Patriarchæ publicæ venerationi expoſitum: Latebat non ità pridem in quodam Oratorio abſconditum, & recluſum, paucis tunc cognitum, & omnibus ferè ignotum: Occultabatur hæc pretioſa margarita in parva quadam, & pretioſa conchâ, caruit tamen debita veneratione, quoadusque ejus Identitas aſſerta fuiſſet. Poſteà quidem in hac Eccleſia publico cultui patuit, ſed evolutis quinque diebûs confeſtim ſuo priſtino receptaculo reſtituta fuit. Quis non miretur hanc rerum viciſſitudinem? Mox profertur, mox rursùs abſconditur! Et quod brevi tempore hominum oculis patuit, tamdiu poſteà occultatum fuit, donec illud Capitulum Vaticanum meæ S. Religioni donâſſet.

Admiratio idem eſt, quod obſtupeſco ob rei novitatem Theat. Vit. hum. Verb. *Admiratio.*

Juvat lucem à quodam Textu petere, ut id aptiùs explicem, quod imaginatione concepi, Meminit S. Scriptura cujuſdam theſauri abſconditi, qui citra humanam diligentiam fuit inventus: *Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem, qui invenit, & præ gaudio vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Grande procul dubio ejus pretium fuit, cùm tam profundè latuerit, ut ſagaciſſimos etiam exploratorum oculos eluſerit. Quomodò igitur detectus eſt? fortuitò, & absque ulla prævia induſtria: *Quem, qui invenit homo.* Ut proindè jure dicere poſſim, fortunam per ſe feneſtras ad domum illius felicis hominis intrâſſe: Peculiarem tamen conſiderationem meretur, idem fuiſſe theſaurum invenire, ac eum abſcondere: *Abſcondit.* Res eſt admiratione digniſſima, quòd tam citò eum abſconderit, quem non ità pridem propitiâ fortunâ invenit. Abſcondit autem illum, ùt S. Gregorius, & S. Thomas obſervant, *Non ex invidia, ſed ex cautela.*

Matth. 13. v. 44.

Sed è veſtigio grave dubium conſurgit: Si theſaurus iſte fuit adeò occultus, cur eum tam ſecretè cuſtodivit? Ratio eſſe poteſt, quia theſaurus ille fuit immenſi pretii, & ejusdem cum Regno cœleſti valoris: *Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Homo itàque ille non minùs prudens, quàm felix eum ſecun-

S. Greg. & S. Thom. apud Sylvei.

da vice abſcondit, quòd periculum metueret rem adeò pretioſam perdendi, ſi eam oculis avaritiæ palàm expoſitam relinqueret.

Paucis: Theſaurus iſte, fuit tam abſconditus, & occultus, ut eum nè perſpicaciſſimi oculi inveſtigare potuerint: *Abſcondito.* Sed inventus illicò etiam manifeſtus evaſit: *Quem, qui invenit homo.* Prudentiſſimè itáque egit, quòd eum ſecunda vice abſconderit: *Abſcondit: Theſaurum reconditum*, ùt S. Paſchaſius dixit; timebat ſiquidem raptorum inſidias, ac propteréà ſapienter iterum occuluit, quod perdere noluit.

Plùs: Poſtquàm hic theſaurus altera vice abſconditus fuiſſet, ait S. Textus, repertorem iviſſe, cúmque datô pretiô comparâſſe: *Emit.* Nunc obſervent, tranſacta hac emptione nusquam legi, inventorem rursùs huic theſauro occultando operam dediſſe. Cujus facti hæc mihi ratio occurrit; quando enim illum invenit, nondum propriè ad eum pertinebat: aſt quando illum paratâ pecuniâ emit, ſimul etiam jus hujus theſauri poſſidendi acquiſivit: factus itáque Dominus agri, non habuit cauſam, cur ſuam felicitatem ab aliorum oculis abſconderet. Equidem cùm ei fortuna potiùs quàm induſtria rem adeò pretioſam obtuliſſet, ipſa ratio poſcebat, ut cautè in hoc negotio procederet, & latebras quæreret, aſt quando abſolutus ejus dominus evaſit, nihil vetabat, quò minùs eum in publicum produceret, utpote qui proprietatem ejus jam obtinuerat, atque adeò periculi illum denuò amittendi expers manebat.

Alvar. in Joſeph.

Colores hujus Textûs ſunt adeò vivi, ut applicatio, me etiam tacente, ultrò oculos incurrat. Corpus alicujus Sancti eſt maximus theſaurus, ùt Alvarez teſtatur, quem civitas, aut Regnum obtinere poteſt. Theſaurus Corporis mei S. Patriarchæ jacebat, an autem fortuitò, an datâ operâ? diſceptare nolo, jacebat, inquam, abſconditus in Oratorio, ſive cella mei V. P. F. Thomæ à Virgine (faxit Omnipotens DEUS, ut & iſtum paulò poſt in alio ſimili throno adoremus) *Abſcondito.* Declarata porrò ejus identitate fuit inventus, recognitus, & honoratus: *Quem, qui invenit homo.* Nihilominùs tamen adhuc, & altera vice fuit occultatus: *Abſcondit;* Cùm enim mea S. Religio nondum proprietatem hujus theſauri haberet, neceſſe erat, ut rursùs abſconderetur, & oculis hominum ſubduceretur.

Exenteremus magis Textum allegatum: Ut homo ille Dominus

nus inventi theſauri fieret, vendidit omnia, quæ habuit, & pecuniâ indè conflatâ hunc theſaurum ſibi comparavit: *Emit eum.* Et ille quidem emptionis jure ad hanc felicitatem pervenit, nobis autem multò clementior fortuna arriſit, qui hunc pretioſum theſaurum, Corpus nimirùm mei S. P. JOANNIS de Matha ex dono, & gratuita liberalitate Vaticani Capituli conſecuti ſumus.

Nondum omnia myſteria hujus Textûs exhauſi. Agnitô pretiô illius theſauri repertor illum ſecunda vice abſcondit, & gaudibundus omnem protinùs movit lapidem, ut ejus proprietatem, ſeu firmam poſſeſſionem obtineret: *Et præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Non pepercit induſtriæ ulli, aut expenſis; nam cùm theſaurus eſſet adeò pretioſus, ſummâ lætitiâ, & ſolicitudine omnia impendit, quæcunque potuit.

Mea S. Religio, declarata jam Identitate, & Canonizato Corpore mei Patriarchæ, omnem movit lapidem, ut Dominus hujus Theſauri, Capitulum ſcilicet S.Petri, ſibi hoc pretioſum pignus donaret. Facta eſt denique compos votorum ſuorum, quando Reverendiſſimum Capitulum, noſtris precibûs flexum, hunc ſacrum theſaurum nobis ex gratia contulit. Quamprimùm autem mea Religio domina ſacri Corporis evaſit, illud protinùs in hoc Altari publicæ venerationi expoſuit, ac inter dulciſſimos gaudii, & admirationis ſenſus ſuæ felicitatis gloriam celebravit, quin ſumptibus, ad tantam ſolemnitatem neceſſariis, parceret.

Major tamen me vocat admiratio. Hoc Sacrum Corpus mei glorioſiſſimi Patriarchæ tunc demùm venit ad iſtum Conventum, poſtquàm Romæ ſurreptum per Religioſiſſimos noſtros Patres Calceatos, ac deindè per ipſam Nunciaturam tranſiviſſet, in qua prima vice ſub ratione Depoſiti ſtationem habuit, donec illud Eminentiſſimus Cardinalis Durazius annô milleſimô, ſexcenteſimô, octogeſimô ſextô, illud ſub eadem forma Depoſiti huic noſtro Conventui concrediſſet. Quid ſibi vult tanta mutatio hujus S. Cadaveris? Quid portendit transmigratio iſta, quæ facta eſt Româ in Hiſpaniam? A noſtris Religioſiſſimis Patribus Calceatis ad Nunciaturam? Et ab hac denique ad noſtrum Conventum? Quænàm ſunt iſtæ mutationes? Certè ſi intellectus aliquis quantumvis rudis, & bardus hæc intueatur, dicere cogetur: *Hæc mutatio Dexteræ Excelſi*, id eſt: *favoris, & propitiationis.* Quòd Capitulum Vaticanum ſe tam pre- Pſalm. 117. v. 13.

pretioſâ gemmâ privare, ejúſque poſſeſſionem in meam Religionem Excalceatam tranſcribere voluerit, quod miraculum eſt hoc? *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Quòd Capitulum S. Petri meæ Familiæ Trinitariæ tantam gloriam contulerit, pro qua alii tam ardenter ſuſpirabant, quale prodigium eſt iſtud? Magnam mihi admirationem movet hoc pretioſum donum, rationem tamen mea ignorantia non aſſequitur. Libet id clariùs oſtendere per exegeſim cujuſdam Textûs.

Pſalm. 76. v. 11.

Quis non admiratione ſuſpendatur, ſi conſideret magnanimitatem, quâ Joſephus ab Arimathæa Corpus defuncti Salvatoris noſtri poſtulavit, & facilitatem, quâ ei Pontius Pilatus illud dono dedit: *Donavit Corpus Joſeph*, qui illud protinùs gratanter accepit: *Accepto corpore poſuit illud in monumento ſuo novo.* Quæro nunc? Cur ſolus Joſeph præ tot aliis diſcipulis Domini Corpus ſui cœleſtis Magiſtri petivit, & impetravit? Dicet aliquis hoc ideò factum fuiſſe, quia Joſeph magnam ſibi authoritatem in illa civitate pepererat. Non abnuo, bona eſt hæc ratio: alia tamen multò profundior mihi in mentem venit. Piiſſimus ille Joſeph eſſlictim ſemper deſideravit maximam venerationem illius Sacri Corporis, undè & illud novo ſepulchro ſuo inferre conſtituit, quatenùs in eo tutiùs, & honorificentiùs aſſervaretur. Ut itáque deſideriorum ſuorum merita cumularet, audaciter, & confidenter adornandas illas Reliquias ſibi dari poſtulavit: *Audacter . . . petiit Corpus JESU.* Concedatur igitur Joſepho ſacrum Cadaver, ſatis enim hanc felicitatem promeritus fuit, qui tantô ſtudiô, & ſolicitudine majorem Divini illius Corporis honorem, & venerationem quæſivit. Detur ei proindè cupitum cadaver ſui Patris, & Magiſtri, ut illud collocet in ſuo novo ſepulchro: *In monumento ſuo novo.*

Eſt enim admiratio, cùm effectûs cogniti ignoratur. Cauſa Theat. Vit. hum. Verb. *Admiratio* Marc. 15. v. 45. Matth. 27. v. 60.

Marc. 15. v. 44.

Conſideremus ſub nova luce eundem Textum. Joſeph hoc ſacroſanctum Corpus petiit, & Joſeph illud impetravit, cujus rei cauſam nonnulli S. Scripturæ expoſitores talem aſſignant; ajunt enim, ipſum Divina inſpiratione motum fuiſſe, ut illud peteret, & Divinam Providentiam peculiari ratione effeciſſe, ut hoc illi concederetur: Cùm verò totum hoc ex Divina voluntate procederet, auſus eſt Joſeph tam confidenter Sacratiſſimum Corpus ſui Patris, & Magiſtri poſtulare, & Pilatus tam promptè ejus petitioni ſubſcripſit, eique licentiam dedit illud collocandi: *In monumento ſuo novo.*

Altiſſi-

Altiſſimus DEUS miſit nobis Corpus mei S. Patriarchæ: *Ecce ego mitto vos*, ut illud ſepulchro novo impoſitum in hoc templo collocaremus. Capitulum S. Petri generosâ munificentiâ illud nobis donavit, quin aliud de tanto theſauro efflagitaret, quàm unicam Reliquiam, cujus voluntati, ut mea Religio faceret ſatis, gratô animô ei unam coſtam transmiſit.

De Corpore Adami, quod DEUS illi dederat, ſublata fuit una coſta: *Tulit unam de coſtis ejus.* Quæro nunc: Quid factum fuit de illa coſta? Reſpondet S. Textus: *Et ædificavit Coſtam in mulierem.* Coſta illa remanſit in Eva. Alia Verſio hæc habet: *Ornavit, venuſtámque, & lepidam effecit.* Hanc coſtam DEUS Evæ admovit, quæ ejus operâ non ſolùm ornata fuit, & gratioſa facta, ſed eandem quoque prærogativam, decúsque ſuum, ùt Dionyſius Richelmius author eſt, in totam poſteritatem ſexûs fœminei transmiſit: *DEUS in hoc honorificavit ſexum fœmineum.* Non diſplicent mihi honores, & favores Evæ collati; hæc námque Domimina erat vera imago Beatiſſimæ TRINITATIS, & exacta ſimilitudo Adami: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Cùm autem DEUS eſſet Dominus totius corporis Adami, potuit dare Evæ unam ex ejus coſtis, relictis Adamo pro ſua beatitudine reliquis membris corporis.

Gen. 2. v. 21. — Vers. Theod. — Dion. Carth. hic. — Gen. 2. v. 18.

Meam tamen attentionem peculiariter abripit cauſa hujus facti. Quid, ſodès, DEO perſuaſerit, ut ablatam coſtam transferret ad Evam? Sed quid opus eſt cauſas inveſtigare, quando effectus clarum reſponſum offert. Decreverat omnipotens DEUS unionem quandam, ſive matrimonium producere, hoc eſt, volebat formare Evam, quæ typum gerit Eccleſiæ, & iſtam hâc coſtâ honorare conſtituerat. Age itáque Adam, dixerit Altiſſimus, maneat tibi corpuus tuum, ſed da mihi unam ejus coſtam, quâ meam Eccleſiam honorificare intendo: *Et ædificavit coſtam in mulierem.*

Jam poſſidet mea Religio Corpus S. Patriarchæ, quod etiam perpetua ſtatione in hoc meo Conventu perſeverabit usque ad ultimum mundi exterminium, quin in alium locum transferri poſſit, quia hoc nobis DEUS miſit, & Eccleſia illud nobis donavit. Hæc autem poſſeſſio ſacri hujus Corporis cedet in magnam gloriam hujus urbis, & in peculiarem honorem meæ S. Familiæ.

# PUNCTUM II.

IN ſecundo puncto me demonſtraturum pollicitus fui, quòd ſit collocatio plauſibilis: *Ecce ſignificat rem miram, & novam.* Tam admirabilis autem eſt hæc collocatio Corporis mei S. Patriarchæ, ut tota Hiſpania eam celebret, & hæc magna urbs illam obſtupeſcat: Nemo tamen plùs æquô demiretur tantum gaudium, & ſolemnitatem; hæc enim omnia jure debentur collocationi Corporis mei glorioſi Patriarchæ S. JOANNIS de Matha.

Sacrà Prophetæ Samuelis oſſa ſub Arcadio Imperatore Annô Domini 406. ex Judæa, magnâ, & Imperatoris, & populi pompâ, & devotione translata ſunt Conſtantinopolim, apud Celada in Suſannam.

Regnante Arcadio translata ſunt ex Palæſtina oſſa Samuelis Prophetæ, quæ ſumma omnium devotione, pompâ, & magnificentiâ Conſtantinopoli collocata fuerunt. Gratulabantur ſibi impendiò tantam felicitatem cives, magnìsque plauſibûs dignum cenſebant, quòd urbs eorum tam præclarô theſaurô ditata fuiſſet, oſſibûs nimirùm tam grandis Prophetæ: Debitæ autem erant omnes gaudiorum demonſtrationes, & ſolemnitates collocationi adeò ſacrarum Reliquiarum.

Caſus iſte tam aptè noſtro propoſito congruit, ut applicatio illius cuicunque prudenti moleſta, & ſupervacanea foret. In hoc Altari, & urna collocatum veneramur meum S. Patriarcham, quem Eccleſia tribûs vicibûs canonizavit. Atque hoc demùm eſt admiratione digniſſimum, & ſingularis plausûs argumentum. Hunc prima vice in Sanctorum numerum retulit Innocentius Papa III. quando mandavit, ut corpus ejus in ſepulchro marmoreo à terra elevato conderetur, quo ritu illis temporibûs ſancti homines canonizabantur. Secundam Apotheoſim peregit Urbanus IV. Ac demùm ad inſtantiam meæ Diſcalceatæ Religionis Alexander VII. ex cultu immemorabili eum Sanctum eſſe declaravit.

Duo Seraphini magno ambitu quandam ſanctitatem in cœlis celebraverunt. Notetur autem illos non ſemel, aut iterum, ſed tribûs vicibûs ſanctitatis titulum concinuiſſe: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* (Iſai. 6. v. 3.) Nónne ſatis fuiſſet ad hanc ſanctitatem celebrandam, ſi eam ſemel duntaxat ſanctam prædicaſſent? Quorsùm tribûs vicibûs idem elogium iteraverunt? Ratio hujus eſt, quia DEUS erat ſcopus illius Seraphici applausûs, quem ſi ſemel duntaxat Sanctum nomināſſent, eum hominibus æquâſſent, quos Summi Pontifices ſemel in Sanctorum Album referunt. Ut itàque DEUS peculiari quadam prærogativa à mortalibus diſcernatur, Summi Pontifices homines ſe-

ſemel duntaxat Sanctos declarent, aſt Seraphini Altiſſimum DEUM tribûs vicibûs Sanctum promulgent.

Sanctiſſimum Patriarcham meum Romani Pontifices in tribus occaſionibus Sanctum pronunciaverunt, cùm tamen unica Canonizatiò ejus ſanctitatem ſatìs, ſupérque declaràſſet. Dum itáque mecum perpendo, glorioſiſſimum Patriarcham meum à tribus Eccleſiæ Capitibus Sanctum fuiſſe proclamatum, nihil aliud cogitare poſſum, quàm quòd hæc Canonizatio ſit valdè admirabilis, & nova, eò, quòd mundus talem nunquam adhuc viderit, & quæ ſoli meo magno Patriarchæ obtigit.

Major tamen me nunc vocat novitas: Non ſolùm exoticum, & admirabile eſt, quòd Eccleſia animam mei Sancti tribûs vicibûs canonizaverit, ſed majori etiam dignum eſt admiratione, quòd etiam hæc ipſa oſſa mei Grandis Patriarchæ, quæ in illa Arca proſtant, certô quodam modô Canonizata, & pro Sanctis Reliquiis declarata fuerint. Beatiſſimus enim Dominus noſter Innocentius XIII. Bullâ Apoſtolicâ declaravit, hæc oſſa, quæ in iſto Altari collocata cernuntur, eſſe ipſiſſima oſſa mei Patriarchæ S. JOANNIS de Matha.

Pietas fidelium aliorum Sanctorum Corpora, oſſa, & Reliquias per traditionem duntaxat colit, aſt meus Patriarcha eſt adeò admirabilis in oſſibus ſuis, ut Eccleſia ea declaraverit, & canonizaverit tamquàm propria ejus oſſa.

Eccleſiaſticus deſcribens, qualiter oſſa Joſephi ex Ægypto translata, & in terra Chanaan collocata fuerint, ait: *Oſſa ipſius viſitata ſunt.* Nunc quidem ſcio germanum ſenſum hujus Textûs, cujus intelligentiam hôc ratiociniô ſum conſecutus: *Oſſa ipſius viſitata ſunt.* Sed in quem finem fuit hæc viſitatio inſtituta? Ut palàm conſtaret hæc eſſe ipſiſſima Joſephi oſſa: *Oſſa ipſius.* Et quis declaravit hanc identitatem oſſium Joſephi? SPIRITUS SANCTUS, utpote cujus organum, ſive lingua fuit, qui hæc literis exaravit. Affirmet igitur, oſſa Joſephi viſitata, & declarata fuiſſe *oſſa ipſius*; merebatur ſiquidem tam magnus Patriarcha hunc ſingularem honorem, ut ab ipſo SPIRITU SANCTO declararetur, illa oſſa eſſe genuina ipſius oſſa. Eccli. 49. v. 18.

Revertamur ad Textum: *Oſſa ipſius viſitata ſunt.* Alia Verſio legit: *Glorificata ſunt.* Oſſa Joſephi non modò viſitata, & tamquàm propria ejus oſſa declarata ſunt, verùm etiam

elevata, & glorificata fuerunt. Hæc tamen Verſio aliquantum noctis habet. Equidem non ambigo animam ipſius fuiſſe glorificatam, utpote quæ thronum gloriæ jam conſcendit, ſed quòd etiam oſſa ipſius, quorum receptaculum terra fuit, glorificata ſint, hæc demùm eſt novitas, quam impendiò admiror: Sed hæc admiratio citò evaneſcet, ubi rationem, quam excogitavi, in medium produxero.

Oſſa Joſephi fuerunt viſitata, translata, collocata, & tamquàm vera hujus Patriarchæ oſſa declarata: Dicatur proindè, ea glorificata fuiſſe; oſſa enim alicujus Patriarchæ, quæ viſitantur, transferuntur, collocantur, & ceu propria ejus lipſana declarantur, ídque ab illo, qui pollet authoritate hoc declarandi, ſunt oſſa tam ſingularia, & admirabilia, ut certô modô tamquàm glorioſa canonizentur.

Oſſa mei S. Patriarchæ viſitata fuerunt ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Mariſcotto, qui etiamnùm Romæ in vivis exiſtit. Fuerunt depoſita in iſto Conventu per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Durazium, Claræ memoriæ. Fuerunt denique translata, & in hac Ara collocata ab Illuſtriſſimo Domino Alexandro Aldobrandini, Archiepiſcopo Rhodi, ſuæque ſanctitatis ad hanc Aulam legato, imò, & in ipſo quoque judicio contradictorio fuerunt tamquàm genuina mei Sancti oſſa declarata per ſacram Cardinalium Congregationem, ipſo SSS. P. N. Innocentio XIII, ceu verô organô SPIRITUS SANCTI, eorum ſententiam approbante, atque hoc, ùt arbitror fuit ea, ùt glorioſa, declarare, & in rigore canonizare. Scilicet oſſibus tam glorioſi Patriarchæ, quæ viſitata, translata, collocata, & tamquàm propria oſſa hujus Sancti declarata fuerunt, debebatur honos novæ cujusdam, & ſingularis canonizationis: debebatur eis nova quædam, & admirabilis glorificatio.

Collocatus es jam in hoc templo, mi glorioſe Patriarcha! Nemo tamen doleat, ſe hôc theſaurô privatum fuiſſe; ejus enim influxus ad omnes ſe extendunt. Non obliviſcitur meus S. Pater ſui priſtini ſepulchri, quod Romæ incoluit, quamvis in hac urna collocetur, ut novos favores diſpertiatur.

Manifeſtaverat olim CHRISTUS ſuis Diſcipulis inſtantem ſuum diſceſſum: *Ego vado.* Porrò quamvis nuncius iſte eſſet adeò lugubris, & ingratus, nemo tamen Apoſtolorum fuit, qui de via ſciſcitaretur, quam ingredi vellet, quinimò omnes tam pertinaci ſilentiô obmutuerant, ut nè gry quidem dicerent, quemadmodùm ipſe Incarnatus DEUS teſtatus eſt: *Vado, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.* Hoc arguere videtur magnam in Apoſtolis incuriam;

Joann. 16. v. 6.

ſi

ſi enim tanto amore ſuum Patrem, & Magiſtrum proſequuntur, cur nè unicus quidem fuit, qui labra diduceret, & inſtantis itineris rationem quæreret? Vultis cauſam? CHRISTUS non ità pridem diſcipulis ſuis promiſerat, illos ab ſe nunquam derelictum iri: *Non relinquam vos orphanos:* Dixerint itáque Diſcipuli: Licèt Magiſter noſter diſcedat, ſuam tamen nobis perpetuam præſentiam promiſit. Eat igitur ſuas vias! Pergat quocunque libuerit; ſi enim ſuîs influxibûs, ope, & adjutoriô nobis ſemper eſt præſtò futurus, nihil nocet, quocunque tandem Pater, & Magiſter noſter ſe conferat. Joann. 14. v. 18.

In hac urna Patrem noſtrum, & Magiſtrum videre poſſumus, in aliis locis omnes liberam facultatem habent eum adorandi: Hic adoramus ejus Corpus, & experimur ejus patrocinium: in aliis partibus, quamvìs deſit corpus ejus, non deeſt tamen præſentia ejus auxilii.

# PUNCTUM III.

Tertium punctum erat, quòd hæc collocatio Corporis mei S. Patriarchæ in iſta Eccleſia ſit grandis quædam, admirabilis, & ſingularis novitas: *Ecce ſignificat rem miram, & novam.* Magna profectò novitas, quòd hæc urbs, & Eccleſia ſit ſepulchrum mei S. Patris JOANNIS de Matha. Hic Eum veneramur defunctum! ſed quid dixi defunctum, qui ſemper vivit? Non eſt mortuus, ſed vivus! Ità meus affectus ratiocinatur, qui hôc fundamentô nititur: Cùm Sanctus meus in feretro jaceret, mortuum quendam ad vitam revocavit. Quodſi autem & ipſe quoque vitâ caruit, quomodò eam alteri dare potuit, quando *Nemo dat, quod non habet?* Reſponſio eſt, quòd meus S. Patriarcha ex illa ſandapila tamquàm inſtrumentum Divinæ Omnipotentiæ defuncto vitam reſtituerit, ac propterea licèt in hac Arca aſſervetur ùt mortuus, noſtro tamen affectui vivus eſſe videtur.

Pierius Valerianus ſcribit, veteres Ægyptios ſolitos fuiſſe pro hieroglyphico ſepulchri cor depingere. Mirabile ſanè hieroglyphicum! Quis neſcit cor eſſe principium vitæ? Quomodò igitur hieroglyphicum ſepulchri agere poſſit, cùm ſepulchrum ſit domus mortis? Reſpondeo, illos, ùt mihi videtur, hoc hieroglyphicum pro meo Sancto concepiſſe, qui in ipſo mortuali feretro defunctum redanimare novit. Pier. Valer. Hierogl.

 Quan-

Digitized by Google

Quando Iſraëlitæ oſſa Joſephi, ex Ægypto translata, in terra Chanaan ſepeliêrunt, ait S. Textus: *Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt.* Quæ ſanè admirabilia ſunt verba. Oſſa Joſephi in terra Chanaan collocata vaticinari cœperunt. Sed confeſtim emergens dubium animum pulſat. Prophetare eſt actio vivorum, non autem mortuorum. Quomodò igitur defunctus Joſeph vaticinari potuit, aut oſſa hujus Patriarchæ, quæ in frigida urna jacebant?

Eccli. 49. v. 18.

Reſpondeo, Joſephum, cùm adhuc inter vivos ageret, vaticinatum fuiſſe libertatem ſui populi, & translationem oſſium ſuorum ex Ægypto: *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Aſt quo jure S. Textus Prophetiam Joſephi vivi tribuit oſſibus Joſephi defuncti?

Dicam. Hæc oſſa erant Joſephi, atque adeò erant oſſa magni Sancti, & inſignis Patriarchæ: erant oſſa viri integerrimi, & hominis perfectiſſimi: His itaque oſſibûs, in terra Chanaan collocatis, viſus eſt Joſeph denuò renatus, ac propterea, cùm S. Textus affirmet, oſſa Joſephi defuncti prophetâſſe, idem eſt, ac ſi diceret, Joſephum vivum de ſuis oſſibûs vaticinatum fuiſſe.

Nunc denique intelligo, quid S. Hieronymus voluerit, quando ſcripſit, fidelibus in more poſitum eſſe, oſſa, & reliquias Sanctorum tamquàm ipſos Sanctos viventes contemplari: *Quaſi præſentem, viventémque cernunt.* In frigidis oſſibus conſiderant novam vitam, & ſepulchrum putant eſſe vitalem ſpiritum, ex quo ad inſtar Phœnicis, renaſcentur.

D. Hieron. cont. Vigilant.

In hac urna quieſcit defunctus meus S. Patriarcha, vivus tamen eſſe videtur, utpote qui mortuo vitam dare novit. Grandis ſanè gloria eſt hujus Regni, & Monarchiæ, nec minùs felix, aut fauſta novitas, quòd ſit domicilium oſſium tanti Patriarchæ. In illa Arca eum habemus, mortuum quidem, quod ſpiritus vitales attinet, valdè tamen vivum pro noſtro adjutorio. In hoc Altari præſentis Eccleſiæ collocatus eſt meus S. P. JOANNES de Matha, archivum totius potentiæ Divinæ, & theſaurus cœleſtium prodigiorum.

S. Petrus Damianus Venetiis aggratulans poſſeſſionem Corporis S. Marci, hanc urbem ità alloquitur: *Gaude igitur, & exultans in Domino plaude Venetia, quia per illud pretioſi theſauri talentum, quod in te conſtat eſſe reconditum, fa-*

*Ba*

Digitized by Google

*ſta es ſuperni Regis ærarium.* Scilicet oſſa unius Sancti ſunt theſaurus DEI, & omnipotentiæ Divinæ opulentum ærarium.

Arripiamus verba hujus Sancti, quæ noſtro propoſito mirificè congruunt, & noſtris affectibus velificantur. Hæc magna civitas poſſidet in Corpore mei S. Patriarchæ theſaurum Divinæ Omnipotentiæ, cujus ope invenient homines levamen in ſuis afflictionibus, ſanitatem in ſuis infirmitatibus, ac denique paratiſſimum, & gratuitum remedium in cunctis ſuis neceſſitatibus, quodſi enim Sanctus meus in vita ſua tam potenter ægritudinum moleſtias profligavit, quantò id nunc cumulatiùs præſtabit in hac Arca ſepultus.

Bernardus Ferus ſcribit, Sanctos poſt mortem hominibus multò prolixiùs opitulari, quàm in vita, quod peculiari ratione de illis intelligendum eſſe aſſerit, quorum oſſa feliciter poſſidemus, & veneramur. Hujus rei clariſſimam probationem ex Sacra Scriptura eruemus. Bern. Fer. in cap. 31. Gen. ſect. 9.

Ut Eliſeus filium Sunamitidis reſuſcitaret, neceſſe habuit ad ejus domum proficiſci, fores claudere, ferventem orationem fundere, ſe totum ſupra defunctum extendere, ejus ori os ſuum, ejus manibus manus ſuas, ac denique ejus vultui vultum ſuum admovere, ſed pro illo homine in vitam revocando, quem mortuus ſuſcitavit, nihil horum opus erat, cùm ad ſolum contactum ejus oſſium defunctus extemplò vitam recuperaverit: *Quòd cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Unde ortum eſt hoc diſcrimen in reſuſcitatione mortuorum? Cur alter tanta facilitate in vitam redivit, alter verò tanta difficultate? Unus ex ſolo oſſium contactu revixit, alter viventi Prophetæ diu reſtitit? Unde emerſit tanta diverſitas? Indè nimirùm, quia in reſuſcitatione pueri pugnavit vita cum morte, & ex hac colluctatione proceſſit diuturna illa reſiſtentia, ſed in redanimatione alterius defuncti mors cum inanimi Prophetæ oſſibus congreſſa fuit, ac propterea mortuus tam citò reſurrexit. Scilicet oſſa Sanctorum ſunt tantæ potentiæ, ut, licèt in vita ſua mortem interdum ſuis juſſibus refractariam, & contumacem experiantur, poſt obitum tamen eorum ſatis ſit oſſa illorum tetigiſſe pro morte profliganda, & vita recuperanda. 4. Reg. 13. v. 21.

Hoc prodigium fuit ultimum ejus miraculum, atque adeò altera quædam Herculis columna, cui non minùs illa verba conveniſſent: *Non plùs ultrà.* Hoc portentò Eliſeus grandem ſibi nominis

minis

minis celebritatem peperit. Scilicet ſolo frigidorum oſſium attactu mortuis vitam refundere eſt magnum, & ſtupendum miraculum.

Hæc dum audimus, illicò animis, oculiſque noſtris occurrunt inſignia miracula, quæ S. Patriarcha meus in ipſa ſandapila ſua operatus eſt, in qua mortuis vitam, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mancis denique liberum manuum uſum reſtituit. Innumera propè fuêre miracula, quæ ad contactum ejus frigidi, & inanimi cadaveris conſecuta ſunt. Quid eſt hoc? Quid erit aliud, quàm quòd ille, qui in vita ſua multa patravit prodigia, poſt mortem ſuam operatus ſit plura; tantæ námque potentiæ eſt hoc ſacrum cadaver mei glorioſi Patriarchæ, quod in hac urna collocatum veneramur, ut majora nunc faciat miracula, quàm quæ unquam in vita ſua edidit.

Corpus glorioſi Martyris S. Cypriani appellavit S. Gregorius Nazianzenus: *Publicum orbis bonum.* Nempe Corpora Sanctorum ſunt univerſale quoddam bonum, utpote quorum patrocinium ſe ad omnes totius mundi homines extendit. Quòd ſi autem omnes mortales beneficiorum participes evadant, quæ ex cultu unius Sancti in mundum redundant, quantò cumulatiùs illis ditabuntur cives, qui illud intra ambitum mœnium ſuorum adorant.

S. Greg. Naz. in Serm. de S. Cypri.

Corpus mei S. Patriarchæ, quod veneramur, eſt ſcutum inexpugnabile, quô defendimur. Felices ſunt urbes, quibus felicitas obtigit Corpus alicujus Sancti in ſuo gremio aſſervandi. Etenim, ùt acutè doctus Vega obſervat: *Sanctorum oſſa cives defendunt, & multa bona illorum intuitu DEUS civitatibus, quibus inſunt, dilargitur.* Nunquam igitur huic magnæ civitati favores cœleſtes deficient, quæ in hoc templo Corpus mei S. Patriarchæ tanta religione colit.

Vega tom. 1. Judic. f. 114.

Magno Regi Ezechiæ promiſit quondam DEUS ſuam peculiarem protectionem per os Iſaiæ Prophetæ, qui Nuncius fuit tantæ gratiæ: *Protegam urbem iſtam propter David ſervum meum.* Quæro nunc: Si DEUS illam urbem in ſuam protectionem recipere voluit, cur non in gratiam aliorum Sanctorum ei hoc beneficium præſtitit? Nònne peculiares amici, & ſervi DEI fuerunt Abraham, Iſaac, Jacob, aliique permulti Patriarchæ, & Prophetæ? Ferat itáque hæc urbs ſuam protectionem in acceptis tot illuſtribus, & magnis Sanctis? Sed perperàm. Solus eſt David, cui honor iſte tribuitur, & in cujus gratiam Divina Majeſtas illius urbis miſereri

4. Reg. 20. v. 6.

voluit: *Protegam urbem iſtam propter David ſervum meum.* Ratio hujus eſt valdè memorabilis, & noſtro propoſito conformis. Quieſcebant Hieroſolymis oſſa hujus Sancti Regis, erátque proindè hæc civitas Mauſoleum ejus Reliquiarum, & ſepulchrum ejus oſſium. His itáque ſacris cineribus debeat urbs iſta ſuam protectionem: *Propter oſſa David urbis illius miſertus eſt*; ſcribit ſuprà laudatus Vega; tam tenacibûs ſiquidem vinculis illæ urbes, quæ in ſuo gremio oſſa alicujus Sancti habere meruerunt, favores cœleſtes ſibi alligatos tenent, ut idem ſit, oſſa eorum ibi quieſcere, ac certiſſimam ſponſionem perpetui patrocinii recipere. Ibid.

Quemadmodùm autem cineres Davidis urbi Hieroſolymitanæ ſcutum fuerunt, ità Corpus mei S. Patriarchæ perpetuus erit clypeus hujus urbis. In cunctis itáque neceſſitatibus noſtris ad hoc templum confugiamus, ut auxilium opportunum impetremus: Si inimica vis ægritudinum membra obſederit, ex hac urna gratuita nobis medicina ſcatebit: *Propter oſſa Davidis.* Si novercantis fortunæ aſſultibûs arietati, ſi adverſitatum turbine impetiti, ſi denique ſexcentorum malorum incurſionibûs conflictati fuerimus, hìc prolixè inveniemus omnium moleſtiarum levamen, cùm Sanctus noſter ſit cœleſtis quædam panacea, & ſaluberrimum omnium anguſtiarum remedium: *Propter oſſa Davidis.*

Magnum ſanè theſaurum hæc civitas poſſidet, ac prætereà ſingularem quandam, & admirabilem novitatem, dum in hac nova Arca meum S. Patriarcham veneratur; fieri enim aliud non poteſt, quàm ut eam benevolentiſſimis ſemper oculis reſpiciat tamquàm ſacrarium, & repoſitorium ſuarum Reliquiarum.

Cæci gentiles, ut commentitios ſuos deos, quos ſuperſtitioſo cultu adorabant, propitios haberent, ſumptuoſiſſimos paſſim tumulos excitabant, in quibus eorum oſſa magnò ſtudiò aſſervabant, rati, illos tantò uberiùs beneficia ſua ſuper ſe effuſuros, omnéſque afflictiones tantò velociùs averruncaturos, quantò propiùs illos in ſuis territoriis ſibi conjunctos haberent. Hanc narratiunculam commodè excipiet Textus quidam Sacræ Scripturæ.

Semper majorem in modum ſum admiratus ſingultiſonos Rachelis ejulatus: *Vox in Rama audita eſt.* Si hæc vox admonitionis fuit, docebit nos procul dubio, quòd, ſi ſpeculum pulchritudinis frangatur, ejus fruſta in horridas terræ particulas convertantur. Cæterùm in hac occaſione Rachel ploravit ſuper defunctos filios



Digitized by Google

lios ſuos, deflevit teneras victimas cœli, quas ſeceſpita cruenti pectoris, barbaro furore ebrii, immolavit: *Racbel plorans filios ſuos.*

In hoc Textu mihi nihil æquè mirabile videtur, ac, quòd ſcriptura trucidatos hos parvulos filios Rachelis nominet, cùm tamen illi è Tribu Juda ſtirpem duxerint, neque genus ſuum ad Joſeph, & Benjamin, filios Rachelis retulerint, ut proindè magis nepotes Liæ, quàm Rachelis cenſendi ſint. Quomodò igitur illos tamquàm proprios filios deploravit, qui ſanguine Liam attingebant? Ratio hujus ſatis eſt obvia. Regio illa, quam Tribus Juda ſortitò incolendam accepit, erat repoſitorium oſſium Rachelis, quæ in Betlehem quieſcebant. Hæc itáque, ut regioni, in qua tumulum nacta fuerat, gratam vicem rependeret, tam propitiis oculis infantes illius provinciæ aſpexit, ut, quamvìs ſui filii non eſſent, eos tamen ceu proprios viſcerum ſuorum partus deploraverit, eíſque materno affectu parentaverit, quia in eorum patria ſepulta fuit. Rem nunc aggrederer ſuperforaneam, ſi applicationi in materia tam aperta incumbere vellem.

Hucusque, mi glorioſe Patriarcha! pervenire potuit tenuis, & imbellis ſuada mea in Tuis elogiis, quæ Tibi ùt mortuo, & in hac Arca recondito perſolvi. Sed exiguæ Tuæ forent virtutes, & excellentiæ, ſi eas balbâ linguâ meâ delineare valerem. Deſiſto itáque à tam ſublimi conatu victus quidem, ſed qui mihi hanc ſortem magis gratuler, quàm ſi viciſſem. Dantur ſiquidem auſa nonnulla adeò illuſtria, ut ea ſolùm aggredi ſit longè glorioſiſſimum. Aſpice meam Sacram Religionem illis Tuis paternis, & mellitiſſimis oculis, eíque favorem Tuum largè impende, quæ Te ùt patrem veneratur, Tuúmque honorem, & venerationem pro viribus augere ſtudet. Et cùm Ariſtoteles dicat: *Omnis artifex diligit opus ſuum*, dubitare non poſſum Te ſimili animi propenſione in nos eſſe affectum; nam cùm hanc urnam, in qua Te amor noſter collocavit, non ſis dedignatus, apertiſſimè oſtendiſti, quòd nè defunctus quidem à noſtro amore ſeparari velis.

Sis itáque tamquàm verus pater incolarum Madritenſium, refugium noſtrorum malorum, medicina noſtrorum vulnerum, levamen noſtrarum afflictionum, iris in noſtris tempeſtatibus, portus in noſtris naufragiis, ac denique murus aheneus in noſtris præliis, ut tuô magnô patrociniô adjuti triumphantes ex hac vita mortali egre-

dia-

diamur, & ad Tuam beatiſſimam ſocietatem perveniamus in gloria: *Quam mihi, & vobis, &c.*

Hic finis ſermonis initium fuit magni doloris, cunctîs nimirùm lugentibûs, eum tam velociter orationis metam attigiſſe, qui dignus erat, ut ſemper loqueretur, nec licet dubitare, quin omnes admirabundi dixerint: *Quid in verbis, ſententiis, figuris, & diſpoſitione invenitur, nónne humani ingenii modum excedit?* Veſpere idem actum fuit, quod prioribûs diebûs, plerísque intereà ortum ſequentis diei avidè expectantibûs, quæ ùt illuxit, novæ feſtivitatis ſplendore devotorum corda recreavit. Quint. l. 10. Inſtit.

# CAPUT X.

## *Deſcriptio Tertiæ Feſtivitatis, quæ celebrata fuit ſextâ Maji, Die Mercurii.*

HAnc diem Mercurii feſtivís ſuís applauſibûs conſecrârunt Sereniſſimi Infantes Caſtellæ Don Ferdinandus, Don Carolus, & Don Philippus, qui hanc regiarum feſtivitatum Trinitatem trino ſuo fulgore glorioſiſſimè coronârunt. Imperator hujus diei eſt planeta Mercurius, quem Poëtæ Deorum nuncium eſſe voluerunt, Audiatur Virgilius.

*Interpres Divûm cœlo demiſſus ab alto.* Apud Pier. Valer. f.570. lit. L.

Quomodò igitur fieri potuiſſet, ut in iſtis tribus regiis ſurculis non efflореſceret inſignis gloria hodiernæ ſolemnitatis? Caduceus Mercurii, ùt Pierius Valerianus ſcribit, erat ſymbolum maximæ amicitiæ. Quis itáque ambigere auſit, devotionis germanitatem, quâ hi tres Regii Infantes parili pietatis ardore in cultum noſtri Sancti conſpirârunt, eſſe certiſſimum pignus amicitiæ, quâ eum proſequuntur? Cùm verò glorioſiſſimus Patriarcha noſter tam largâ beneficentiâ cunctis clientibus ſuis faveat, dubitare non poſſumus, quin hos tres regios floſculos peculiari clementiâ ſit protecturus, eorúmque vitas quàm diutiſſimè conſervaturus.

Alciatus depinxit Mercurium ſedentem, fortunâ latus ejus aſſectante, tamquàm volubilis illius inconſtantia ab eo ſuſſlaminaretur, ut mundus ſtabili felicitate perfrui poſſet. Hanc ſibi promittit mea Religio Trinitaria, quæ hunc regium concurſum maximæ ſibi felicitati ducit.

Illuminatô templô ſacrum ſolemne conſuetâ horâ inchoatum fuit, quod decantavit multùm Reverendus Pater Fr. Joannes à S. MARIA Miniſter hujus noſtri Conventûs Madritenſis, quo ad Evangelium perducto in ambonem aſcendit multùm Reverendus P. Fr. Joannes à S. Auguſtino, SS. Theologiæ in noſtro Collegio Complutenſi Lector emeritus, & pro tempore Miniſter Arcis S. Joannis, cujus ſubtiles diſcurſus ex aſſe reſponderunt expectationi de ipſo conceptæ. Libet ſpecimen tam magni ingenii in medium proferre.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam die tertia Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, peroravit multùm R. P. Fr. Joannes à S. Auguſtino, Miniſter N. Collegii in Arce S. Joannis.*

Hanc Feſtivitatem fecerunt Sereniſſimi Domini, Infantes Caſtellæ.

## THEMA.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Matth. cap.* 10.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

## SALUTATIO.

NObiliſſima illa civitas, quæ à Romulo, Conditore ſuo, Romæ nomen obtinuit, jam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ ſemper fuit ditiſſimum emporium Sacrarum Reliquiarum, ornata corporibûs SS. Apoſtolorum, purpurata ſanguine innumerabilium propemodùm Martyrum, illuſtrata lipſanis glorioſiſſimorum Patriarcharum, caſtiſſimarum Virginum, religioſiſſimarum Viduarum, & ſanctiſſimorum Confeſſorum, majorémque ſplendorem mutuavit à trophæis tam illuſtrium heroum, quàm à triumphis veterum ſuorum Imperatorum.

In

In hoc ſacro gazophylacio aſſervabatur inter alia cimelia theſaurus valdè pretioſus, Corpus nimirùm glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri S. JOANNIS de Matha, floridiſſimi fruticis in amœno Eccleſiæ viridario, tantarum excellentiarum, & virtutum foliis conſpicui, ut compendium quoddam omnium Sanctorum, qui hanc urbem unquam illuſtrârunt haud immeritò dici queat. Nemo itáque miretur, ſi dixero, ſacrum illud corpus, quod archivum fuit tam nobilis animæ, omnium Sanctorum virtutibûs ornatæ, recenſeri debere inter maximos theſauros, quos dives Roma in ſacro ſuo gremio complectitur.

Hanc urbem tam magnô theſaurô ſpoliavit ardentiſſima quorundam devotio, cujus rei fama, mox ùt percrebuit, Romanis totos lacrymarum rivos expreſſit, qui non ſolùm jacturam tam pretioſæ margaritæ deplorabant, ſed etiam lugebant, quòd nè locum quidem exploratum haberent, in quo hæc gemma repoſita fuit. Id ipſum prorsùs Beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ quondam evenit. Hanc carneam Seraphinam interrogârunt olim incorporei angeli, quid cauſæ eſſet, quòd tam effusè ploraret: *Mulier, quid ploras?* Quibûs illa paucis verbîs totam doloris ſui cauſam aperuit, dicens: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum.* Haud diſparî fatô etiam conflictatus fuit impius ille Michas de Monte Ephraim, cui filii Dan verſipelli vafritie ſacerdotem abſtulerunt, in quo ille omnem felicitatem ſuam repoſitam ſomniabat, utpote, quem veluti encyclopædiam quandam omnigenarum perfectionum intuebatur, unde & raptores ſubſecutus exclamavit: *Tuliſtis . . . . Sacerdotem, & omnia.* Omnia mihi hôc furtô ablata ſunt! ut proindè in opinione Michæ ſacerdos ſuus ſimilis fuerit idolo Bel, quod cæci gentiles ſub hoc titulo adorabant: *Deus unus, & omnis.* Qui licèt unicus in ſe fuerit, omnium tamen deorum prærogativas repræſentabat, eidémque tribuebatur potentia Jovis, fortitudo Martis, ſapientia Mercurii, & Apollinis, amor Veneris, & ſic de reliquis.

Joan. 20. v. 15.

Judic. 18. v. 24.

Diod. Sicul. l. 3. cap. 4.

Quod in illo idolo, & ſacerdote fabula fuit, eſt pura, putáque veritas in meo S. P. JOANNE de Matha. Multò itaque meliori jure cives Romani illô ſurreptô dicere potuiſſent: *Tuliſtis Sacerdotem, & omnia.* Privati ſumus Sacerdote, Concionatore, Apoſtolo, & Magiſtro noſtro, hoc enim glorioſiſſimus Patriarcha meus

 cum

2. ad Tim. 1. v. 11. cum S. Paulo de ſe affirmare potuiſſet: *In quo poſitus ſum ego Prædicator, Apoſtolus, & Magiſter gentium.* In Gallia enim, ſicut in regnis Dalmatiæ, ac Diocliæ ferventiſſimîs ſuîs concionibûs profligavit hæreticorum veſaniam, eorúmque nefaria dogmata repreſſit, compeſcuit, & ſuperavit. Scilicet lingua ejus fuit tuba Divini Spiritûs, quæ radiîs ſuæ doctrinæ convertit pallidas infidelitatis umbras in coruſcum fulgorem Sanctæ Fidei noſtræ. Et quis omnes excellentias S. Patriarchæ noſtri pro dignitate deprædicet? Fuit rigidiſſimus anachoreta, qui ſeveram ſuam aſceſim in ipſo ſtatim blandientis ætatis vere eſt auſpicatus: Fuit Propheta, qui præſaga mente futura eſt vaticinatus, Fuit Martyr in deſiderio, utpote qui repetitîs vicibûs vitam ſuam præſentiſſimo diſcrimini pro Redemptione Captivorum exponere non dubitavit: Fuit lilium virginalis integritatis, quam illibatam ſepulchro intulit. Et ut Iliadem in nucem contraham, nulla fuit excellentia, aut prærogativa, in qua aliquis Sanctorum, quos Catholica veneratur Eccleſia, reſplenduit, quâ non etiam dotatus fuiſſet meus S. Patriarcha JOANNES de Matha, ac propterea licèt unicus duntaxat in ſe fuerit, omnes tamen Sanctos repræſentabat: *Unus, & omnis.*

Franc. Macedo Minorita. Alphonſ. Andrade è S. J. Melchior à SPIRITU S. è noſtris in vita S. JOANNIS de Matha, & reliqui Ordinis hiſtoriographi.

Hunc itáque tam inſignem Sanctum, qui erat omnis gloria Romanorum, contemplamur hodie ad hanc Hiſpaniæ metropolim translatum. Næ tu millies felix es inclyta Hiſpania! quæ in Corpore mei Sancti poſſides quandam epitomen totius Romanæ gloriæ. Plinius in deſcriptione Romæ ait, allatum fuiſſe ad hanc civitatem Phœnicem, atque in eo totam Arabiæ gloriam: *Allatus eſt & in urbem Phœnix:* Cùm verò & ipſe quoque S. Patriarcha meus ſit quidam Phœnix cœleſtis, qui ex ſuis cineribus renatus eſt, quando nobis proprietatem ſacri ſui Corporis contulit, & novam veluti vitam incepit, quando ſe ſpiritui filiorum ſuorum univit. Ideò non immeritò dici poſſe videtur, in Corpore mei Sancti totam magnificentiam Romæ, totámque Arabiæ gloriam ad Hiſpaniam translatam fuiſſe: *Allatus eſt & in urbem Phœnix.*

Plin. lib. 10. cap. 2.

Phœnix, dum renaſcitur, agili alarum remigiô ſolis urbem petit, in quo urnam, & altare ſibi conſecratum habet: *Totum deferre nidum in ſolis urbem, & Aram ibi deponere,* glorioſiſſimus autem Patriarcha meus, è ſuis cineribus renatus, ad hanc urbem Madritenſem, ceu alteram ſolis civitatem contendit, in qua ejus perpetuæ venerationi hæc nobilis urna, & hoc Majeſtaticum altare con-

Plin. ibid.

Digitized by Google

conſecratum fuit. Quod ſi autem domus Obededom, quæ brevi duntaxat tempore hoſpitium Arcæ veteris Teſtamenti præbuit, tot favoribûs cœleſtibûs locupletari promeruit, jure dicere poſſum hanc urbem, quam cœleſtis iſte Phœnix, Sanctiſſimum Patrem meum JOANNEM de Matha intelligo, pro ſua perpetua ſede elegit, ut in ea aſſidua veneratione coleretur, quam ei mea Diſcalceata Familia conciliavit, non ſolùm magnis felicitatibûs ditatum iri, ſed & totô beneficiorum diluviô inundandam eſſe; hoc enim Phœnix renatus portendit: ***Inundationem identidem ſignificare.***

Tertullianus, dum eloquentiſſimô ſuô calamô Phœnicis anaſtaſim deſcribit, ait, eum eſſe eundem, & alterum: ***Se ipſum lubenter renovans, alius idem,*** licèt enim eadem avis permaneat, novam tamen quandam eſſentiam induit. Id ipſum de meo S. Patriarcha affirmo, quòd nimirùm idem ſit, & alter, dum è ſuis cineribus renaſcitur: ***Alius, idem;*** declarata ſiquidem ejus identitate: ***Idem,*** novam eſſentiam acquiſivit, quando jus proprietatis ejus ad nos tranſiit: ***Alius.*** Piet. Valer. l. 20. c. 1.

Quamvis autem mea Religio hanc proprietatem aliter non obtinuerit, quàm ſub hac conditione, ut ſuis expenſis lapis erigeretur pro perpetuo monumento hujus gratuitæ donationis, incunctanter tamen aſſevero, quòd mea Diſcalceata Familia id ipſum prolixè præſtitiſſet, licèt hæc conditio adjecta non fuiſſet. Per illam myſticam ſcalam, quam Jacob Patriarcha in ſomno vidit, ſcribit Doctor mellifluus, deſignatur Religio ab Eccleſia approbata: ***Scalam iſtam eſſe diſciplinam religioſam cujuſdam Ordinis probati in Eccleſia.*** Hìc, ùt Rupertus ſcribit, Jacobo repræſentatus fuit ſenex Pater ſuus Abraham. Pro quo favore percepto erexit Jacob lapidem in ſignum ſuæ gratitudinis: ***Erexit lapidem, hoc eſt, in ſignum gratitudinis*** ex mente Sylveiræ, vel ùt Eminentiſſimus Hugo exponit: ***In Commendabilem memoriam.*** Cùm autem mea inclyta Diſcalceata Familia felicitatem habeat ſuum ſenem patrem non in figura, & repræſentatione ſicut Jacob, ſed in ipſis ejus Corporis Reliquiis videndi, quomodò à ſe impetrare poſſet, ut pro tanto favore lapidem non erigeret in titulum ſuæ gratitudinis? ***In ſignum gratitudinis.... In commendabilem memoriam.***

D. Bern. in illa verba: Ecce nos reliquimus omnia.

Geneſ. 28.

Sylv. l. 3. cap. 5.

Hugo Card. in cap. 28. Geneſ.

Hæc

Hæc donatio eſt maxima felicitas meæ Diſcalceatæ Religionis, neque minor gloria illius Superioris, qui fervidô ſuô Zelô, & improbo ſuo labore effecit, ut ſuîs temporibûs Corpus ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri in hoc templo, tamquàm in loco proprio, collocatum fuerit: *Requievit Dominus die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrârat.* In DEUM fatigatio cadere nequit. Neceſſarium eſt proindè, ut ſub hoc verborum involucro grande myſterium lateat. Cur ergò dictum fuit, Eum requieviſſe? Ideò reſpondet doctus quidam calamus, quia hac die totam plenitudinem ſuæ gloriæ recepit: *Requievit DEUS glorioſus.* Abſolverat DEUS ſpectabilem hujus mundi architecturam, in qua, ùt profundum Tertulliani ingenium obſervat, non ſolùm Clementia ejus cunctis creaturis eſſentiam contulit, verùm etiam Juſtitia ipſius omnibus proprium locum aſſignavit: *Bonitas operata eſt mundum: Juſtitia modulata eſt.* Cùm verò DEUS ſit princeps Superiorum, evadit conſectaneum, majorem gloriam alicui principi Superiorum obtingere non poſſe, quàm res in ſuo proprio loco collocare.

Genef. 2.

Berlong. ad cap. 2. Gen.

Tertul. lib. 2. cont. Marc. cap. 12.

Cæterùm ſi inter ſe comparetur tam glorioſa S. Corporis collocatio cum ipſa ejus actuali poſſeſſione, arbitror ego, meam Diſcalceatam Familiam plùs exultare ob magnificentiam harum feſtivitatum, in quibus gloria noſtri S. Patriarchæ tam eminenter refulget, quàm ob ipſam poſſeſſionem ejus Reliquiarum. Magi neonatum Salvatorem adoraturi in viam ſe dederunt, ſtellâ quadam ad inſtar daduchi iter eis præmonſtrante. Hanc illi, Hieroſolymis proximi, ex oculis amiſerunt, quam cùm denuò conſpexiſſent, ait S. Textus: *Et gaviſi ſunt gaudiô magnô valdè.* Aſt cur non potiùs S. Scriptura eorum gaudium depinxit, quo delibuti fuerunt, quando Divinum puſionem in liligero ſinu ſuæ Virgineæ genitricis adoraverunt? Cur ſolum gaudium ex iterato aſpectu ſtellæ ortum expreſſit? Ratio hujus eſt, quia in adoratione de præſentia Ejus ſacratiſſimi corporis gaviſi fuerunt, ſed in conſpectu ſtellæ de Ejus gloria exultaverunt: Cùm verò Magi illi eſſent viri adeò ſapientes majoris lætitiæ argumentum habuerunt gloriam ſui dilecti, quàm proprium in Ejus adoratione ſolatium. Quantô non gaudiô perfuſa fuit mea Diſcalceata Religio, cùm videret totam hanc civitatem fervere in cultu ſui S. Patriarchæ? Sed ſi fervor, & Zelus noſtrorum Catholicorum Regum primas in eo ſibi partes vendicavit, quid mirum, totam urbem parili pietatis ardore inflammatam fuiſſe?

Matth. 2.

Catho-

Digitized by Google

Catholicæ Majeſtates has ſolemnitates inchoârunt, quas continuavit Celſitudo noſtrorum Sereniſſimorum Principum Aſturiæ, eáſque hodie coronat devotio Sereniſſimorum Infantum domûs Regiæ: Licèt autem tres dies pro ſolemnitate deputati ſint, unicus tamen duntaxat pro eorum devotione fuit, ut proindè & ipſi quoque dicere potuerint, quod Magnus Aurelius Auguſtinus in alia occaſione protulit: *Hi tres dies unus dies.* Nisì fortaſſis dicendum ſit, hanc ſolemnitatem, dum piiſſimo Sereniſſimorum Infantum cultu coronatur, perveniſſe ad *Non plus ultrà* in ſphæra feſtivitatum. Hæc ſanè feſtiva celebritas Sanctiſſimo Patriarchæ meo ſummum honorem conciliat, cùm & ipſe quoque cum regio Propheta nunc dicere queat? *Ex ore infantium perfeciſti laudem.* D. Auguſt. Serm. 90. de Temp. Pſalm. 8.

Supereſt etiamnum inſignis quædam, & noſtro propoſito valdè congrua circumſtantia, præſentia nimirùm Corporis CHRISTI in Auguſtiſſimo Altaris Sacramento. Corpus CHRISTI, eſt Corpus Redemptoris, quod nobis in proprietatem collatum fuit: *In me manet, & ego in eo.* Datum autem fuit nobis in proprietatem, qui ſumus Ejus templum: *Manet autem ipſe in nobis cùm ſumus templum Ejus.* Cùm verò hæc circumſtantia ſit idea quædam totius feſtivitatis noſtræ, non poterat deeſſe præſentia Corporis CHRISTI in hoc Auguſto, & ſemper Venerabili Sacramento, quod eſt pignus certiſſimum Divinæ gratiæ: AVE MARIA. Joann. 6. S. Auguſt. Tract. 27. in Joan. ante medium.

**Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.** *Matth. cap. ſup. citato.*

# INTRODUCTIO.

SCopus hodiernæ feſtivitatis, quam tanto plauſu, & lætitia celebrat mea Diſcalceata Religio, eſt obtenta poſſeſſio, ſive proprietas Corporis ſui Illuſtriſſimi Patriarchæ, qui licèt ſit Mata, id eſt, ſurculus floridiſſimus, ùt dixiſſe memini, in amœno Eccleſiæ viridario, ejus tamen fragrantia claudebatur in quodam paradiſo, ſive oratorio, artificis manu ad cœli æmulationem adornato, quod olim incoluit ſecundus Job noſtrorum ſæculorum. Nôrunt omnes, quis, quantúſque fuerit meus V. P. Fr. Thomas à Virgine, cujus cella meritò nominari poteſt Palæſtra omnium virtutum, Templum maximæ ſanctitatis, Exemplum patientiæ, & cathedra, ex qua ſuæ



Digitized by Google

doctrinæ lucibûs illuminavit hanc urbem, & totam nobilitatem Hiſpaniæ. In hoc paradiſo delitebat pretioſiſſimus ille theſaurus, ſive Corpus mei Sancti Patriarchæ, cujus Identitatem poſtquàm S. Rituum Congregatio declarâſſet, mea Diſcalceata Familia illud confeſtim in lucem publicæ venerationis produxit. Quô factô cœleſtis iſte frutex confeſtim amœniſſimam virtutum ſuarum fragrantiam latè diſpergere cœpit.

Ex hoc tam felici, auſpicatóque principio proceſſit ipſa Donatio*, qua Capitulum S. Petri meæ Excalceatæ Religioni Corpus ſui Patris, & Patriarchæ in perpetuam poſſeſſionem contulit, quam etiam deinde Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Interpretum Tridentini Concilii ſuô ſuffragiô comprobavit. Hæc Donatio, qua nobis Corpus Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri obtigit, eſt totus finis noſtræ felicitatis, cui tamen fini initium dedit Declaratio ejuſdem Identitatis. Atque hac ratione conſertis ſe manibûs apprehendunt, ſéque invicem ſemper reſpiciunt hic finis glorioſus, & hoc felix principium, formántque mutuo concurſu perfectum circulum, in quo, dum principium fini conjungitur, exactiſſimum æternitatis ſymbolum relucet, & dum extrema tam ſcitè inter ſe uniuntur, materia immortalium elogiorum occurrit. Declaratio itáque Identitatis Corporis S. Patris noſtri principium fuit ejus Donationis tamquàm finis nobiliſſimi, & rursùs Donatio ejuſdem, & poſſeſſionis deſiderium initium dedit Declarationi Identitatis. Videamus, utrùm hæc mea aſſertio fundamentum aliquod in hodierno Evangelio inveniat.

In hoc mentio fit ſerpentis, cujus prudentia in ejus actionibus nobis imitanda proponitur: ***Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Prudentia ſerpentis***, ait Angelus ſcholarum, ***in hoc conſiſtit, quòd ſemper vult defendere caput***, quod eſt ſymbolum Patris; & Prælati. Atque hæc fuit prudentia meæ inclytæ Familiæ Diſcalceatæ, quæ indefeſſa ſolicitudine in iſtud unicè incubuit, ut ſuum Patrem, & Superiorem ſervaret. Pereat totum reliquum, dixit ejus prudentia: ***Totum ſe ipſum tradit***, dummodò Corpus mei Patris, & Prælati integrum retineam: ***dummodò caput ſuum integrum ſervet.*** Serpens, ùt Pierius Valerianus ſcribit, eſt hieroglyphicum immortalitatis, quia dum ore caudam mordet, principium fini connectit: ***Serpens caudam depaſcitur, ut generum immortalitatem oſtentet, ut principium ad finem directum eſſe, finémque ad principium reflecti doceat.*** Ut proinde in fine Dona-

D. Thom. ad Coll. c. 2.

Pier. Valer. lib. 14.

Donationis elucefcat immortalis noſtra felicitas, & in Declaratione identitatis immortale principium hujus felicitatis. Unio itáque horum extremorum, & connexio hujus finis, & principii erit theatrum mei ſermonis, in quo oſtendam, Declarationem identitatis Corporis noſtri Sancti fuiſſe principium deſideratiſſimi illius finis, quo nobis Donatio Sacri hujus Corporis obtigit: *Ut principium ad finem*, & viciſſim, Donationem fuiſſe principium ad obtinendum finem Declarationis Identitatis: *Finémque ad principium reflecti doceat*. Hæc eſt meæ Concionis idea in duo puncta diviſæ, quorum primum nunc pertractare aggredior.

# PUNCTUM I.

## *Declaratio Identitatis eſt principium pro obtinendo fine Donationis, ſive poſſeſſionis.*

LEx Civilis, quæ ſoli rationis fundamento innititur, diſponit, ut inventus in proprio fundo theſaurus cedat totus in proprietatem repertoris: *Theſaurus inventus in proprio fundo, totus eſt inventoris*. Inter omnia Sanctorum Corpora mei S. Patriarchæ Corpus jure theſaurus pretioſiſſimus cenſeri poteſt. Qui credere abnuit, audiat mecum Doctorem Angelicum: *Theſaurus ſunt omnes divitiæ congregatæ in unum:* Cùm verò Corpus mei Glorioſi Patriarchæ diverſorium fuerit illius nobiliſſimæ animæ, quam Divina pietas tot Sanctorum chariſmatis, & prærogativis adornavit, ut in ejus commendationem haud immeritò celeberrimum illud elogium uſurpari queat: *Quæ diſperſa beatos efficiunt, ſimul collecta tenes*, evadit conſectaneum, Corpus mei Sancti eſſe theſaurum pretioſiſſimum, quia in illo omnes ſunt congregatæ divitiæ, eò, quòd domicilium olim præbuerit omnigenis gratiis cumulatæ animæ.

Leg. Unica. Cod. de Theſaur.

D. Thom. ad Coloſſ. 2.

Ex communi axiomate deſumpto ex Plutarcho.

Hic itáque theſaurus binis vicibûs amiſſus, & toties inventus eſt. Prima vice perditus fuit, quando cultus, & veneratio ejus evanuit. Vix ille felici morte ex hoc mundo ad aſtra tranſierat, dum totus extemplò mundus in ejus venerationem conſpiravit, adeò, ut vix intercapedo aliqua inter ejus felicem obitum, & erectionem altarium in ipſius honorem obſervari potuerit; vix enim ille innocentes oculos ſuos clauſerat, dum Innocentius III. P. M. protinus

 man-

Digitized by Google

mandavit, ut tamquàm Sanctus in tota Eccleſia coleretur. Nullus tamen admiror, ſanctitatem tanti viri in hominum memoria obliteratam fuiſſe, cùm & ipſe quoque Sanctus Sanctorum, cujus jam veneratio ab Oriente in Occidentem pervaſerat, ſimili ſorte ſit conflictatus, utpote cujus tanta oblivio aliquando irrepſit, ut totus mundus eum non cognoſceret: ***Et mundus eum non cognovit.***

Joann. 1.

Prodivit deinde in mundum mea Diſcalceata Religio, de qua vaticino ſpiritu Sacri Ordinis noſtri fundator V. P. F. Joannes Baptiſta, cujus Beatificationem ſingulis momentis avidè expectamus, prædixit, eam à Patre Luminum fundatam fuiſſe, non ſolùm ut collapſa Ordinis diſciplina in ea ad priſtinum vigorem reſurgeret, ſed potiſſimùm, ut cultus Sanctiſſimorum Patriarcharum noſtrorum refloreſceret. Quàm verè autem hæc ab illo prænuntiata fuerint, eventus probavit, cùm ſola mea Diſcalceata Familia cauſam præſentem urſerit, ùt ex ipſa Sententia conſtat, in qua dicitur, litem ſubortam fuiſſe inter partes, quarum alteram conſtituebat Noſter Procurator Generalis, alteram verò Reverendiſſimus Promotor Fidei, nemine alio ad hoc negotium concurrente. Nullus itáque miretur ſoli meæ Diſcalceatæ Religioni hoc S. Corpus donatum fuiſſe; ad illam enim ejus poſſeſſio jure erat devolvenda, quæ cœlitùs electa fuit, ut honorem & venerationem ſui S. Patriarchæ aſſereret, ac promoveret.

F. Alexand. à Matre DEI 2. part. Chron. recent in vit. N. V. P. Joan. à Conc. nondum typis data ſic ait: c. 23. Ergò crebrò repetebat Joannes, honoraturum vel in terris Deum S. Patriarchas JOANNEM de Matha, & FELICEM de Valois, multóſque alios Ordinis Sanctos, quorum vix extat memoria, ad quam quidem ex oblivionis faucibus eruendam, cultumque priſtinum reſtituendum, Trinitariam Diſcalceatam Familiam ſibi DEus erigere juſſerat.

Numeroſa profectò ſoboles fuit Jacobi Patriarchæ, utpote quæ numerum duodenarium ſuperavit; quamvìs autem Sanctus iſte tot filiis afflueret, Joſeph tamen ei peculiariter in deliciis fuit, ac proptereà etiam meliùs à patre habitus. Hic fuit electus, ut patri ſuo honorem conciliaret, quemadmodùm conſtat ex libro Geneſis: Meliùs autem habitus fuit, utpote qui à patre ſuo plùs accepit quàm reliqui fratres ſui: ***Do tibi partem unam extra fratres tuos***: Hæc autem pars, ùt Doctor Maximus ſcribit, fuit pars corporis ejus: ***Do tibi humerum unum.*** Memorabilis diſtributio! Nónne ex duodecim illis filiis, quos S. iſte Patriarcha genuit, fuit Benjamin valdè dilectus? Nónne & cæteri omnes ejus filii fuerunt viri valdè inſignes, & præclari? Cur igitur ſolus Joſeph hâc prærogativâ donatus eſt? Non licet ambigere, patrem poſſe uni filiorum ſuorum plùs dare, quàm alteri, hoc tamen ſemper facit aliqua ratione permotus, ùt lex præſcribit. Quali igitur causâ inductus fuerit Jacob, ut filio ſuo Joſeph plùs largiretur, quàm aliis?

Geneſ. 48.
S. Hieronym. cit. à Lyr. in gloſſ.

Joſe-

Digitized by Google

Joſeph inter omnes fratres ſuos fuit vir adeò inſignis, ut infantiam neſcierit; nam ùt S. Scriptura teſtatur: ***Joſeph natus eſt homo***, vel ùt Textus græcus legit: ***Natus eſt vir***, quod in calamo S. Bonaventuræ idem eſt, ac vir virtutis: ***Virum nominat, quia homo virtutis.*** Obſervandum eſt autem, quòd, licèt Joſeph à teneris jam unguiculis tam conſpicuus fuerit in perfectione, quotidie tamen magis ſemper, ac magis in virtutibus creverit, ut menſuram nominis ſui impleret, quod interpretatum dicitur: ***Filius accreſcens virtute:*** Cùm igitur Joſeph jam in ipſa Nativitatis ſuæ die fuerit gigas tantæ perfectionis, ac deinde quotidianis incrementis in virtute profecerit, nemo miretur, quòd licèt Benjamin fuerit patri adeò charus, & reliqui fratres viri adeò præclari, ſolus tamen Joſephus unam partem corporis paterni obtinuerit, quia ipſi hæc prærogativa tantarum virtutum intuitu debebatur: ***Do tibi partem unam .... Do tibi humerum unum.***

Eccli. 49. v. 17. Piña ad hunc locum. S. Bonavent. in cap. 2. S. Luc.

Hugo Card. hic.

O Diſcalceata Religio Trinitaria! O dilecta mater mea! In tam glorioſo numero tot illuſtrium virorum, quos novus ille Jacob in lege gratiæ, Sanctiſſimum intelligo Patrem Noſtrum JOANNEM de Matha, educavit, tu ſola fuiſti electa, & meliùs habita. Electa, ut abſconditum theſaurum ſanctitatis tui Patriarchæ in lucem produceres, tuáque induſtriâ publicam ejus venerationem evinceres, ac denique orbi univerſo cultum ejus immemorabilem ob oculos poneres, quatenùs iſte priſtinum ſuum ſplendorem recuperaret. Meliùs habita, utpote quæ non ad inſtar Joſephi unicum duntaxat humerum, ſed totum corpus tui S. Patris accepiſti, quod in hoc Conventu religioſè nunc aſſervatur: Hunc autem theſaurum conſecuta fuiſti, quia eadem ratio pro te militabat, quæ Joſepho hanc prærogativam inter fratres ſuos conciliaverat; nam & ipſa quoque hæc S. Reformatio jam indè à primo ſuo ortu in omni virtutum genere perfecta fuit. Huic veritati teſtimonium fuerunt Authores extranei è ſacris familiis D. Franciſci, & S. Dominici (domeſticos enim hujus veritatis teſtes producere non libet, nè mihi malevola aliqua lingua tritum illud Senecæ proverbium ogganiat: ***Laus in ore proprio vileſcit***) quorum primus, qui eam ſub titulo Comiſſarii aliquamdiu gubernavit, diſertè profeſſus eſt, ſe toto tempore ſui regiminis nè veniale quidem peccatum in hac Reformatione obſervâſſe: Secundus autem dicit, alias Reformationes ab ea ſuperari, eò, quòd in

Fr. Andreas de Valoſco. ùt refertur 1. part. Chron. noſt. c. 20. Fr Hyacint. Parra Ord.

Prædic. in Roſa laureata triumpho 4. in ipſo ſuo exordio perfecta fuerit, ut proindè in laudem meæ Diſcalceatæ Familiæ haud immeritò dici poſſit eam eſſe opus, in quo Divina Omnipotentia magis reſplendet, quàm in creatione cœli, terræ, & lucis.

Gen. 1. v. 16. Condidit DEUS lucem, ſole nondum formato, cujus productio ad quartum usque diem dilata fuerat, in quo primò ad imperium Divini Verbi ex nihilo prodivit: *Luminare majus.* Ibid. v. 16. Condidit terram, ſed nullis floribûs, qui ei decus addidiſſent, veſtitam: *Terra erat inanis, & vacua.* Condidit denique etiam cœlum, ſed ſinè ſtellarum ornatu, qui ei poſteà primò acceſſit: *Cælum rude*, ùt Tertullianus ait. Aſt mea Diſcalceata Familia ab ipſo ſuo principio fuit ſol ſpecioſus, & ſplendidus, qui tamquàm princeps aſtrorum pro ſuo fulgore alienis lucibûs opus non habuit: fuit sereniſſimum quoddam cœlum, tot ſtellis interpunctum, quot illuſtres heroës protulit, qui reſplenduerunt in perpetuas æternitates: fuit terra fœcundiſſima virtutum, quæ non ſolùm in fertilitate primitivi ſui rigoris ſemper permanſit, ſed quotidie majori virtutum nitore effloreſcit, novàsque indies leges tam in Capitulis, quàm in Definitoriis ſuis condit, ut earum adminiculô tantò promptiùs faciliùsque ad ſupremum perfectionis gradum eluctetur. Quòd ſi autem mea Sacra Religio iisdem excellentiis refulgeat, quibûs Joſeph inclaruit, quid mirum, quòd ad inſtar Joſephi cæteris prælata, & corpore ſui S. P. JOANNIS de Matha dotata fuerit?

Secunda vice perditus fuit ſacer iſte theſaurus, quando pia quorundam audacia eum Romanis eripuit, & in Hiſpaniam tranſtulit. Vix ad hanc urbem pervenerat, dum protinùs magnæ altercationes efferbuerunt de corpore mei S. Patris, qui fuit primus poſt CHRISTUM Redemptor in lege gratiæ, quod olim etiam evenit propter corpus Moyſis, qui primus fuit Redemptor in lege ſcripta. Depoſitum fuit tandem in iſto Conventu, ìdque adeò ſecretè, ut pariter de corpore mei S. Patriarchæ dici potuerit, quod de corpore Moyſis ſcriptum eſt: *Non cognovit homo ſepulchrum ejus.* Deuter. 34. v. 6. Quemadmodùm autem corpus Moyſis ibi fuit occultatum, ubi arca captiva honorabatur: Ità quoque corpus mei S. P. JOANNIS de Matha ibi fuit abſconditum, ubi colebatur vera Arca ſanctificationis noſtræ, imago nimirùm JESUS Nazareni, quæ ab infidelium quondam Maurorum barbarie capta fuit.

Cùm autem Superioribus meæ Exalceatæ Religionis videretur tem-

tempus opportunum adeſſe, Romanæ Curiæ ſupplices facti ſunt, ut hæc pro ſua ſuprema authoritate ſacri Corporis identitatem declararet; quamvìs enim theſaurus iſte depoſitus eſſet in agro noſtro, nulla tamen utilitas, indè in publicum redundabat. Hæc noſtra poſtulatio diverſas tulit repulſas, cúmque jam felix rei hujus ſucceſſus ab omnibus propè inter res deploratas haberetur, Superior noſter tota virium contentione hoc negotium adeò dexterè urſit, ut tandem tenerrimus ejus erga S. Patriarcham noſtrum amor id vicerit, quod in opinione multorum impoſſibile eſſe cenſebatur.

Cùm Incarnatus DEUS propoſitum ſuum aperuiſſet, ſacratiſſimum Corpus ſuum nobis in hoc Altaris Sacramento relinquendi, inveniebantur nonnulli, quibus res iſta tam impoſſibilis videbatur, ut nè audire quidem aliquid de ea ſuſtinerent: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Joan. 6. v. 61. Hoc autem, quod in potentia humana impoſſibile credebatur, vicit amor Divinus, undè & per antonomaſiam Sacramentum amoris appellatur, quod in his Aris fides noſtra veneratur. Eodem prorsùs modô amor erga Sanctum Patriarcham noſtrum hoc impoſſibile complanavit, utpote qui ſatageâ ſuâ induſtriâ hoc evicit, quod plerique de materia impoſſibili eſſe judicaverant. Cùm igitur mea Diſcalceata Familia ſit illa, quæ ſuo fervore, & zelo conſecuta eſt Declarationem identitatis S. hujus Corporis, quatenùs, illud pro communi omnium utilitate publicæ venerationi exponeretur, per eadem media, quibûs hanc Declarationem evicit, contendit ad obtinendum finem proprietatis, ſive poſſeſſionis illius, diſſipando confuſam tenebrarum caliginem clariſſima luce veritatis.

Judæis olim in varias opiniones de CHRISTO diviſis percontatus eſt Magiſter cœleſtis ex ſuis Apoſtolis, quid homines de ſe ſentirent: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Matth. 16. v. 13. Illi extemplò tota opinionum plauſtra retulerunt; dixerunt enim, Judæos ſectis inter ſe ſtudiis in varia placita abiviſſe, aliqui enim Te dicunt eſſe *Eliam*, alii *Hieremiam, aut unum ex Prophetis*. Poſtulatus autem S. Petrus, ut ſuam ſententiam aperiret, illicò in hæc verba prorupit: *Tu es CHRISTUS filius DEI vivi.* Ibid. v. 17. In hac ſua confeſſione, ùt doctiſſimus Cardinalis Bellarminus obſervat, detexit S. Petrus pretioſiſſimum Divinitatis theſaurum, qui in Corpore CHRISTI abſconditus latebat: *In agro humanitatis erat abſconditus theſaurus Divinitatis CHRISTI.* Bellarm. in opuſc. de ſcala men.

Præ-

tis in DEUM ad illa verba : ſimile eſt reg. &c. Præmium autem, quod Petrus ob hunc theſaurum detectum, retulit, fuit titulus Beati: *Beatus es Simon Bar-jona.* Beatitudo conſiſtit in poſſeſſione ſummi Boni: Itáque cùm S. Petrus cœleſti lumine perfuſus hunc theſaurum detexerit: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi*, per Declarationem Ejus Divinitatis, jure illi conceſſum fuit, ut ejus poſſeſſione gauderet: *Tu es CHRISTUS filius DEI vivi . . . Beatus es Simon Bar-jona.* Scilicet debetur illi tantus theſaurus, qui cœleſti lumine illuſtratus eum felici ſorte detexit. Priusquàm Romæ Identitas corporis mei S. Patriarchæ declararetur, veritas, diverſarum opinionum nubilis obducta, apertam ſuam faciem proferre non potuit, Poſtquam autem mea Diſcalceata Familia ſuperno lumine adjuta pretioſum theſaurum ejus identitatis detexit, vix aliud ſperari potuit, quàm ut eo, ceu re propria frueretur. Finis enim, ſive poſſeſſio obtinetur per media, quæ pro ipſius Identitate declaranda adhibita fuerant: *Ut principium ad finem.*

Hæc proprietas, ſive poſſeſſio eſt finis totius felicitatis noſtræ: Declaratio verò identitatis fuit principium, vel etiam medium pro hoc fine glorioſo. Tota itáque felicitas noſtra conſiſtit in unione horum duorum extremorum, principii nimirùm, & finis iſtius, quâ nobis hoc deſideratum pignus obvenit, & Sancto Patriarchæ noſtro maximus ſplendor acceſſit. Diviniſſimus Salvator noſter tribûs vicibûs in hoc mundo Sanctus promulgatus fuit, nempe in Nativitate: Luc. 1. v. 35. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum.* In monte Thabor: Matth. 17. v. 5. *Hic eſt filius meus dilectus*, & in ſepulchro. Obſervandum eſt tamen, Iſaiam vaticinatum fuiſſe, quòd CHRISTUS totam ſuæ gloriæ plenitudinem in ſepulchro ſit habiturus: *Et erit ſepulchrum Ejus* Iſai. 11. v. 10. *glorioſum.* Sed numquid non major gloria ei obtigit in Nativitate, quando à paſtoribus veneratus, à Regibus adoratus, ac denique ab Angelis celebratus fuit? Nónne majori gloriâ refulſit, quando in monte Thabor cœleſti ſplendore circumfuſus à cœleſti PATRE, pro filio dilectiſſimo declaratus fuit? Minimè gentium; totam námque gloriæ plenitudinem tunc primò obtinuit, quando è ſepulchro reſuſcitatus fuit; tunc enim diſſipato rumore, quô corpus Ejus furtô ab-
Joan. 20. v. 15. latum dicebatur: *Si tu ſuſtuliſti eum* Diſcipulis ſuam identitatem
Luc. 24. v. 39. irrefragabilibûs argumentis manifeſtavit: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum*, atque hac ratione tributum ado-

adorationis recepit: *Et adoraverunt Eum*, conjungens declarationem identitatis ſui corporis ejus Donationi, quâ diſcipuli illius poſſeſſionem usque in finem mundi conſecuti fuerunt: *Ecce ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* *Exiſtendo* nimirùm, ùt Lyranus exponit, *in Sacramento Eucharistiæ.* Sepulchrum itáque fuit, ubi CHRISTUS ſummam gloriam obtinuit; comprobata ſiquidem ſui Corporis identitate tribûs vicibûs Sanctus declaratus fuit, tantâ indè diſcipulorum felicitate ſubſecutâ, ut ejus poſſeſſionem ad ipſum usque mundi finem adepti ſint. Matth. 28. v. 9. Ibid. v. 20. Lyra in Gloſſ.

Hic eventus materiæ, de qua tractamus, tam aptè convenit, ut nihil magìs ad hoc propoſitum facere poſſe videatur; nam & ipſe quoque meus glorioſus Patriarcha tribûs civibûs Sanctus proclamatus fuit. Semel: quando Innocentius III. P. M. poſt felicem ejus ex hoc mundo tranſitum illum, ùt ſanctum coli præcepit. Iterum: quando antiquatâ ejus memoriâ mea Diſcalceata Religio ejus immemorabilem cultum in lucem produxit, ac denique tertiò: quando Corpore ipſius in Hiſpaniam translato Sacra Congregatio ejus identitatem declaravit, eique publicos honores decrevit, atque hujus novi cultûs acceſſione tribûs vicibûs Sanctus eſt promulgatus: Cùm verò hæc Declaratio identitatis ſit principium donationis, quâ meæ Diſcalceatæ Familiæ Sacrum Corpus ejus usque in finem mundi collatum fuit, meæ indè Religioni maxima accrevit felicitas ob acquiſitionem tam cupiti theſauri, Sanctiſſimo verò Patriarchæ meo ſumma gloria ob nova ſui cultûs incrementa.

## PUNCTUM II.

### *Proprietas, & poſſeſſio eſt principium Declarationis Identitatis.*

NEmo facilè in controverſiam revocaverit, Declarationem, quâ Identitas Corporis mei S. Patriarchæ aſſerta eſt, principium fuiſſe ipſius Donationis, & proprietatis; hoc enim receptiſſimis Philoſophiæ regulis eſt conforme, quæ docet, regiam viam ad obtinendum finem aliquem eſſe media adhibere. Sed quod proprietas, ſive poſſeſſiò Corporis mei S. Patriarchæ ſit principium aut medium pro declaratione ejus identitatis, hoc demùm nonnullis portentoſum, aut paradoxum apparebit, cùm Declaratio ſit prior, & pro- Sic ſentit univerſa Philoſophia.

prietas multò poſterior, ut proindè omnia Philoſophiæ fundamenta convelli, & totus naturæ ordo inverti videatur. Equidem fieri poteſt, ut finis animum impellat ad media adhibenda, ſed hoc tantùm in illis occaſionibus locum habet, in quibus præſtitutus finis ſperatur, non autem poſſidetur. Quodſi igitur proprietas Declarationem identitatis diu ſit ſubſecuta, quomodò principium eſſe potuit hujus Declarationis? aut quomodò finis, ſive medium potuit eſſe cauſa principii? Non eo inficiàs, principium eſſe fine anterius: Addo tamen, poſſe excogitari finem, qui ipsô ſuô principiô ſit prior. Declaratio identitatis præceſſit quidem Donationem à Capitulo S. Petri meæ Diſcalceatæ Familiæ factam, quamvìs autem proprietas non aliter obtenta fuerit quàm virtute Donationis, nihilominùs mea Religio jam ante hanc Donationem aliquam proprietatem habuit; cùm enim iſta, ùt ſuperiùs deduximus, ideò potiſſimùm in mundum venerit, ut ejus operâ abſconditus theſaurus ſanctitatis ſui Patriarchæ manifeſtaretur, debebatur illi proprietas ejus Reliquiarum. Et ſub hac conſideratione proprietas, quamvis in ſe ſpectata finis ſit, prior fuit Declaratione, ſeu publicatione ejus identitatis, quæ principium, vel medium extitit proprietatis, ſive Donationis.

Ex omnibus CHRISTI Apoſtolis S. Joannes Evangeliſta peculiaribûs favoribûs à ſuo cœleſti Magiſtro cumulatus fuit, utpote qui inter alia chariſmata glorioſiſſimam DEI Genitricem pro ſua matre accepit, quam ei Diviniſſimus Salvator noſter in cruce legavit: Joan. 19. v. 27. *Dicit diſcipulo: Ecce mater tua . . . Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.* Licèt enim hæc regia Virgo ſit omnium Chriſtianorum Mater, ſingulari tamen modô S. Joanni in proprietatem data fuit. Quærit nunc quidam Doctor, cur diſcipulus iſte tantam prærogativam obtinuerit? Et reſpondet, quia à DEO electus fuerat, ut eſſet encomiaſtes ſuæ liligeræ Matris, quod etiam prolixè præſtitit, ùt videre licet in libro Apocalypſis, capite duodecimo. Nunc mihi attentas aures præbete. Cauſa, cur diſcipulus iſte tanta felicitate donatus fuerit, ut nobiliſſimam DEI matrem in propriam acceperit, hæc eſt, quia Ejus virtutes celebraturus, Ejúsque excellentias deſcripturus erat. Hoc fuit principium, & medium, proprietas autem, quâ pretioſiſſimam Virginem MARIAM in propriam matrem acquiſivit, finis fuit: nihilominùs tamen in hac occaſione finis fuit ſuô principiô anterior; priùs enim S. Joannes inæſtimabilem DEI genitricem pro ſua matre habuit, quam ejus præconia literis mandâſſet. Ad eundem modum, cùm mea Religio ele-

Melch. Faſter Valent. ſerm. 10. de Sanct.

cta

ﬆa fuerit, ut virtutes mei Sanﬆi Patriarchæ in lucem proferret, ejúſque perfeﬆiones celebraret, oportebat, ut ob hanc cauſam priùs adipiſceretur aliquam proprietatem ejus S. Corporis, quæ rationem finis obtinet, quàm ut theſaurum ejus virtutum detegeret, ejúſque identitatem manifeſtaret, cujus Declaratio finis hujus principium eſt.

Dicet fortaſſis nonnemo: Si acquiſitio proprietatis celebretur poſt Donationem, quomodò ante illam potuit mea Religio aliquam proprietatem habere? Reſpondeo, duos eſſe modos, quibus jus, & proprietas ad aliquam rem fundari poteſt. Mea Religio habuit *jus in re*, ſive in Corpore mei S. Patriarchæ; hoc námque jus non reſpicit perſonas, ſed ipſas duntaxat Reliquias: Aſt Capitulum S. Petri ſolùm habuit *jus ad rem*, ſive ad corpus noſtri Sanﬆi: hoc autem jus non reſpicit Reliquias, ſed perſonas. Atque hoc jus conſecuti ſunt Canonici Eccleſiæ Vaticanæ ex donatione Pontificia; nam ùt doﬆiſſimus Hurtado loquitur: *Jus ad rem tantùm reſpicit aﬆionem perſonalem, & hoc jus acquiritur per donationem.* Hurt. de juſt. & jure. Nihil itáque obſtat, quô minùs mea Religio priùs habere potuerit proprietatem, quamvis Capitulum S. Petri priùs donationem acceperit.

Libet nunc periculum facere, an mentem meam verbis S. Scripturæ clariùs explicare queam. Petamus lumen à regio Pſalte: *Defecit caro mea, & cor meum DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Pſal.72, v.25. Hìc fatetur David, cor ſibi defeciſſe, illúdque in poteſtatem DEI tranſiiſſe. Aſt quomodò dicere potuit: *cor meum*, quod ei jam defecerat? Fieri enim non poſſe videtur, ut ei defecerit, & ſimul illud habuerit? Sed prudentiſſimè locutus eſt David; cor námque ejus erat ipſius, & erat DEI. Erat DEI: quia hoc illi David donaverat: *Fili præbe mihi cor tuum... Defecit cor meum.* Proverb. 23. v. 26. Erat quoque Davidis, quia hæc donatio non abſtulit Davidi jus proprietatis, & ideò dixit, DEUM eſſe cordis ſui: *DEUS cordis mei.* Conſimili ratione dicere poſſumus de mea Diſcalceata Religione, eam habuiſſe, eíque ſimul defuiſſe, ſive defeciſſe pretioſum theſaurum Corporis ſui S. Patriarchæ: Deerat ei, quia Vaticano Capitulo S. Petri à Summo Pontifice donatus fuerat: *Defecit*; hæc tamen Donatio jus proprietatis ei tollere non potuit; proprietas enim non adverſatur, nec excludit donationem,



Digitized by Google

ut in corde Davidis nunc oſtendimus. Dicere proindè poteſt mea Religio de Corpore ſui glorioſiſſimi Patriarchæ: Hic eſt theſaurus *Cordis mei*; ídque tanto majori fiducia, & libertate, cùm S. Evangelium diſertè teſtetur, ibi eſſe cor noſtrum, ubi theſaurus noſter
Matth. 6. v. 21. eſt: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.*

Ex quibus ego inferebam, quòd, cùm Capitulum Vaticanum cederet hoc ſacrum Corpus meæ Diſcalceatæ familiæ (penes quam, ùt oſtenſum eſt, jus proprietatis reſidebat, quamvìs illud prædicto Capitulo donatum fuerit) hæc ceſſio ex una parte conſiderata ſit actio liberalis, & munifica, ex alia tamen parte inſpecta ſit reſtitutio ex juſtitia. Piiſſimus ille Joſeph ab Arimathæa ingreſſus eſt ad Pontium Pilatum, átque ab eo devotâ quâdam audaciâ Corpus In-
Marc. 15. v. 45. carnati DEI poſtulavit: *Audacter introivit, & petiit Corpus JESU.* Singulari autem conſideratione dignus eſt ſtylus, quô ſacri Evangeliſtæ hunc eventum deſcripſerunt. Marcus enim dicit, Joſepho hoc adorandum Corpus per viam Donationis obtigiſſe:
Ibid. v. 45. *Donavit Corpus Joſeph.* Donatio verò, ùt Juris-Conſulti teſtantur, eſt actus liberalitatis: *Ex mera liberalitate fit.* Aſt S. Matthæus luculenter innuit, hoc S. Corpus à Joſepho per viam reſtitu-
Matth. 27. v. 58. tionis obtentum fuiſſe: *Tunc juſſit reddi Corpus JESU.* Verbum *Reddo*, ùt Ambroſius Calepinus aſſeverat, reſtitutionem ſigni-
Calepin. in verbô: Reddo. ficat: *Hoc ergò ſignificat verbum Reddo, reſtituere.* Quomodò igitur uno eodémque tempore Corpus CHRISTI acquirere potuit per donationem, quæ filia eſt liberalitatis, ſive gratiæ, & per reſtitutionem, quæ partus eſt effectus juſtitiæ? Adde, quòd ex juſtitia recipi non poſſit, quod ex pura gratia donatur.

Hanc ſtyli diverſitatem, quâ SS. Evangeliſtæ ſibi adverſari videntur, ego hôc modô conciliabam. Pilatus dominium perſonale in Corpus CHRISTI obtinebat; hanc enim poteſtatem ei DEUS con-
Joann. 19. v. 11. tulerat, ùt ipſa increata Veritas teſtata eſt: *Non hâberes in me poteſtatem, niſì tibi deſuper datum fuiſſet.* Joſeph quoque
Ibid. v. 38. jus habebat ad hoc ſacratiſſimum corpus, *Eò quòd eſſet diſcipulus JESU.* In hac itáque donatione, cùm S. Marcus attendiſſet ad jus Perſonale, quô Pilatus gaudebat, eam ſub nomine donationis expreſſit; *Donavit Corpus Joſeph.* Quæ eſt actus liberalitatis. Aſt conſiderato jure, quod Joſeph tanquam diſcipulus CHRISTI retinebat:

Digitized by Google

bat: *Eò quòd eſſet diſcipulus JESU*, eſt actus reſtitutionis: *Tunc juſſit reddi corpus.* Ceſſio itáque Corporis CHRISTI ſub una conſideratione eſt actio liberalis, & gratuita, ſub alia verò eſt reſtitutio ex juſtitia.

Capitulum Vaticanum acquiſivit Jus perſonale in Corpus mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha à ſupremo Eccleſiæ capite: Filii autem meæ Excalceatæ Religionis jus ad illud habebant, tamquàm ejus diſcipuli, primitivi rigoris ſectatores, & ferventiſſimi zelotes ejus honoris, & gloriæ. Ceſſio proindè hujus S. Corporis, quam nobis Capitulum Vaticanum fecit, ſi jus perſonale ſpectetur, eſt actio liberalis, & gratuita, ſed ſi jus conſideretur, quod nobis tamquàm filiis, & diſcipulis ejus competit, eſt reſtitutio ex juſtitia.

Quantùm autem imbelli conſiderationis meæ acie divinare, & conjicere poſſum, arbitror, Capitulum S. Petri, dum in meam Excalceatam Familiam poſſeſſionem hujus theſauri transferret, verba illa ante oculos habuiſſe, quibûs moriturus Jacob dilectum ſuum filium Joſeph affatus eſt: *Non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum Patribus meis.* Præpoſtera, & ſupervacanea hæc eſſe videtur ſolicitudo pro illo, qui reſurrectionem mortuorum credebat. Cur noluit Sanctus iſte Patriarcha in Ægypto, & in ipſa Pharaonis regia ſepeliri? Cur tam avidis deſideriis ad terram Chanaan aſpiravit, præcipuè cùm nusquam majori quiete fruiturus eſſet, ſive demùm in Ægypto, ſive in terra Chanaan tumulum nactus fuiſſet. Non de nihilo proceſſit hæc Jacobi ſolicitudo! Vultis ſcire, quæ cauſa ei tam anxià deſideria extorſerit? Audite Scherlogum: Non idcircò, ait author præfatus, Jacob ſepulturam ſuam in terra Chanaan tam inſtanter urſit, quaſi ejus multùm intereſſet, Ægyptúſne, an Palæſtina ejus oſſa teneret, ſed quòd ingrati animi notam effugere efflictim diſcuperet. Non erat tunc Jacob curæ ſepulchrum, ſed gratitudo. Non eum angebat locus tumuli, ſed memoria beneficiorum; cùm enim in illa terra ſatus, & educatus fuiſſet, aliàque commoda, & utilitates ex illa percepiſſet, voluit, ut oſſa ſua mortua ei reſtituerentur, quæ ipſum viventem largè, affatimque aluerat: *Oportebat benefacienti iterum reſtituiſſe . . . . Accepit autem Corpus, hoc ergò ferri in terram Chanaan præcepit, quô gratum ſe oſtenderet.* Jam perſpicietis, ùt arbitror, quò tendam. Idipſum, quod Corpus Jacobi ſuô modò terræ Chanaan debebat, debebat etiam Corpus mei S. Pa-

Geneſ. 47. v. 29. & 30.

Scherlog. ap. Paol.

 triar-

Digitized by Google

triarchæ ſuæ Religioni Excalceatæ, cujus operâ oſſa ejus, quæ publicæ venerationi mortua, in vitam peculiaris cultûs, qui eis tantâ magnificentiâ in hac Eccleſia exhibetur, ſunt revocata. Gaudeat igitur mea Diſcalceata Familia poſſeſſione hujus S. Corporis! Conferat hoc ei Capitulum Vaticanum, quod procul dubio perpenſa Jacobi ſuprema voluntate agnoverit, illud majori jure meæ Religioni deberi, quàm corpus Jacobi Palæſtinæ.

In poſſeſſione hujus theſauri conſiſtit omnis felicitas mei Excalceati Ordinis! Tota gloria iſtius Conventûs hæc eſt, quòd repoſitorium audiat tam pretioſarum Reliquiarum: Cùm verò præſens Cœnobium conſiſtat in metropoli Hiſpaniæ, non ſinè fundamento dici poſſet, omnem felicitatem juncto agmine in Hiſpaniam transmigrâſſe; licèt enim urbs iſta aliorum Sanctorum Corporum poſſeſſione gaudeat, quorum etiam præpotente patrocinio fruitur, in hocce tamen Corporis theſauro mei S. Patriarchæ Hiſpania omnem felicitatem in Compendio poſſidet; aliorum námque Sanctorum patrocinium ſuis limitibûs circumſcribitur, ſed interceſſio mei S. Patriarchæ ſe latiſſimè extendit.

Quamvis autem Hiſpania concha ſit, quæ in felici ſuo gremio pretioſiſſimam margaritam, id eſt Corpus S. Jacobi Apoſtoli complectitur, cujus patrocinium eſt adeò efficax, ut ejus intuitu Divina Majeſtas Eccleſiæ ſuæ magna præſtiterit in favorem Hiſpanorum: *Per quem fecit illi magna.* (Eccl. in offic. S. Jacobi.) In Corpore tamen mei S Patriarchæ, quod in hac urbe tanta religione, & pietate colitur, habet Hiſpania univerſalem Advocatum in omnibus neceſſitatibus; divina namque potentia omnes gratias, & favores in ejus manibus depoſuit.

Dilectus Diſcipulus exaggeraturus potentiam Domini noſtri JESU CHRISTI, ait: *Omnia dedit ei Pater in manus.* (Joan. 3. v. 35.) In quem locum eloquentiſſimus, & cum reverentia nominandus S. Joannes Chryſoſtomus ità commentatur: *Omnia, id eſt, poteſtatem miraculorum, & virtutem ſanandi infirmos.* Aſt cur non potiùs ſibi æternus PATER hanc poteſtatem reſervavit, cui peculiari ratione prædicatum potentiæ tribuitur? Aut cur non ſaltèm hæc poteſtas ſpecialiter SPIRITUI SANCTO tradita fuit, qui eſt amor Divinus, præcipuè cùm operatio miraculorum, & ſanationes ægrotorum ſint affectus amoris, & potentiæ? Ratio hujus talis mihi occurrit. Ex omnibus tribus Divinis Perſonis ſolus FILIUS eſt imago bonitatis Paternæ: *Imago bonitatis illius.* (Sap. 7. v. 26.) Quamvis autem

in

in omnibus tribus Perſonis una, & indiviſibilis bonitas reſideat, ſolus tamen FILIUS eſt imago SSS. TRINITATIS, qui etiam ſolus munus Redemptoris in ſe ſuſcepit: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. v. 21.

Plùs: Ex his tribus Divinis Perſonis ſolus FILIUS fundavit Religionem Chriſtianam, ſuíſque filiis glorioſum Trinitariorum agnomentum indidit. Nullus proindè miror, æternum PATREM omnem poteſtatem miracula patrandi, & languentes ſanandi in manibus FILII depoſuiſſe; ſolus enim FILIUS eſt imago SSS. TRINITATIS: ſolus FILIUS eſt Redemptor: ſolus denique FILIUS fundavit Religionem Chriſtianam, ſuóſque Fideles glorioſâ Trinitariorum teſſerâ inſignivit: *Baptizantes eos in Nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI.* Matth. 28. v. 19.

Glorioſiſſimus Patriarcha meus S. JOANNES de Matha eſt accurata quædam effigies Domini noſtri JESU CHRISTI, Divinæ gratiæ influxibûs ad propiorem ſimilitudinem adornata, non ſolùm ad illam, in quam omnes Juſti transformantur, de quibus Doctor gentium teſtatur, eos à DEO conformari imagini FILII ſui: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis FILII ſui*, ſed ſpeciali quadam ratione ad illam, quæ proximè ad imaginem Filii DEI accedit. Filiatio inducit, fundátque exactiſſimam quandam ſimilitudinem: Undè etiam Majeſtas CHRISTI glorioſô filii titulô meum S. Patriarcham inſignivit: *Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum*, ut hujus appellationis lumine faciliùs cognoſceretur exactiſſima illa ſimilitudo, qua S. Pater meus ad imaginem Regis cœleſtis acceſſit tam in Officio Redemptionis, quàm in fundatione Religionis, honorificentiſſimô Trinitariorum titulô decoratæ. Cùm itaque CHRISTUS, & S. Patriarcha meus tanta excellentiarum, & prærogativarum conformitate inter ſe conveniant, cúmque cœleſtis PATER omnem poteſtatem miracula operandi, & infirmos ſanandi in manibus ſui Unigeniti FILII depoſuerit: *Omnia dedit PATER in manus . . . . id eſt poteſtatem miraculorum, & virtutem ſanandi infirmos*, evadit conſectaneum, ut ipſe quoque meus S. Patriarcha, qui tam exacta ſimilitudine ejus imaginem refert, ſit gazophylacium quoddam omnium gratiarum, & in manibus ejus inveniatur omnis poteſtas miracula patrandi, & ægrotos à languoribus abſolvendi.

Ad Rom. 8. v. 29.

Macedo Minorita in vita S. JOANNIS de Matha.

Iſtud

Digitized by Google

Iſtud ſanè de te ſpero, mi glorioſiſſime Pater, & Patriarcha! firmiſſimè perſuaſus, tuum patrocinium adeò univerſale futurum, ut non ſolùm hæc urbs Madritenſis, ſed etiam totum Hiſpaniæ Regnum de eo ſibi ſit gratulaturum. Undè ſicut ille ſerpens æneus, qui typum geſſit Divini Redemptoris, elevatus fuit in deſerto, ut, teſte cretenſi, ex ejus aſpectu ſalus in totum populum redundaret: *Serpens erat in deſerto ad ſanandum populum*, ità confido clementiam mei S. Patriarchæ, qui ſerpentis prudentiam eſt imitatus, & ad imaginem Diviniſſimi Redemptoris noſtri charismatum ſimilitudine proximè acceſſit, ac nunc denique in hanc aram elevatus fuit, ut ab omnibus conſpiceretur, & invocaretur, confido, inquam, clementiam mei S. Patriarchæ fore adeò univerſalem, ut de ejus patrocinio totum Hiſpaniæ Regnum ſit participaturum.

Joan. 5. v. 2. Et qui prior deſcendebat in piſcinam ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Quinque claves Arcæ, in qua eſt Corpus Sancti, ſunt ſignificatæ in quinque porticibus piſcinæ Hieroſolymitanæ.

Et quemadmodùm ſapientiſſimus Salomon diſpoſuit, ut Arca veteris Teſtamenti quinque porticibûs cincta in illo loco ſtationem ſub magnificentiſſimo templo ſortiretur, in quo myſtica quædam, & ſalutaris ſtagnabat piſcina, quæ omnium erat infirmitatum remedium: Ità quoque, cùm in hac urbe collocaretur Arca, in qua Corpus mei S. Patriarchæ aſſervatur, diſpoſuit Reverendiſſimus Noſter P. Generalis (Alexander à Conceptione) ſapientiam Salomonis imitatus, ut quinque porticibûs, id eſt, clavibûs muniretur, quæ partes totidem canalium gratiarum explerent: Hæ claves in manus venerunt Catholicorum Regum noſtrorum, Excellentiſſimorum principum, Senatûs urbici, ac denique S. Religionis meæ, ut cùm proprietas hujus theſauri ad omnes in his perſonis ſit devoluta, ad omnes quoque ejus ſe extendat protectio, & patrocinium. Nec deeſt huic templo, in quo hanc ſacram Arcam veneramur, ſua myſtica piſcina; ejus námque vices abundè ſupplet prodigioſa imago JESUS Nazareni, cujus vel ſolum nomen omnigenam ſanitatem pollicetur; *JESUS* enim idem ſonat, ac *Salus*, quæ profectò tam largiflua ubertate ex hac ſacra piſcina emanat, ut non minùs de hac imagine dici poſſit, quod de ejus vivo protypo dictum fuit: *Omnes malè habentes curavit.*

In illa piſcina Hieroſolymitana uſus eſt DEUS Angeli miniſteriô pro diſpenſandis ſuis gratiis, & favoribus. Ipſe quoque meus S. Patriarcha JOANNES de Matha Angelus eſt in virtute, & ſanctitate, cui proindè, tamquàm primario miniſtro ſuarum gratiarum ceſſit JESUS Nazarenus Altare majus, ut citiùs omnium oculos incur-

curreret, quem Altiſſimus DEUS omnium patronum, & benefactorem conſtituit.

Ad hoc aſylum nulla confugiet afflictio, quæ non præſentiſſimum ſit expertura remedium: Nulla veniet neceſſitas, quæ non paratiſſimum ſit inventura ſubſidium: Nulla denique accedet calamitas, quæ non promptiſſimum ſit reportatura levamen. Paucis: Nulla in naufrago hujus mundi Oceano tam procelloſa emerget tempeſtas, in qua non poſſimus ſperare, nos inventuros in meo S. Patriarcha clementiſſimum, & verſatiſſimnm nauclerum, cujus operâ, & protectione perducamur ad portum gratiæ, ut ejus beatiſſima ſocietate gaudeamus per omnem æternitatem in gloria: *Ad quam nos perducat Beatiſſima TRINITAS, &c.*

Communis totius Auditorii plauſus hanc Concionem excepit; nec ambigo, omnes cum Sidonio Apollinari, & Plinio juniore dixiſſe: *Eſt opus pulchrum, validum, acre, ſublime, varium, elegans . . . & cum magna authoris laude diffuſum.* Veſpertinum tempus exquiſitiſſimâ muſicorum modulorum ſymphoniâ perſonuit: Interim verò, ac tubæ, & campanæ craſtinæ diei ſolemnitates promulgarent, feſtinato multorum conatu exedra in Eccleſia præparata fuit pro recipiendo regio Caſtellæ Conſilio, quod ſequenti feſtivitati, ſuo ære adornatæ, erat interfuturum.

Sidon. Ep. 5. Plin. ſecund. l. 4. Epiſt. 20.

# CAPUT XI.

## *Deſcriptio Quartæ Feſtivitatis, quæ celebrata fuit ſeptimâ Maji, Die Jovis.*

HAnc diem Regium Caſtellæ Conſilium ſuæ pietati ſacram eſſe voluit, cujus ſplendor, ut tantò auguſtior evaderet, graviſſimâ præſentiâ regiorum Conſiliariorum ornatus fuit; cùm enim quartum cœlum ſit thronus Solis, cujus etiam pellucidum jubar Divina Omnipotentia, quarta die creavit, non minor injuria regio Conſilio irrogata fuiſſet, ſi ordo quartæ feſtivitatis ad illud non perveniſſet, quàm ſi Soli fulgor ſuus tolleretur. Solis etymologia derivatur à verbo: *Solo*, cui verò aptius nomen hujus ſplendidi aſtri in hoc hemiſphærio Hiſpanico convenit quàm illis, qui hunc regium, & ſapientiſſimum Areopagum conſtituunt.



Digitized by Google

Dominium hujus diei communibûs Aſtrologorum ſuffragiis Jovi Planetæ tribuitur, de quo poëtæ literis prodiderunt, eum conſilium devorâſſe, atque hôc pactô Palladem, ſapientiæ deam, peperiſſe: *Hinc Jovem nonnulli conſilium deglutiiſſe, & Palladem edidiſſe.* Hujus planetæ influxus tendunt ùt plurimùm in judices, aliásque perſonas, quæ gubernacula Reipublicæ tractant, undè etiam dicitur, quòd ſpiritus ille, quô aſſiſtente gubernatur, *Saliel* appelletur, cujus nomen interpretatur: *Juſtitia DEI.* Huic etiam Planetæ dedicatus fuit mons Olympus, *qui quaſi Ololampas* totus lumine, ac ſplendore refulget: ſed ad quem meliùs luces referri potuiſſent, quàm ad illum, qui in tot ſapientes influit?

Pier. Valer. fol. 172. Lit. F.

Victor. theat. de Diis f. 111.

Caſſan. p. 12. Catholog. glor. mund. conſid. 8.

Horâ decimâ ante meridiem adfuit totum Conſilium regium ſolitâ pompâ, & Majeſtate. Agmen ducebant Janitores in equis, qui virgas ( inſignia nimirùm hujus ſupremi Conſilii ) præferebant. Hos ſequebantur Excellentiſſimi Domini Conſiliarii ſuperbis pilentis, eſſedisque vecti, qui feſtivo tubarum, tympanorúmque clangore excepti inter muſicos concentus præparatas ſedes ſuas in orcheſtra templi occupaverunt. Singulis deindè ſinguli florum faſciculi dati fuerunt, qui ſuaveolente ſua fragantia noſtram proteſtarentur gratitudinem, & impenſo honori aliquam, licèt imparem, vicem referrent. Inchoata eſt Miſſa ſolemnis, quam celebravit multùm Reverendus P. F. Vincentius à Conceptione, S. Religionis noſtræ primus Definitor Generalis. Decantatô Evangeliô in ambone ſui copiam fecit multùm Reverendus P. Fr. Michaël à Virgine, actualis Lector SS. Theologiæ in noſtro Collegio Univerſitatis Salmanticenſis, cujus ſermo tot conceptibûs, & eruditionibûs abundabat, ut eſſet dulce quoddam faſcinum doctiſſimi Auditorii ſui.

Loquatur ipſa ejusdem Concio, quam nunc exhibemus.

CON-

Digitized by Google

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam quarta die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, habuit multùm R. P. Fr. Michaël à Virgine, SS. Theologiæ Lector actualis in noſtro Collegio Salmanticenſi.*

Hæc Feſtivitas expensis regii Caſtellæ Conſilii celebrata fuit.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos. *Matth.* 10. *v.* 13.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

## SALUTATIO.

NEſcio profectò, Ornatiſſimi Auditores! num hodie magis meo intellectui vela, & carbaſa conquirere, quorum ſubſidiô vaſtiſſimum hunc, qui mihi nunc in conſpectum cadit, myſteriorum Oceanum pernavigem, an verò contemplationi meæ quietas alas exoptare deberem, ut tantò diutiùs admirationi rerum adeò exoticarum inhæream? Utrumque mihi, ùt non vanè conjicio, neceſſarium foret; magnum enim mihi, mirificúmque video aperiri theatrum, in quo non minùs intellectus fatigatur, quàm admiratio, dum intueor tam peregrinum circumſtantiarum concurſum, quæ utrinque ſolicitudinem meam certatim provocant, & hac ipſa ſua provocatione me puſillanimem reddunt, eam námque ſubterfugere, vix à nota vecordiæ, aut timiditatis excuſaretur, ei verò audacter obviàm procedere, temeritatem ſaperet. O ſi mihi nunc ſors adeò auſpicata obtingeret, ut inter hæc extrema mediam viam invenirem, cui me tutò confidere poſſem, felicem me procul dubio, & ter beatum autumarem. Nemo autem ſuſpicetur, affectationem ſubeſſe, quòd aleam hodierni ſermonis timidè aggrediar, viriúmque



Digitized by Google

mearum tenuitatem candidè profitear. Magnitudo ſiquidem objecti, cui majeſtas præſentis feſtivitatis conſecratur, non ſolùm balbutienti linguæ meæ, ſed extaticæ etiam eloquentiæ minatur naufragia. Cæterùm cùm auſa nonnulla inveniantur, quæ vel ſolùm tentare ingentis eſt gloriæ, non poterit ſuo privari ſplendore, qui tam ſublimia molimina generosô animô aggreditur, quamvìs illa non aſſequatur. Aquilam omnes pro regina avium agnoſcunt, non quidem propterea, quòd ad ipſam ſolis ſphæram eluctetur, ſed quòd fulgidiſſimæ ejus luci appropinquare conetur. Tam glorioſæ ſunt circumſtantiæ hodiernæ feſtivitatis, ut, licèt ad earum ſupremum faſtigium evolare non valeam, grandis ſit tamen gloriæ ſeges, vel hoc ſolùm attentâſſe. Victus fuit Jacob in illa lucta, quâ cum Angelo noctu congreſſus eſt, utpote qui læſus ab illo certamine diſceſſit: nihilo-
Oſe. 12. v. 3. minùs tamen Oſeas Propheta, eum victorem prædicat: ***Prævaluit, & directus eſt cum Angelo***; cùm enim molimentum ejus eſſet adeò glorioſum, quamvìs illud ad deſideratum finem perducere nequiverit, victoriam tamen reportavit, quia illud aggredi eſt auſus. Sed cur, quæro, tanto verborum ambitu periculum antevertere, cùm omnia mihi ſecundiſſimos ſucceſſus augurentur. Solus conatus illud ex motivo tam ſuperno aggrediendi me ab omni periculo tutum reddit. Præceperat quondam DEUS fideli ſervo ſuo Moyſi, iret, & Iſraëlitis verba ſua annuntiaret. Excuſavit ſe Pro-
Exod. 4. v. 10. pheta ab hoc mandato, eloquentiæ inopiam cauſatus: ***Obſecro Domine, non ſum eloquens.*** Idipſum uſuvenit cum Jeremia Propheta, qui ætatis immaturitatem, & ſcientiæ defectum prætexens impo-
Jerem. 1. v. 6. ſitam ſibi ſpartam declinare nitebatur: ***Neſcio loqui, quia puer ego ſum.*** Neutri tamen ſua profuit excuſatio, uterque enim divinô præceptô compulſus eſt, humeros arduo illi operi ſubmittere. Quàm egregiè autem munere ſuo functi fuerint, notiùs eſt, quam ut à me repeti debeat; tanta eſt enim efficacia præcepti Divini, ut ſe ſolo omnem defectum literarum, annorum, & eloquentiæ cumulatiſſimè ſuppleat. Hac itáque tabulâ confiſus, formidabilem cæteroquin hujus Sermonis Oceanum ingredior, ut ejus operâ levidenſem ingenioli mei cymbulam à naufragio præſervem.

Collocationi glorioſiſſimi Corporis mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha, novi Moyſis in lege gratiæ, Apoſtoli Dalmatiæ, & Diocliæ, Doctoris Eminentis inter Doctores, & primi poſt CHRISTUM Redemptoris, quod ex Donatione Illuſtriſſimi, & Venerabilis

lis Capituli Eccleſiæ Vaticanæ, à ſacra Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatione, die ſeptima Februarii præſentis hujus anni milleſimi, ſeptingenteſimi, vigeſimi, ſecundi confirmatâ, mea Diſcalceata Familia Trinitaria cum perpetuæ proprietatis jure obtinuit, conſecrat hodiernam Feſtivitatem hoc auguſtum, ſupremum, & regium Caſtellæ Conſilium; an id autem præſtet in ſignum debitæ gratitudinis, an pro argumento ſui erga hunc Sanctum amoris, an verò pro incremento ejus majoris gloriæ, non habeo exploratum. Mihi itáque delatum fuit munus panegyriſtæ in hac noſtra felicitate publica. Quieſcat affectus, & ſufflaminetur intellectûs operatio ob reverentiam tantæ feſtivitatis. Ego autem dubiis veſtigiis progredi dum incipio, vix animum appuli ad gratitudinis templum confugiendi, quando mágna dolendi, conquerendíque materia, absque ulla tamen ingratitudinis nota, ſeſe mihi obtulit.

Non conqueror autem de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quamvis ejus præſentia devotioni erga ſanctum Patrem meum multùm detractura videatur; cùm enim ejus Majeſtas omnem adorationem ſibi jure vendicet, fieri non poſſe videtur, ut indè meo Patriarchæ major cultus accedat, undè ejus imminutio eſt metuenda. Sed cùm ſciam, quòd Euchariſticus DEUS, tamquàm Redemptor Divinus (qui licèt vivus ſit, hìc tamen ſub ſchemate mortui præſentatur: *Hoc eſt Corpus meum: Recolitur memoria Paſſionis Ejus*) aſſiſtat hodie tamquàm amicus mei Patriarchæ, qui & ipſe quoque Redemptoris officium exercuit, non eſt, cur metuam imminutionem cultus mei S. Patris ex præſentia Auguſtiſſimi Altaris Sacramenti; hoc enim alios cultus non exigit præter illos, qui Collocationi Corporis mei glorioſi Patriarchæ impenduntur.

Nulla mihi etiam querimonia ſubeſt adversùs hunc graviſſimum nobiliſſimorum virorum conſeſſum, quamvìs haud immeritò obtendi poſſet, quòd, cùm beneficia, ùt Octavius ſcribit, magnum pondus in ſe contineant, tam ſingularis favor, quem nobis exhibent, eò tendat, ut ſua mole nos opprimat; ego tamen re penitiùs inſpecta clariſſimè vidi, ampliſſimum hunc procerum cœtum non ob alium finem in hunc locum conveniſſe, quàm ut nos ſua ſpectabili præſentiâ honoraret, non autem obrueret, ut nobis de tanta felicitate congauderet, non autem odioſam aliquam obligationem induceret, licèt non abnuam, aliquos fortaſſis privatam ſuam utilitatem etiam ſpectâſſe, non ignaros maximorum beneficiorum, quæ S. P. N. JOANNES de Matha munifica prorsùs manu in ſuos

cultores erogare conſuevit: aut certè, quia in eo venerantur excellentiſſimum Conſiliarium Summorum Pontificum, Regum, & principum Chriſtianorum, cui jure illud Sapientiæ Oraculum tribui potuiſſet: *Meum eſt Conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia: per me legum conditores juſta decernunt .... & potentes decernunt juſtitiam.* Nullam denique querelam mihi extorquet mea nativa ignorantia, quæ tanto muneri impar audet ad inſtar aquilarum in ſublime evolare; erigit námque animum meum, dum conſidero, alios omnes Oratores, quotquot ad hanc feſtivitatem deprædicandam in ſuggeſtu comparent, eſſe totidem aquilas in ſapientia, & eloquentia: quamvìs igitur volatus meus ſit valdè exiguus futurus, magni tamen ſolatii mihi eſt materia, quòd ob hoc ipſum reliquis eminentem triumphum relinquam, qui pernicibûs ſuorum ingeniorum alis ſuper me ſunt evolaturi. Magìs in hoc propoſito confirmor, dum mecum reputo, ipſum etiam regem Saulem, quamvìs hic propheta non eſſet, prophetico tamen ſpiritu illicò imbutum fuiſſe, quamprimùm ſe agmini Prophetarum conjunxit: fieri proindè etiam poteſt, ut & ego aliqualiter volare incipiam, qui tot aquilis, adeò altè evolantibus, aggregatus fui.

Proverb. 8. v. 14.

Quod ſi autem in his omnibus nulla ſubeſt querimoniæ anſa, de quo itáque conqueror? aut quæ eſt cauſa mei doloris? Dicam, quod ſentio: Hujus doloris mei ſcatebra eſt doctiſſimum, & Reverendiſſimum Capitulum Vaticanum, quod tam generoſa munificentia, & profuſa liberalitate in nos transtulit poſſeſſionem Corporis noſtri glorioſiſſimi Patriarchæ. Quis credat poſſibile, ut tanta largitas querelis locum aliquem relinquere valeat? Nihilominùs tota doloris mei ſeges in hoc venerabili campo enata fuit, quin tamen diſſimulem, immortali nos beneficiô à Reverendiſſimo illo Capitulo obſtrictos fuiſſe, cui ſempiternam deberi gratitudinem omnes ingenuè profitemur. Cæterùm, licèt & ego idipſum prolixè agnoſcam, ringitur tamen animus, & efferveſcit nonnihil contra illud. Vultis cauſam meæ querimoniæ? En illam.

Illuſtriſſimum Capitulum S. Petri gratuita donatione nobis contulit Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. Sed adjecit conditionem, quæ in ſuperficie inſpecta multùm ejus munificentiæ, ac liberalitati derogat; poſtulavit enim unam inſignem Reliquiam de eodem S. Corpore, cujus poſſeſſionem nobis attribuit, quod idem erat ac donum dividere. Hoc autem in perſonis adeò magnis, & generoſis

roſis non videtur eſſe argumentum amoris, ſed avaritiæ, & tenacitatis; fateri námque oportet, donum rei cujusdam integræ, ex quacúnque demùm materia illa conſtet, utputà veſtem, aut quid ſimile, eſſe partum ſingularis amoris, & benevolentiæ; hinc námque cognitum eſt, Joſephum patri ſuo præ cæteris filiis in deliciis fuiſſe, quia ab eo tunicam talarem accepit. Eadem ratione amor Jonathæ erga Davidem eluxit, quando detractam corpori ſuo integram veſtem amico ſuo donavit, undè & dicitur, quòd illum tanquàm propriam animam ſuam dilexerit. Elias, ut diſcipulo ſuo peculiarem, quô in ipſum ferebatur, amorem teſtatum faceret, ei pallium reliquit: imò, ùt doctiſſimus Eraſmus ſcribit, gentilis quidam Imperator, ut oſtenderet, quanto amore Jovem proſequeretur, ejus templo pallium coccineum obtulit. Undè, quòd Venerabile Capitulum Vaticanum nobis hunc pretioſum theſaurum integrè non donaverit, ſignum eſſe videtur parvæ liberalitatis, & exigui amoris. Hæc eſt cauſa mei doloris. Cæterùm re penſiculatiùs diſcuſſa, facilè agnoſco me ſupervacaneo luctu confici, cùm Reverendiſſimum illud Capitulum vix aliter meliùs ſuum erga nos amorem declarare potuiſſet, quàm hoc ipsô donandi modô.

Geneſ. 37. 1. Reg. 18. v. 4. 4. Reg. 2. v. 13. Theat. p. 106.

Ratio hujus ſatis eſt obvia; nam qui alteri rem integrè donat, apertè oſtendit, eam ſibi non admodùm cordi eſſe; multa ſiquidem paſſim donantur; idque non alia de cauſa, niſi quia non æſtimantur. Sed diviſio doni duo in ſe complectitur amoris argumenta; pars enim, quam donans ſibi reſervat, abundè oſtendit, quanti rem donatam faciat, dúmque alteri reſiduam partem largitur, iterùm demonſtrat, quàm ardente amore illum proſequatur, cui portionem rei tam pretioſæ confert. Luculentiùs itáque amoris ſpecimen Venerabile Capitulum præbuit, quando ſibi partem ex hoc ſacro dono reſervavit, quàm ſi illud totum, & integrè meæ S. Religioni dediſſet; nam in parte, quam retinuit, declaravit, quanti hunc S. theſaurum faceret, in parte verò, quam nobis reſignavit, oſtendit, quanto amore nos complectatur. Priſci, ùt ſcribit Lyranus, matrimonium inituri, pacta, quibùs in hoc fœdere ſtabiliendo convenerant, chartæ inſcribebant, quam mox in duas partes diſcerpebant, earúmque alteram ſponſo, alteram verò ſponſæ conſignabant: *Scindebatur charta illa, & dabatur una pars viro, & altera mulieri.* Cùm enim finis matrimonii (in quo fit mutua traditio, & acceptatio corporum) ſit voluntates aureô amoris ceſtô colligare, hoc meliùs præſtari nequit, quàm ſi tabulæ matrimoniales

Lyranus in Tobiam.

les inter duos dividantur : *Scindeba tur charta illa, & dabatur una pars viro &c.* Non ego quidem perfractè abnuo, ſingularis amoris indicium eſſe, rem aliquam interdùm integrè amico donare : arbitror tamen amoris magnitudinem meliùs exprimi, ſi donum inter utrumque, nempe inter dantem, & accipientem, dividatur.

Maximum amoris pignus, quod Incarnatus DEUS ſuis fidelibus reliquit, eſt illud, quod in hoc Auguſtiſſimo Altaris Sacramento adoramus ; In hoc enim, ùt Concilium Tridentinum diſertè teſtatur, *Divitias ſui amoris effudit.* Hæc veritas apud omnes Catholicos eſt receptiſſima, & extra controverſiam poſita. Quærunt tamen Doctores, utrùm CHRISTUS in ultima cœna, quando hoc venerabile Sacramentum inſtituit, non ſolùm diſcipulos, ſed etiam ſemétipſum communicaverit ? Doctor Angelicus affimativè reſpondet, rationémque adducit ſe tanto authore dignam ; ait enim : Quidquid Diviniſſimus Salvator noſter verbis unquam docuit, id ipſe priùs opere complevit, ùt teſtimoniô S. Lucæ Evangeliſtæ locupletiſſimè comprobari poteſt, cujus hæc ſunt verba : *Cæpit JESUS facere, & docere.* Undè etiam voluit priùs ipſe baptizari, quàm alios ad hoc ſacrum regenerationis lavacrum admitteret. Ex quibus S. Doctor hanc concluſionem deducit : *Unde & primò ipſe, corpus ſuum, & ſanguinem ſumpſit, & poſteà diſcipulis ſumendum tradidit :* Voluit enim propria obſervatione id priùs ſancire, quod deindè in Eccleſia ſua vim præcepti habere decrevit.

Trid.

S. Th. 3. p. q. 81. art. 1. in Corpore art. 1.

Ratio iſta, utpote à tam perſpicaci ingenio, & illuſtrato calamo profecta, eſt valdè inſignis : Ego tamen ſi bonâ veniâ Doctoris Angelici fieri poſſet, aliam adderem ; decebat ſiquidem, ut CHRISTUS fragmentum aliquod de pane illo conſecrato pro ſe reſervaret ( quod in corpore, ſub panis illius ſpecie latente, locum habere non poterat ) ac poſtmodùm reſiduum panem inter diſcipulos viritim diſtribueret. Cùm enim hoc Sacramentum ſit perenne memoriale ( ùt illud D. Thomas appellitat ) ejus amoris, in quo Divina Majeſtas nimiam ſuam, quâ erga nos flagrat, charitatem manifeſtare voluit, non potuiſſet nobis clariùs ſuæ dilectionis ſignum oſtendere, quàm pretioſiſſimum hoc amoris pignus dividendo. Non prodiit hæc diviſio ex ſordido, & illiberali affectu, ſed ex immodica vi intenſiſſimi amoris ; multò námque majoris dilectionis indicium eſt panem porrige-

re,

Digitized by Google

re, qui à tam mellitis labris jam præmorſus, & prægustatus fuit. Eadem prorsùs ratione Reverendiſſimum Capitulum Vaticanum nobis diviſum, non autem integrum amoris ſui theſaurum donavit; nam cùm ex ipſa diviſione maxima amoris flamma reluceat, voluit hunc nobilem theſaurum nobiscum partiri, ut magnitudinem ſuæ charitatis faceret teſtatiſſimam, ejúsque munificentiæ major indè gloria accreſceret. Et in hoc conſiſtit magnitudo Donationis.

In illis æternis donationibus (communicationes dicere volebam) Divinarum Perſonarum, in quibus PATER ſe FILIO communicat, & uterque SPIRITUI S. facili negotiô lucem inveniemus, qua præſens aſſertio mea magìs elucidabitur, confirmabitúrque. Largiſſima Communicatio, quæ mente, ac intellectu etiam Divino concipi valet, eſt illa, quam in Divinis Perſonis veneramur, & admiramur. Expendamus nonnihil communicationem PATRIS, qui ſe tantâ affluentiâ, & copiâ FILIO communicat, ut totâ ſuâ Divinâ Omnipotentiâ ſe largiùs, aut effuſiùs communicare non poſſet, cùm nullum ſit attributum, perfectio nulla, nulla denique prærogativa, quæcunque demùm in immenſo illo infinitæ perfectionis pelago invenitur, quam per identitatem non transferret in illud puriſſimum ſpeculum ſuæ Divinæ Eſſentiæ, adeò, ut virtute hujus infinitæ communicationis FILIUS ſit æqualis cum PATRE DEUS. Libet nunc interrogare, an PATER æternus ſuo Unigenito FILIO communicet totum id, quod habet? Negativè reſolvunt Theologi, quia Ei non communicat *Paternitatem*; quâ ſolâ à FILIO diſtinguitur. Verùm hæc non videtur eſſe maxima communicatio, quæ intellectu aliquo concipi poteſt, cùm multò major foret, ſi etiam Paternitas communicaretur? Sed perperàm; etenim Paternitas, quam prima Perſona ſibi reſervat, hunc ſolùm uſum habet, ut ejus operâ diſcernatur à FILIO, & ut Majeſtas primæ Perſonæ hôc vocabulô ſarta, tectáque perſeveret, quando autem id unicè reſervatur, quod perſonæ danti competit, non minuitur, ſed augetur donum. Quamobrem licèt Venerabile Capitulum S. Petri partem aliquam Reliquiarum mei glorioſiſſimi Patriarchæ ſibi retinuerit, ſuum tamen beneficium minimè corrupit, ſed dignitati duntaxat ſuæ, & exiſtimationi conſuluit, ſuúmque donum illuſtriùs effecit, cùm hôc modô donandi Communicationem Divinam certa ratione imitatum fuerit.

Perennet igitur per indeſinentia æternitatis ſæcula gloria Illuſtriſſimi, & Venerabilis Capituli Vaticani: Noſtra certè gratitudo profundiùs inſculpetur æreis famæ laminis, quàm pario illi lapidi,

cujus erectio nobis injuncta fuit, quæ noſtris votis in perpetuum holocauſtum tanti amoris meliùs dedicabuntur, quàm lapis ille, quem Jacob Patriarcha, ab entheo ſuo ſomno expergefactus, in ſignum gratitudinis erexit, & deſuper infusô oleô pro ſempiterna poſterorum memoria conſecravit: *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, votum vovit Domino.* Sola proindè victima nunc deeſſe videtur, ſed hujus partes ego ſuppleo, qui ſicut victima ad ſacrificium progredior, quia ſuperiori ductus impulſu memetipſum ſacrificavi, ut, quod non aſſequitur mei intellectûs imbecillitas, ſuppeditet auxilium Divinæ gratiæ: AVE MARIA.

Geneſ. 28. v. 18.

Ecce ego mitto vos. *Matth. cap. & verſ. jam cit.*

# INTRODUCTIO.

CYnoſura hodierni Evangelii repræſentat regiam quandam miſſionem mei præcelſi Patriarchæ pro doctrina, & univerſali bono totius mundi, in quem finem à DEO electus fuit: *Ecce ego mitto vos.* Inter hæc quatuor verbula totam meam intentionem abripit perſona mittentis. Quis enim eſt ille, qui hanc miſſionem inſtituit? Ipſe DEUS, reſpondet V. Beda: *Ecce ego: Authoritas, & fortitudo eſt DEItatis.* Ipſa Beatiſſima TRINITAS, quæ meum S. P. JOANNEM de Matha eligit pro Patre, ac Patriarcha ſuæ propriæ Religionis, pro Doctore, ac Magiſtro ſapientiſſimo, & denique pro Redemptore captivorum zeloſiſſimo, eum etiam tot gratiis, & dotibûs ornatum in mundum miſit. In altiſſimo myſterio DEI Trini, & Unius, in quo potentia attribuitur PATRI, ſapientia FILIO, & amor SPIRITUI SANCTO, mittere, ſive miſſio activa competit PATRI, mitti verò, ſive miſſio paſſiva FILIO, & SPIRITUI SANCTO, ùt S. Thomas cum tota Theologorum ſchola docet. Utraque Perſona venit in mundum pro maximo bono totius Univerſi; FILIUS quidem tamquàm Redemptor Divinus, & SPIRITUS SANCTUS tamquàm benigniſſimus Magiſter Collegii Apoſtolici: *Ille vos docebit omnia.* Cùm itaque PATER, & FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS meum glorioſum Patriarcham in hunc mundum miſerit: *Ecce ego, &c.* Evadit conſectaneum, ejus miſſionem potentiâ, ſapientiâ, & amore aſſociatam fuiſſe, quæ ſanè

V. Beda in Matth. apud Bernad.

Digitized by Google

ſanè dotes mirificè refulſerunt in officiis Patriarchæ, Magiſtri, & Redemptoris, quibùs in ſua vita mortali perfunctus eſt. Scopus hodiernæ feſtivitatis reducitur ad regiam quandam miſſionem, & proprietatem Sancti Corporis hujus illuſtris Patriarchæ pro mea Diſcalceata Familia Trinitaria, atque adeò etiam pro hac urbe regia, & pro tota Hiſpania, quæ nobis felicitas obtigit per gratioſam donationem, ab Illuſtriſſimo Capitulo Vaticano factam, & à S. Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, confirmatam. In hac itáque tam inſigni miſſione invenio totam animam hodierni Evangelii: *Ecce ego mitto vos;* hac enim datus fuit in proprietatem Hiſpaniæ, huic urbi regiæ, & meæ Diſcalceatæ Familiæ: Hiſpaniæ, ut ejus potentiam augeret: huic urbi, ut eam ſua defenſione muniret: meæ denique Excalceatæ Religioni, ut ejus favore latiùs, & glorioſiùs effloreſceret. His verbis detexi ideam hodiernæ Concionis meæ, in qua Hiſpania, Madritum, & mea Diſcalceata Familia pacifico certamine inter ſe contendent, cuinam illorum poſſeſſio tanti theſauri potiſſimùm debeatur. Erit autem hæc velitatio prorsùs incruenta, in qua, licèt nulla ex his tribus partibus victura ſit, omnes tamen palmam reportabunt. Nunc ad rem.

# PUNCTUM I.

## *Argumenta in favorem Hiſpaniæ.*

PRimus, qui in arenam deſcendit pro evincenda, ſibique aſſerenda poſſeſſione Corporis mei præcelſi Patriarchæ, tamquàm novi ſui protectoris, eſt Hiſpania. Hoc glorioſum Regnum à meo S. Patre, cùm etiamnum in vivis ſupereſſet, plurimis auctum fuit beneficiis; ille enim, inter quatuor Reges, Caſtellæ nimirùm, Legionis, Navarræ, & Arragoniæ, qui pertinaci animorum diſſenſione, ob controverſias de Regnorum confiniis exortas inter ſe diſſidebant, angelum pacis egit, eóſque in Civitate Alfarenſi ſtabili amicitiæ fœdere univit. Vates quoque fuit ingentis illius felicitatis, quæ Hiſpaniæ accrevit per fauſtam nativitatem Sancti, & Catholici Regis Ferdinandi III., qui hoc Regnum pluribùs trophæis, & triumphis ſpiritualibùs coronavit, quam temporalibùs victoriis, quas invicta ſua manu à Saracenis reportavit, cujus ille ortum prophetico ſpiri-

N. Fr. Melchior à SPIRITU S. in vita S. P. N. JOANNIS de Matha.

tu longè anteà prædixit. Præterea per totum Regnum paſſim diverſa excitavit cœnobia, & hoſpitalia pro maximo Eccleſiæ bono, & fidelium levamine: Redemit innumerabiles propemodùm captivos Chriſtianos ex triſtiſſima ſervitute, quâ inter Mauros oppreſſi detinebantur, tot denique magnaliis in Hiſpania inclaruit, ut Eccleſia eum tali elogiô honoraverit: *In Hiſpaniam profectus . . . monaſteria ædificavit, hoſpitalia erexit, magnóque animarum lucrô plures captivos redemit . . . Regúmque, Principum, aliorúmque fidelium animos ad captivorum, & pauperum commiſerationem commovit.* Cùm itáque Hiſpania tot gratias, & favores à meo S. Patriarcha, vivente perceperit, poſſeſſionem quoque ejus exanimi Corporis ſibi vendicat, ut ejus patrociniò largiùs, & uberiùs perfruatur, ejúsque potentiâ contra omnes novercantis fortunæ aſſultus protegatur. Nec dubitat ſibi ſoli hunc pretioſum theſaurum peculiariter deberi, cui à SSS. TRINITATE peculiariter miſſus fuiſſe videtur.

Eccleſia in Offic. S. P. N. JOANNIS de Matha. Lect. 6.

Rationes humanæ S. Scripturæ Textibûs optimè fulciuntur. Diximus ſuperiùs, meum S. Patriarcham à DEO Trino, & Uno in hunc mundum miſſum fuiſſe tamquàm Redemptorem potentem, utpote quem DEUS PATER ad hoc munus ſuâ potentiâ auctoravit. Supereſt, ut inveſtigemus, in quonam hæc ſuperna potentia conſiſtat, ut cognoſcamus, quomodò Hiſpania ex poſſeſſione hujus S. Corporis ſuam potentiam, & felicitatem eruere poſſit. Prima Perſona SSS. TRINITATIS eſt DEUS PATER, cui attribuitur potentia, non quòd majorem, aut ab aliis Perſonis diſtinctam potentiam obtineat, ſed quòd ejus potentia tunc potiſſimùm eluceſcat, plenóque fulgore niteat, quando eam totam communicat. Hanc veritatem ipſe quoque Pharao agnovit in mediis tenebris cæcitatis gentilis. Conceſſerat ille Joſepho, primario ſuo Miniſtro, decretoriam facultatem omnia Regni negotia pro arbitratu ſuo diſponendi, quibûs præmiſsis hæc verba ſubjunxit: *Ego ſum Pharao, absque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem.* Ego ſum Pharao, ſupremus Rex, & Dominus Ægypti, qui licèt talis ſim, totam tamen meam potentiam tibi confero. Norunt autem omnes literati, hoc nomen *Pharao* in Ægypto inſtitutum fuiſſe ad ſupremam dignitatem exprimendam, ſicut nomen *Cæſaris* in Imperio Romano. Ut proindè verba hæc: *Ego ſum Pharao* idem

Geneſ. 41. v. 44.

Digitized by Google

idem ſonuerint, ac: Ego ſum ſupremus, abſolutus, & independens Rex. Rem miram! Pharao tunc gloriatus eſt ſe regem eſſe, quando totam potentiam ſuam in alterum tranſtulit! Ego autem putâſſem, eum tunc deſiiſſe regem eſſe, quandoquidem ſibi ex toto regno ſuo nihil aliud, quàm ſolium reſervavit: *Uno tantùm regni ſoliô te præcedam.* Quibûs ritè perpenſis conficitur, Pharaonem poſt traditam Joſepho poteſtatem ſuam, magis ſcenicum, & perſonatum Regem fuiſſe, quàm verum. Verſ. 40.

Cur itáque ſe tunc regem eſſe jactavit? Forſitan imitatus eſt vaniſſimam multorum regum conſuetudinem, qui jure nullo umbraticos variorum regnorum titulos conglobant, in quibus illi tamen nè lapillum quidem poſſident? Aut quia putavit, ùt alii faciunt, ſceptrum ſibi impoſitum fuiſſe, ut tantò ſecuriùs otio indulgere, deliciiſque vacare queat? Multi ſanè hanc inſaníam inſaniunt. Aſt in Pharaone hæc poteſtatis traditio non fuit inſania, ſed myſterium: Primò, quia dum potentia committitur viro adeò ſapienti, & perito, qualis Joſeph cluebat, ea non minuitur, ſed augetur; potentia ſiquidem, quam ſapientia non gubernat, non eſt potentia, ſed rabies, non eſt magnificentia, ſed crudelitas. Jure itáque Pharao tunc gloriatus eſt, ſe eſſe potentem, quia regni gubernacula tam ſapienti viro commiſit. Aptiorem tamen, & meo propoſito magìs conformem reſponſionem in ipſo dubio detexi. Ideò Pharao ſe regem prædicavit, quia Joſepho totam ſuam potentiam tradidit: *Ego ſum Pharao*, hæc enim potentia Joſepho commiſſa fuit pro publico totius Regni bono: nunquam autem potentia clariùs relucet, quàm ſi tota in alteram perſonam transfertur, quæ illam pro publico totius Regni bono impendere novit. Quando itáque æternus PATER ſuam potentiam meo S. Patriarchæ communicavit pro bono totius mundi, eam multò illuſtriorem reddidit, ídque ſinè præjudicio ſuæ Divinæ magnificentiæ; quia illam contulit perſonæ ſapientiſſimæ, cujus intellectum ſuperni luminis ſplendore illuſtraverat: Quando autem potentia communicatur perſonæ adeò ſapienti, & publicæ utilitati ſemper intentæ, ea non amittitur, ſed multis etiam incrementis augetur.

Nunc ad rem noſtram. Si meus glorioſus Patriarcha, dum in ſua vita mortali à SSS. TRINITATE in Hiſpaniam miſſus fuit, huic regno tantos favores præſtitit, ùt ſuperiùs breviter perſtrinximus, quid eum nunc facturum putamús, qui ab eodem DEO Tri-

no nobis nunc in proprietatem miſſus fuit, corpore quidem mortuus, vivus tamen in patrocinio: *Ecce ego mitto vos?* Quis dubitet, Hiſpaniæ potentiam, ejus interceſſione ſuffultam non majora quotidie augmenta ſenſuram? Sed urgeamus hoc argumentum, utpote rei propoſitæ valdè idoneum. Corpus mei Patriarchæ Hiſpaniæ in proprietatem dare, ut ejus patrociniò perfruatur, eſt totam plenitudinem ejus potentiæ, & excellentiæ ei tradere. Hoc itàque Regnum gaudet nunc poſſeſſione tam illuſtris Patroni, qui in Hiſpaniam venit, ut eam ſuâ præſentiâ conſecraret, eique aſſiſteret tamquàm princeps ſuæ provinciæ, & tamquàm ſol ſuæ ſphæræ, ut ejus felicitati novas ſemper proſperitates innecteret. Atque in hunc finem meus S. Pater Hiſpaniam, ceu thronum ſuum occupavit, ut ex eo ſua beneficia largè diffunderet.

Vidit Joannes in ſua Apocalypſi myſticum librum, qui dexteram partem Divini throni occupavit: *In dextera ſedentis.* Cùm autem impendiò doleret, neminem eſſe, qui hunc librum reſerare poſſet (erat enim multis ſigillis munitus) venerandus quidam ſenecio eùm eſt conſolatus, ſpondens, futurum eſſe, ut Leo de Tribu Juda hoc clauſum volumen aperiat: *Ecce vicit Leo . . . aperire librum.* Verùm inſtante tempore, quô liber reſerandus erat, vidit perſpicaciſſimus Evangeliſta ſuis aquilinis oculis, eum, qui librum aperuit, non fuiſſe leonem, ſed agnum: *Et vidit, quòd aperuiſſet agnus.* Quodſi autem apertura hujus libri CHRISTO tanquàm generoſo leoni competebat, cur hoc fecit agnus adeò imbecillis, ut mortuus videretur? Ideò nimirùm, quia liber ille verſabatur in dextera parte throni Divini: ad hanc verò apertionem nemo pervenire poterat, niſi qui ad dexteram illius majeſtuoſi throni eluctatus fuiſſet, quò ille ſolus pertingere poteſt, qui pro bono mundi in ſpiritu mori novit. Leo non ſolùm vivus erat, ſed etiam victorioſus: *Vicit Leo.* Agnus autem mortui ſchema præſeferebat: *Agnus, qui occiſus eſt.* Effecit autem ùt mortuus, quod non eſt conſecutus, ùt vivus; Vivacitas enim, & generoſus animus vires quidem ſuggerunt ad aliquid tentandum, ſed mors ſola ad bravium pervenit, & tentatum negotium abſolvit. Plùs: In illo libro continebantur myſteria Redemptionis noſtræ, & beneficia, quæ mundo univerſo poſt glorioſam mortem illius Divini Agni collata fuerant, ùt ex ipſo Textu perſpicuè colligitur: *Redemiſti nos DEO in ſanguine tuo.* Sigilla ape-

Apocal. 5. v. 1.

Verſ. 5.

Cap. 6, v. 1.

aperire erat beneficia, in illo libro promiſſa, mundo largiri: Neceſſarium proindè erat, ut Agnus priùs moreretur, quàm ſigilla reſeraret; mundi námque felicitas aliter ſtabiliri non poterat, quàm Ejus ſanguine, ac morte pretioſa.

Notandum eſt autem, quòd S. Joannes Diviniſſimum Redemptorem noſtrum duabûs, diversisque faciebûs in cœlo perſonatum viderit, prima referebat formam leonis, qui ſymbolum eſt fortitudinis, & potentiæ: Altera exhibebat figuram Agni, quod animal eſt hieroglyphicum manſuetudinis. Tanquàm leoni ei fauſta pæana, & celeusmata acclamata fuerunt: *Vicit Leo*, tanquàm Agno plauſus cantatus fuit: *Dignus eſt Agnus.* Sed ſi Leo ſua generoſitate triumphavit, cur Agni manſuetudo celebratur? Hic certè ſibi epinicium vendicare videtur, qui in ancipitem certaminis arenam non deſcendit! Nemo id ſibi perſuadeat; grande ſiquidem erat myſterium, quod prima fronte inſpectum incuria eſſe videtur. Unus, idémque erat, tam qui vicerat, quàm qui triumphali canticô honorabatur: tota verò diſcriminis ratio conſiſtebat non in diverſitate perſonarum, ſed repræſentationum; ille enim, qui ùt Leo vivus victoriam reportavit: *Vicit*, ùt agnus mortuus mundum ſexcentis felicitatibûs cumulavit: *Agnus, qui occiſus eſt . . . . Redemiſti nos:* Cùm autem hoc ſecundum ſit multò glorioſius primô, Agno mortuo plauſus concinuerunt, & Leoni victori triumphum detulerunt; etenim quamvis ſub utroque ſchemate idem eſſet; plùs tamen putârunt ei deberi, qui moriendo vicit, quàm qui pugnando triumphavit. Miſerat quondam Divina Majeſtas meum S. Patriarcham Joannem de Matha in Hiſpaniam, cùm vitalem adhuc ſpiritum reciprocaret, ut tanquàm Leo potens eam propugnaret, ſuiſque favoribûs ditaret, nunc autem Eum nobis miſit tanquàm agnum defunctum. In prima miſſione licèt victrice manu feliciter triumphaverit, ad capeſſendum tamen throni faſtigium non pervenerat, quia vivus etiamnùm erat, aſt poſtquàm ceu Agnus quidam cœleſtis beata morte ad ſuperos tranſiviſſet, tunc demùm placuit Divinæ Providentiæ eum ad dexteram partem throni Hiſpanici evehere, ut aperiret librum, qui inter reliqua beneficia mundi prolixa ſerie continebat felicitates Regni Hiſpanici, quatenùs obtenta poſſeſſione in dextera parte hujus throni hoc glorioſum regnum laureis, & triumphis cumularet, eique proptereà lætiſſima pæana accinerentur: *Dignus eſt Agnus.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi autem Hiſpania tot favores conſecuta fuit à meo S. Patriarcha vivente, quantis non victoriis, & beneficiis coronabitur nunc, dum S. ejus Corpus proprietarii jure poſſidet? Quis ambigat, eam quotidianis proſperitatibûs auctum iri, quæ ſpiritu, & virtute ejus glorioſi ſepulchri animatur? Hoc ſanè privilegium debetur ejus potentiæ pro noſtra fortuna, & felicitate. Famigeratiſſimus ille Eliſeus Propheta plura patravit prodigia in vita ſua, quàm poſt mortem. Memorabile tamen diſcrimen interceſſit in modo ea patrandi; in carne ſiquidem conſtitutus, multa quidem operatus eſt miracula, ſed non ſinè magno ſuo interdum labore. Eliâ in cœlum translatô, cùm ad Jordanem regreſſus Magiſtri ſui palliò ruentium aquarum impetum ſufflaminare, ſibique per medium fluminis alveum parùm tritam viam aperire vellet, id efficere non potuit, donec ductîs ex imo cordis ſuſpiriis ad DEUM clamâſſet: *Ubi eſt*
4. Reg. 2. v. 14. *DEUS Eliæ etiam nunc.* Reſuſcitaturus Sunamitidis filium, opus habuit laborioſo itinere ſe fatigare, domum ingredi, membráque
4. Reg. 4. v. 34. ſui corporis membris defuncti juvenis admovere. Talibûs difficultatibûs conflictatus eſt Eliſeus, quando miracula in vita ſua operabatur. Sed quid? Forſitan etiam poſt mortem ſuam ſimiles labores exantlare debuit? Nequaquàm; nôrunt enim omnes, quanta celeritate mortuus ille ad vitam redierit, qui, in ejus ſepulchrum
4. Reg. 13. v. 21. conjectus, felicitatem habuit ipſius oſſa tangendi: *Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.*

Bone DEUS! undè orta eſt tanta facilitas in reſuſcitatione iſtius hominis, & undè tanta difficultas in revocanda vita illius pueri? Hìc ſolus oſſium contactus abundè ſufficit, ibi tantus Propheta toto corpore cum morte luctari cogitur! Ità diſpoſuit Altiſſimus DEUS, ut ſuus Propheta illuſtrior redderetur. Equidem Eliſeo tantum honorem non peperit, quòd vivus mortem domuerit; tunc enim copioſiſſimo armorum apparatu inſtructus fuit, utpote qui vitam in ſua parte habuit, ſed quòd hoc comite deſtitutus, vitam tamen defuncto reſtituere potuerit, hoc demùm eſt prodigium admirabile! Ad eundem planè modum meo S. Patriarchæ non eſt adeò honorificum, quòd in vita ſua Hiſpaniam gratiis, & favoribûs inundaverit, quantùm, quòd ſuis etiam lipſanis ejus victorias augeat, proſperitatem provehat, & felicitatem multiplicet, ut diſcat Hiſpania univerſa, meum S. Patriarcham ejus florem, & gloriam magis conſervaturum, amplificaturúmque poſt mortem ſuam,

quam

quam in vita facere conſueverat; nam ex attactu, & veneratione ejus Reliquiarum talia pullulare videbit prodigia, quæ potentiſſimum ejus teſtabuntur patrocinium, ſimúlque debitam gratitudinem à nobis expoſcent.

O ter felix, fortunatáque Hiſpania; quamvìs enim ſemper victrice manu adſitas, diſſitáſque provincias pervagata fueris, veteréſque victorias novis itentidem trophæis cumulaveris, nunc tamen multò glorioſiùs efflorefces, dum in corpore tam illuſtris Patriarchæ novum patronum, & hyperaſpiſtam tuæ potentiæ obtines. Ad me itáque, ait Hiſpánia, poſſeſſio hujus S. Corporis peculiariter pertinet, quia mihi miſſum fuit pro fulcro, & incremento meæ potentiæ: *Ecce ego mitto vos . . . Authoritas, & fortitudo Patris.* Hæc ſunt argumenta, quæ ratione potentiæ pro favore Hiſpaniæ militant, ut in hoc conflictu laurum reportet. Audiamus nunc, quid Urbs Madritenſis pro ſe alleget.

# PUNCTUM II.

## *Argumenta in favorem Urbis Madritenſis.*

PRodit nunc in medium civitas Madritenſis, ſibíque præ cæteris ſuis competitoribus poſſeſſionem hujus S. Corporis deberi aſſeverat, ſanctúmque hunc ſibi ſpecialiter pro ſuo Patrono miſſum fuiſſe affirmat ex titulo ſapientiæ, quæ eſt ſecundum attributum, quô eum Beatiſſima TRINITAS in vita ſua exornavit, dum eum pro Redemptore captivorum in hunc mundum miſit. Ex hoc itáque titulo, miſſio mei S. Patriarchæ conſiderata, proprium fuit opus DEI Filii: *Ecce ego mitto vos.* Huic enim Divinæ Perſonæ peculiariter prædicatum ſapientiæ tribuitur; nam ùt Phœnix ingeniorum S. Auguſtinus loquitur: *Filius Sapientia Patris.* Non autem iſtud nunc ago, ut fuſo ſermone depingam, qualiter hæc Divina Perſona ſe peculiariter pro bono totius humani generis impenderit; hæc enim, ut mundi redemptionem perficeret, non eſt dedignata rude ſagulum noſtræ carnis induere, ut homini lapſo manum porrigeret. Equidem ei difficile non fuiſſet, illum alia ratione à tam miſerabili caſu, & ruina erigere, ſed noluit, ut homo aliter ad ſuperiora aſcenderet, niſi priùs Verbum Divinum ad hæc inferiora deſcenderet. Tanta inclinatione hæc Divina Perſona in noſtrum bonum fertur, ut cùm



Digitized by Google

Sacrarium Paterni pectoris ſit immutabile, & invariabile domicilium ejus DEItatis, dicere non dubitaverit, ſe indè pro noſtra ſalute egreſſam fuiſſe: *Exivi à PATRE, & veni in mundum;* tantus eſt amor ejus erga genus humanum, ut, licèt ei non minùs impoſſibile fuerit, à PATRE diſcedere, quàm ſemétipſam relinquere, ſimili tamen verborum formulâ uti voluerit, quatenùs homines intelligerent, ſe amoris magnitudine abſorptam à ſemetipſa propemodùm exiviſſe: *Exivi à PATRE.*

Joann. 16. v. 28.

Tanta denique propenſione Verbum Divinum humanæ ſaluti ſemper intentum fuit, ut licèt in præjudicium ejus DEItatis cedere videretur aſſumptio mortalis corporis, eam tamen adeò non ſubterfugerit, ut illam etiam pro maxima ſua gloria reputaverit. Aquila Evangeliſtarum entheos ſuos oculos in æternam generationem Verbi Divini defigens non priùs ei totam gloriæ plenitudinem adſcripſit, quàm illud humana carne veſtitum conſpexiſſet; tunc demùm in hæc verba prorupit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à PATRE.* Hic binis vicibûs gloriæ nomen repetiit, quam duplicavit ardentiſſimum deſiderium humano generi ſuccurrendi. Mortuus eſt meus glorioſiſſimus Patriarcha, & ſapientiſſimus Redemptor Romæ, ibidémque ſepulchro illatus: tanta nihilominùs erat ejus inclinatio erga hanc aulam regiam, ut Mauſolæum ſuum Romanum, in quo tot annis requieverat, tandem reliquerit: *Exivi,* nec usquam alibi morari voluerit, quàm in hac metropoli maximi Monarchæ Catholici: *Et veni in hunc mundum.* Ut non ſolùm Madritum multiplicia beneficia ex ejus præſentia conſequeretur, ſed & ipſe quoque meus ſapientiſſimus Pater, & Redemptor hac cœleſti miſſione duplicatam gloriam adipiſceretur. Ad me itáque peculiari modô (ait hæc regia Civitas) pertinet poſſeſſio tam pretioſi theſauri, ſive Corporis tam ſapientis Redemptoris, quia cœlum id mihi miſit, ut ejus ſuperno lumine illuſtrarer.

Joann. 1. v. 14.

Auget momentum hujus rationis, quòd Madritum hunc theſaurum intra terminos ſuæ jurisdictionis aſſervet, quo ſanè nomine ex ſuffragio omnium legum ejus poſſeſſionem ſibi vendicat. In cujus probationem non libet quidem humanarum legum decreta proferre, non poſſum tamen à me impetrare, quin ſaltèm teſtimonium aliquod ex lege Divina adducam. Magnus ille Polemarchus, & Redemptor gentis hebrææ Moyſes, ad extrema deductus, cùm à DEO ad capeſſendum meritorum ſuorum bravium evocaretur, prius-



Digitized by Google

quàm ultimum efflaret anhelitum, duodecim tribubus Iſraël ſingillatim benedixit. Ventum eſt ad tribum Gad, & Moyſes in hæc verba linguam reſolvit: *Benedictus in latitudine Gad . . . Quaſi leo requieſcit, cæpitque brachium, & verticem. Et vidit principatum ſuum, quia in parte ſua Doctor eſſet repoſitus. Qui fuit cum principibus populi, & fecit juſtitias Domini, & judicium ſuum cum Iſraël.* Quaſi diceret: Tu eris caput totius Imperii. Memorabilis, neque minùs mirabilis Benedictio! Nónne ad Judam, tamquàm primogenitum Jacobi ſceptrum, & corona regni Iſraëlitici ſpectabat? Non licet ambigere. Cur igitur Gad tam ſingulari benedictione ornatus fuit? Inſpiciamus profundiùs Textum, & ratio ultrò oculos incurret: *Quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* Mortuus eſt Moyſes in monte Nebo, & tumulatus intra terminos, qui Tribui Gad erant ſubjecti, nempe in Phasgà, ùt ex S. Scriptura conſtat: Tantæ autem res eſt gloriæ ac felicitatis, intra limites ſuæ jurisdictionis aſſervare corpus tam magni Redemptoris, Doctoris, & Magiſtri, qualis Moyſes erat, ut hæc ſola prærogativa ſufficiat ad fundandum principatum ſuper alias tribus, quas Moyſes gubernaverat: *Vidit Principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.*

Deute. 33. v. 20. & 21.

Deuter. 34.

Literalis ſenſus hujus Textus adeò præſenti materiæ congruit, ut ſupervacaneo prorsùs labore deſudarem, ſi ejus applicationi inhærere vellem. Hæc regia Civitas, dum intra terminos ſuos ſacrum Corpus mei glorioſi Patriarchæ aſſervat, apud ſe repoſitum habet novum quendam Moyſem, Doctorem, & Redemptorem in lege gratiæ, qui Regibus, Principibus, & Catholicis Hiſpaniæ populis multeſimos favores præſtitit: *Quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* Exenteremus nunc pauliſper hæc duo verbula: *Doctor*, & *Repoſitus.* Primum pertinet ad declarandam ejus ſapientiam: ſecundum reſpicit multiplices ſtationes; quas in diverſis locis ſortitus eſt; primò ſiquidem S. Corpus ejus Romæ in magnifico Mauſolæo reconditum fuit, quod ei magnus ille Pontifex Innocentius III. erexit: Indè verò ſubtractum, & ad hanc auguſtam civitatem translatum nonnihil in Nunciatura ſubſtitit, ex qua deindè in hanc religioſam domum commigravit: *Qui fuit cum principibus populi &c.* Quibùs verbis primus adventus hujus ſapientiſſimi Redemptoris ad hanc felicem Monarchiam deſignatur. Jure itàque meritiſſimo hæc urbs co-



Digitized by Google

ronata prætendit peculiarem poſſeſſionem rei adeò pretioſæ, quam SSS. TRINITAS ei pro majori ſplendore, & gloria miſit; ex ejus namque poſſeſſione ſibi haud vanè pollicetur, fore, ut caput ſuper reliquos Hiſpaniæ populos extollat, & vel ex hoc ſolo titulo ſingularem prærogativam præ reliquis hujus latæ, & diffuſæ Monarchiæ civitatibus obtineat; nam, ùt acutè obſervavit Oleaſter, in allegatum Textum commentans, multò major eſt felicitas, & gloria eorum, qui corpus alicujus Sancti penès ſe retinent, quàm illorum, qui ei venerationis quidem tributum exhibent, ſed ejus poſſeſſione carent: *Arbitrantur homines nihil referre apud ſe ſanctum habere patronum: quod hìc magnus oſtenditur eſſe error*; Falluntur enim verò, qui hac erronea opinatione ſibi imponunt; cùm S. Scriptura haud obſcurè in hoc loco innuat, quanti honoris, & utilitatis res ſit corpus alicujus Sancti poſſidere. Aliæ Tribus venerabantur reliquias Moyſis, quas non poſſidebant: Aſt Tribus Gad eas non ſolùm venerabatur, ſed etiam felici ſorte poſſidebat. Cùm verò ex earum poſſeſſione ei tanta gloria accreverit, ut ſibi principatum inter cæteras vendicaverit, evadit conſectaneum, ipſam quoque urbem Madritenſem, quæ Reliquias mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha in ſinu ſuo fovet, principem locum inter reliquas Hiſpaniæ civitates conſecuturam: *Vidit Principatum ſuum, quòd in ſua parte Doctor eſſet repoſitus.*

Oleaſter in Pentateuchum hic.

Magna ſanè res eſt, ſemper ante oculos habere ſanctum quendam Patronum; etenim aſſiduo ejus aſpectu ſuccenditur affectus, cor emollitur, pietas dulciùs paſcitur, ſuſpiria feliciùs in cœlum penetrant, ac denique preces efficaciùs funduntur; cùm enim negotium ſupplicantis quaſi de ore ad os tranſigi queat, citiùs, & ſecuriùs impetratur, quod petitur. Totam hanc felicitatem Madritum per hanc myſticam ceſſionem, donationem, & proprietatem hodierna die obtinuit, qua poſſeſſionem tam Divini pignoris, ſapientiſſimi nimirùm cujuſdam Doctoris, & Redemptoris conſecutum fuit. Mihi proindè, ait, hæc ſingularis gloria, & palma in hoc certamine debetur. Modò hæc civitas non minùs auguſta, quàm glorioſa dicere poterit, quòd ſe Beatiſſima TRINITAS oculis ſpecialis clementiæ aſpexerit, utpote quæ ſibi tam inſignem Redemptorem, & ſapientem Patriarcham transmiſit, cujus interceſſione ab omni contagio, & afflictione præſervabitur.

Cla-

Digitized by Google

Clariſſimam hujus veritatis probationem offert mihi Arca Noë. Præceperat DEUS Noë, ut quantocyùs cum tota ſua familia arcam ingrederetur, quam feſtinato labore fabricari juſſerat? *Ingredieris Arcam tu, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* Gen. 6. v. 18. Vide Noë! ſi imminentis diluvii fluctus, quibûs de toto humano genere pœnas ſumere conſtitui, evadere volueris, da operam, ut tu, & conjuga tua, filiique tui, & maritæ filiorum tuorum tecum in Arcam intrent. Aureum illud Chriſtianæ eloquentiæ flumen, S. Joannes Chryſoſtomus in exegeſi horum verborum, ſingulariter ponderat illud verbulum *Tecum.* Si DEUS diſertè jam ad Noë dixit: *Ingredieris Arcam tu,* quid opus erat, ut in contextu ſermonis adderet verbulum *Tecum,* quod prorsùs redundare videtur. Sed non redundat, quia datâ operâ appoſitum fuit, ad deſignandum grande quoddam myſterium. Mandaverat Omnipotens DEUS, ut Noë Arcam ſubiret, & adjunxit, ut reliqui cum ipſo eandem Arcam ingrederentur; nam cùm ſolus Noë Patriarcha juſtus inventus ſit, oportebat, ut reliquis in memoriam revocaretur, ſe non aliter ab univerſalis diluvii flagello liberatum iri, niſi lateri ejus ſedulò adhæreant, atque ab ejus ſocietate non recedant. His præmiſsis ſanctus Doctor ſuam ſententiam ſequenti epiphonemate concludit: *Tecum, in honorem tanti juſti, ut propter eum ſalventur & alii.* S. Chryſoſtom. homil. 24. Quòd igitur Arca Reliquiarum mei S. Patriarchæ, viri adeò docti, ſancti, & juſti Madritum ingreſſa ſit, id procul dubio alia de cauſa factum non fuit, quàm ut intelligerent omnes incolæ, & cives, ſe ab omnibus malorum, & afflictionum diluviis immunes fore, ſi ſocietati hujus S. Arcæ fideliter adhæreant: *Tecum in honorem tanti juſti.*

Non ſolùm autem à malis, & ingruentibus afflictionibus liberabitur, ſed majores etiam felicitates conſequetur, quàm Alexandria olim propter cineres Aſii Philoſophi obtinuit. Audiatur Plutarchus: Auguſtus Imperator, poſtquàm victorioſo Marte omnem latè Aſiam pervagatus fuiſſet, copias tandem Alexandriæ admovit, eámque arctiſſima obſidione circumcinxit. Ergò cùm res eò jam eſſet devoluta, ut victor miles per proſtrata, & diruta mœnia urbem irrumperet, omniáque ferrô, & flammâ popularetur, Auguſto ſubitò in memoriam venit Aſius Philoſophus, in ea urbe ſepultus, cujus recordatio tanti apud eum ponderis fuit, ut exclamaret: Heus milites! recondite gladios. Sinite hanc urbem illæſam. Nunc enim mi-

mihi in mentem venit Aſius Philoſophus, qui in hac civitate vixit, & ſepultus fuit, cujus vel ſolum nomen æſtum indignationis meæ extinxit; nefas enim putarem, duriùs in illam urbem animadvertere, quæ patria fuit tanti viri. Malo victus videri, quàm offenſis cineribûs hujus Philoſophi triumphare. Non metuo frameas, & machæras viventium, ſed revereor buſta Philoſophi mortui. O Alexandria! unicus Philoſophus mortuus te defendit, quod omnes tui milites viventes præſtare non poſſent. Vive jam Alexandria in pace, & gratias age huic ſapienti defuncto, cujus ſepulchrum tibi ſalutem, & incolumitatem peperit: *O cineres plùs, quàm milites! ô feretrum plùs, quàm ferrum! O urnam plùs, quàm arcem! O cadaver plus, quàm aggerem! O clypeum & viva, & mortua in læva formidandum!* O Auguſta civitas Madritenſis, longéque felicior Alexandriâ! ſed linguæ meæ ſufflamen injicio, nè applicatione rei tam manifeſtæ ſapientiſſimis Auditoribus meis moleſtus evadam, eorúmque patientiâ abutar. Hæc ſunt fundamenta, quæ pro evincenda poſſeſſione S. Corporis urbs Madritenſis allegat. Audiamus nunc, quibûs rationibûs mea Excalceata Familia Trinitaria jus ſuum tueatur; hæc enim procul dubio feſſa jam erit, diuturnæ expectationis tædiô preſſa.

Plutarchus in vitis.

# PUNCTUM III.

## *Argumenta in favorem meæ Excalceatæ Religionis.*

TAndem quoque mea ſacra, & Diſcalceata Familia Trinitaria in arenam deſcendit, quæ non ſinè myſterio in hoc amoris certamine tertium ſibi locum reſervavit, quia tertia Perſona in myſterio DEI Trini, & Unius, eſt SPIRITUS S., cui Theologi attributum amoris aſſignant, eò, quòd hæc Divina Perſona ſit amor Notionalis (ùt ſcholaſtici loquuntur) in Divinis. Sed ut nunc oculos ad meam Religionem convertamus, hæc ſibi præ aliis ſuis antagoniſtis poſſeſſionem hujus S. Corporis vendicat; partim, quia eſt Corpus proprii Patris, & Redemptoris, partim, ut alias rationes impræſentiàrum miſſas faciamus, quia illi *in Recto* collatus fuit ſacer hicce theſaurus. Audiamus Titulum Decreti, qui omni ambiguitati viam intercludit, & ità ſonat: *Romana Donatio Corporis S. JOANNIS de Matha Fundatoris Ordinis SSS. TRINITATIS, facta*

Ex Decret. S.Congreg.



Digitized by Google

*facta à Capitulo Vaticano in favorem Fratrum Excalceatorum ejusdem Ordinis.* Ex quo infertur, victoriam in hoc certamine meæ Diſcalceatæ Familiæ Trinitariæ deberi, pro qua ipſa Bulla Pontificia militat. Non abnuo tamen hanc Donationem indirectè, ac *in obliquo* factam fuiſſe pro tota Hiſpania & præſertim pro hac urbe Madritenſi; cùm in hoc eodem Decreto proprietas S. Corporis conferatur huic Conventui Madritenſi: *Ut perpetuò colatur in Conventu Madritenſi ejusdem Ordinis*, & in eo huic regiæ civitati, totique Hiſpaniæ: Nemo tamen in controverſiam revocaverit, quòd in propoſitionibus abſolutis, ùt ſcholaſtici docent, omnia immediatè ad *Rectum* reſpiciant, qui in hujuscemodi propoſitionibus eandem authoritatem obtinet, quam Rex in ſuo regno. Sed vendicent ſibi per me licet, omnes æquali jure proprietatem hujus donationis, totum ſiquidem cedit in majorem gloriam mei Sancti, & honorem S. Ordinis noſtri, nihilominùs firmiſſimis nunc argumentis evincere contendam, meam Excalceatam Familiam potiori jure, & majori æquitate niti, juxta ordinem Divinæ Miſſionis in Evangelio demonſtratum: *Ecce ego mitto vos. Authoritas DEI eſt, id eſt SPIRITUS SANCTI:* Dabo autem operam, ut in hoc puncto ſim paulò ſuccinctior, quia in aliis fuſior fui. Ibid. in corp. Decreti.

Tertia Perſona Divina, quæ meum excelſum Patriarcham, Magiſtrum, Doctorem, & Redemptorem in hunc mundum miſit, eſt SPIRITUS S. qui, tanquàm Doctor Collegii Apoſtolici (*Ille vos docebit omnem veritatem*) eum imbuit non ſolùm exquiſitâ ſapientiâ, verùm etiam, quod huic Divinæ Perſonæ magis proprium eſt, flagrantiſſima charitate: Ac propter eà Eccleſia in ejus officio ardentiſſimum ejus erga captivos amorem, pro quorum Redemptione cœlitùs electus fuit, majorem in modum commendat: *Ardore Charitatis percitus plagas remotas advolat.* Tantô ſcilicet charitatis incendiô eum SPIRITUS S. replevit, ut quaſi quibusdam amoris alis pro mundi bono advolaverit. Quantos favores SPIRITUS S. mortalibus exhibeat, ſatis intelligi poteſt ex multitudine, ac præſtantia donorum, quæ humano generi confert, cùm ex Illo toti torrentes ſapientiæ, intellectûs, pietatis, fortitudinis, aliorúmque chariſmatum in nos effluant. Beneficentia Ejus eſt adeò larga, & profuſa, ut videatur, Eum requiem non invenire, niſi quando ſuas gratias hominum cordibus infundit! Tam propenſa voluntate ſe homini- In Officio S. P. N.



Digitized by Google

minibus communicare geſtit, ut putari queat, Eum non alibi, quàm inter ipſos morari velle, & ab illis ſeparari nolle.

Aperiam nunc ſingulare quoddam myſterium. Verbum Divinum ad inſtar aurei imbris de cœlo deſcendit, ut in liligera illa pudoris aula, nempe in ſacratiſſimo, & intemerato utero caſtiſſimæ Virginis MARIÆ ſe humana carne veſtiret: *Sicut pluvia in vellus.* Deſcendit quoque SPIRITUS SANCTUS ex arce cœlorum ad Collegium Apoſtolicum ſub forma linguæ igneæ, qui cùm ſit amor Divinus, voluit totus flammidus apparere, & vehementiſſimi venti, aut turbinis inſtar ſuis fidelibus illabi: *Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquàm advenientis ſpiritûs vehementis.* Nunc oſtendam differentiam utriusque deſcensûs. Verbum Divinum deſcendit quidem de cœlo ad terram, ſed poſt aliquot annos relictâ terrâ rursùs cœlum repetiit. Utrumque myſterium Eccleſia ſolemni feſtô celebrat, primum in die Annuntiationis SSS. Virginis MARIÆ, alterum verò in die glorioſæ Aſcenſionis Domini noſtri JESU CHRISTI. Aſt de SPIRITU SANCTO duntaxat ſcribitur, Eum die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos deſcendiſſe: nusquam autem in S. Scriptura legitur, Eum rursùs in cœlum rediiſſe, ſicut nec Eccleſia Ejus reverſionem celebrat. Quid itáque fecit hæc Perſona Divina? Fors etiamnum in terris degit? Affirmativè reſpondet S. Athanaſius: *Unigenitus DEI Filius . . . tandem aſſumptus eſt: SPIRITUS SANCTUS verò ſuper Apoſtolos veniens, & ſuper omnem carnem effuſus, non eſt rursùs aſſumptus, ſed generationes tranſiit in omnes.* Permanet itáque hæc Divina Perſona adhuc in mundo, eúmque ſuorum donorum influxibûs fœcundat; tanta ſiquidem inclinatione erga homines fertur, ut videatur, ab eis ſeparari non poſſe: *Sed generationes tranſiit in omnes.* Mortuus eſt Romæ meus præcelſus Pater, & Patriarcha S. JOANNES de Matha, cujus giganteus ſpiritus, tot victoriis de orco reportatis laureatus in cœlum evolavit, corpus autem ejus tamquàm nobilis concha hujus pretioſæ margaritæ, in illa urbe remanſit. Sed cùm ille filios ſuos tam ardente amore proſequeretur, non ſe ſatìs quieſcere poſſe putabat, nisi apud ipſos degeret; tamdiu enim incendium ſui affectûs coarctatum eſſe judicabat, donec in manus ſuorum dilectorum filiorum veniſſet. Hoc erat centrum ejus deſideriorum, quô obtentô amor ejus conquievit, ut proindè videatur, eum priùs nondum ſatis contentum fuiſſe.

Pſalm. 71.

Act. 2. v. 2.

S. Athanas. Tract. de SPIRITU S.

Hac

Hac luce radiante facili negotiô explicabo Textum quendam S. Pauli Apoſtoli, alioquin ſatìs difficilem, *CHRISTUS ſibi non placuit*, ait Doctor gentium. CHRISTUS ſibi in ſua morte non complacuit. Difficilis profectò, & abſtruſa ſententia; quomodò enim fieri potuit, ut huic clementiſſimo Principi non placeret id, quod placuit Patri juſto? Quódnam itáque myſterium hìc latet? Ego duplici luce caliginem hujus ſententiæ diſſipare conabor. *Non ſibi placuit*, quia non tam de ſua morte, quàm de homine cogitavit, cujus gratiâ illam ſubibat; talis námque verus eſt amor, qui privatam ſuam utilitatem non reſpicit. Secundò: Quia tanto amore erga homines exarſit, ut ineffabili quadam orexi pro ipſis patiendi teneretur, utpote cui parùm videbatur, quidquid pro eis faciebat, donec ſe tandem, ut ità dicam, plenè exhauſiſſet, quando innocentiſſimum ſpiritum ſuum in manus ſui æterni PATRIS tradidit. Contemplemini CHRISTUM Dominum noſtrum factum fuiſſe miſerabilem ſcopum efferatiſſimæ crudelitatis, ipſo etiam adorando capite Ejus vulnificis ſpinis, quæ ejus ardentiſſimum amorem coronabant, undique perfoſſo. Cui proindè inter tanta tormenta nulla alia requies ſuppetebat, quàm ut Diviniſſimum ſpiritum ſuum in manus ſui æterni PATRIS commendaret. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hìc finem habuit ſuorum dolorum. Sed videamus cauſam! Mihi talis in mentem venit.

Ad Rom. 15. v. 3.

Hæc ultima verba in pectore Ejus æterni PATRIS echo fecerunt, ac proindè ultimas ſyllabas poſt ſe reliquerunt: *Do ſpiritum meum*, Adeò, ut quando dulciſſimus Salvator noſter exclamavit: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Echo reſponderit: *Do ſpiritum meum.* Atque hìs verbis prolatis, ùt SS. Evangeliſtæ teſtantur: *Expiravit.* Singulare myſterium: Nónne ſatiùs fuiſſet, ſi poſt illa verba: *Conſummatum eſt*, animam exhalâſſet? Cur itáque ad hoc tempus ſuam mortem diſtulit? Ratio ad manum eſt; quia licèt tunc omnia jam conſummaverit, quantùm ad ipſum attinebat, deerat tamen ultima quaſi linea, quæ in hoc conſiſtebat, ut nobis ſuum ſpiritum daret. Atque hoc erat, quod in illa Echo Divina reſonuit: *Do Spiritum meum.* Dixerit proindè Incarnatus DEUS: nunc eſt tempus moriendi; nihil enim, quòd ulteriùs agam, reliquum eſt; nam poſtquàm dedi ſpi-



Digitized by Google

ritum meum, amor meus erga homines ſupremum jam conſcendit faſtigium.

Tempore illo, quô meus S. Patriarcha morti proximus ſe cum tota ſua ſpirituali armatura, quæ ex ciliciis, flagellis, aliáque hujus generis ſupellectile conſtabat, ad ſepulchrum deferri juſſit, in quo deindè etiam tumulatus fuit, cùm ex myſtica quadam, & in multas horas protracta extaſi, ad ſe rediviſſet, ultimam vocem ſuam in eadem verba Diviniſſimi Redemptoris noſtri contexuit; dicens: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, poſtulavítque ab æterno PATRE pro filiis ſuis tam præſentibus, quàm futuris ſuum Divinum ſpiritum, cui echo, in ſacrario Paterni pectoris excitata, procul dubio reſponderit: *Do ſpiritum meum*. Quô felici promiſsô recreatus, gaudens *expiravit*; ubi námque vidit ſuum ſpiritum in dilectos ſuos, & primitivos filios translatum, amor ejus deſideratam requiem invenit. Optimè. Sed quid nunc de ejus corpore dicturi ſumus? Dico, Domini! quòd, cùm in illa diuturna extaſi cœleſti lumine illuſtratus procul dubio cognoverit, ſuum corpus multo tempore à conſortio filiorum ſuorum ſeparatum iri, alio gemitu, ut amor ejus ad colophonem, & ultimum apicem perveniret, obſecraverit: *Commendo Corpus meum*; nè hoc ſemper in aliorum manibus remaneat, cui etiam, ùt mihi perſuaſum habeo, alia echo reſponderit, ejus preces exauditas fuiſſe. Non ſuppetit mihi quidem Textus, aut ſcriptoris alicujus authoritas, quâ hanc meam aſſertionem confirmare poſſem. Cæterùm, ut credam, eam valdè veroſimilem eſſe, inducor ex tot circumſtantiis myſticis, nè dicam miraculoſis, quæ præceſſerunt, antequàm nobis proprietas S. Corporis ejus collata fuiſſet: Hæ autem citrà ullam ambiguitatis umbram teſtantur, petitionem mei glorioſi Patriarchæ ſuis votis fruſtratam non fuiſſe; nondum enim ſuo amori erga filios ſuos primitivos plenè ſatisfactum putàſſet, niſì etiam pretioſum corpus ſuum in manus illorum veniret, qui hæreditario jure ſpiritum ſuæ vitæ, rigoris, & amoris poſſiderent. Mihi itáque, ait mea Diſcalceata Familia, propriè competit poſſeſſio hujus S. Corporis.

Quamvìs autem ipſa ratio depoſcat, ut omnes Trinitarii Excalceati, ubique terrarum degentes, de hac felicitate, & ſingulari fortuna in Domino glorientur, majorem tamen hujus rei obligationem habet præſens iſte Conventus, hæc pulchra officina virtutum, & gazophylacium eminentiſſimæ perfectionis. Hoc glorioſum ſanctua-

ctuarium, & domicilium JESUS Nazareni tenetur alios meæ S. Religionis Conventus feſtivis plauſibûs ſuperare, utì & reapſe ſuperat. Cœli, ùt ſceptriger Vates loquitur, ſunt Prædicatores Divinæ gloriæ: *Cæli enarrant gloriam DEI.* Quid eſt hoc? Ergóne & in cœlo Prædicatores inveniuntur? Maximè, & quidem Prædicatores cœleſtes, quia unicus ſcopus, ad quem ſuís prædicationibûs collimant, eſt major DEI gloria: *Gloriam DEI.* Textus iſte juxta literam intelligi nequit; cœli enim, ùt neminem fugit, non ſunt animati vitâ intellectuali, quamvìs non deſint Philoſophi, qui eis aliam vitam attribuant: Cùm verò intellectu, & ratione careant, fieri non poſſe videtur, ut prædicationis officium implere valeant. Pſal. 18. v. 1.

Sed quousque me affectatâ ignorantiâ detinebo? Dico proindè, quòd tota cœlorum prædicatio conſiſtat in exteriori eorum pulchritudine, quam oſtentant; nulla ſiquidem creatura in ampliſſimo pulchritudinis campo invenietur, quæ non mutâ ſuâ formâ eloquentiſſimè prædicet præſtantiam ſui artificis; nam in omnibus, quæcunque oculos incurrunt, DEI magnificentia relucet, quia in cunctis invenitur veſtigium Ejus Divinæ manûs, character Ejus excellentiæ, ſignum Ejus potentiæ, & radius Ejus lucis. Terra Ejus largitatem deprædicat, quia ſuis fructibûs omnes ſuſtentat. Aër eum inviſibilem oſtendit, quia licèt omnia repleat, nullibi tamen humanô oculô videri poteſt. Ignis Ejus omnipotentiam commendat, quia ejus ardor omnia poteſt, ejúsque flamma omnia illuſtrat. Aqua Ejus ſanctitatem extollit, quia nos ſanctificat tam in Baptismate, quando renaſcimur, quàm in pœnitentia, quando lacrymas fundimus. Quod ſi autem omnes creaturæ DEI magnificentiam prædicent, cur ſoli cœli dicuntur Prædicatores gloriæ DEI? Quia inter utriusque prædicationem tantum intercedit diſcrimen, quantum inter cœlum, & terram. Equidem totus mundus prædicat gloriam ſui Creatoris, ſed cœlum multò vocalius; hoc enim, præterquàm quòd omnes alias creaturas pulchritudine tranſcendat, tantâ ſimul ornatur prærogativâ, ut in ejus vertice altiſſimus DEUS ſedem ſuæ gloriæ conſtituerit: *Cælum mihi ſedes eſt.* In ejus eminente faſtigio reſidet Omnipotens DEUS peculiari modô quô privilegiò mundus iſte ſublunaris caret: Cùm verò cœlum ſedes ſit, & thronus Divinæ Majeſtatis, ideò etiam cœlum Ejus gloriam plùs quàm omnes aliæ creaturæ prædicat. Act. 4.

 Quam-

Digitized by Google

Quamobrem cùm hoc templum, quod ob exquiſitiſſimum ſuum ornatum, cœlum abbreviatum, aut epitome cœleſtis gloriæ haud abſurdè dici poteſt, in ſuo gremio complectatur S. Corpus noſtri præcelſi Patriarchæ, ex cujus ſacris Reliquiis luces ſupernæ ſcintillant, quid mirum, quòd in prædicanda gloria hujus Sancti primas ſibi partes vendicet, & reliqua S. Ordinis noſtri templa præcellat. Tota mea familia Trinitaria, hæc regia civitas, imò & tota Hiſpania prædicat Eum ad inſtar terræ liberalem in beneficiis, ad inſtar aëris velocem in auxilio, ad inſtar ignis potentem in triumphis, ad inſtar aquæ ſanctum in prodigiis: Prædicat eum Ducem, & Patronum in defenſione, Apoſtolum, & Magiſtrum in doctrina, Doctorem, Patrem, & Legislatorem Legis, & Regulæ ſanctæ: peculiariter tamen hoc ſpirituale gazophylacium, hoc, inquam, cœlum, ſive templum, tamquàm thronus ejus corporis, tamquàm ſedes ejus gloriæ, & tamquàm concha adeò pretioſi unionis ſibi primatum arrogat in ejus gloria prædicanda, ob felicitatem, quam ſuit promeritum, tam pretioſum theſaurum poſſidendi. Concludit itáque mea Religio hoc attributum, petens, ut in ſui favorem hæc controverſia decidatur, utpote quæ ejus ſingularem poſſeſſionem juſtè poſtulat, cùm omnia hæc ſint in acceptis referenda amori, quô eum DEUS Trinus, & Unus miſit: *Ecce ego mitto vos.*

Hac verbivelitatione inter ſe hucúsque diſceptârunt hæ tres partes controverſæ, quarum ſingulæ in hoc ſacro certamine aliis præferri, & poſſeſſionem S. Corporis ſibi adjudicari poſtulant. Supereſt proindè, ut decretoria proferatur ſententia. Si deciſio hujus cauſæ ad tribunal mei judicii deferatur, reſolutoriè aſſeverabo, omnes efficaciſſimis niti rationibûs, nullam tamen earum hanc litem plenè eviciſſe: undè, quin pars aliqua vincat, ſingulis palmam deberi pronuncio. Omnes tres poſſeſſionem participant hujus S. Corporis, & in illo pariter potentiam, ſapientiam, & amorem; hôc ſiquidem theſaurô non gauderet mea ſacra Familia, niſì illum Hiſpania obtineret, nec collocatus fuiſſet in ſpecioſo cœlo hujus templi, niſì urbs Madritenſis partem in eo haberet. Omnes itáque hæ tres partes coaluerunt in propria poſſeſſione tantæ felicitatis: Arbitror autem in hac cauſa vix meliorem deciſionem proferri poſſe, utpote in qua relucet umbra quædam myſterii SSS. TRINITATIS, in eo námque Divinæ Perſonæ ità inter ſe opponuntur, ut nulla tamen diſcordia voluntatis intercedat; licèt enim ſibi in ſuis relationibus opponantur, in beneficiis tamen, quæ nobis præſtant, ſunt

una

Digitized by Google

una eadémque res, cùm omnia, quæ operantur ad extra, ùt Theologi loquuntur, tanquàm unum, & indiviſibile principium peragant. Ad eundem planè modum in hoc amico certamine partes litigantes in ſolis relationibus ſibi opponebantur, Hiſpaniâ pro ſe allegante potentiam, Madritô ſapientiam, & mea S. Religione amorem, ſed in felicitate hoc S. Corpus poſſidendi omnes æquali jure conveniebant, ut hôc pactô auguſtiſſimum myſterium DEI Trini, & Unius repræſentaretur, qui ſicut meum S. Patriarcham olim vivum, ità nunc exanime corpus ejus nobis miſit pro noſtra gloria, & felicitate: *Ecce ego mitto vos.*

Et Tu, mi glorioſe Pater, & Patriarcha, ſplendidiſſima corona Hiſpaniæ, hujus urbis regiæ, meæ S. Familiæ Trinitariæ, imò, & mundi univerſi! hucúsque cœlum prodigioſas virtutes tuas opertas aſſervabat, utpote in quo inæſtimabilis theſaurus tuæ excellentiæ tibi ſoli patebat, ſed poſtquàm hodie Divinæ Majeſtati placuit cortinas tui involucri diducere, ut omnes te agnoſcerent in tuo patrocinio potentem, ſapientem, & amantem, neceſſe eſt, ut omnes quoque admirentur te propitium in iisdem attributis Divinis. Hac de cauſa gloriatur Hiſpania ſe in hac donatione promeritam fuiſſe talem patronum, cujus præſentiæ, ac vigilantiæ in acceptis refert maxima incrementa ſuæ potentiæ. Gloriatur Madritum, regia ſedes maximi Monarchæ ob poſſeſſionem tam Divini pignoris, cujus ſapientiâ, & directione ſe ſperat indies majores progreſſus facturum in Divino ſervitio, ſéque transmutatum iri ex civitate terrena in cœleſtem, & in novam quandam imaginem Hieroſolymæ triumphantis; urbs enim tanto ſole illuſtrata meritò gaudere deberet juribûs cœleſtibûs, ut in campis ſapientiæ, pietatis, ac fortitudinis magis etiam dilatetur imperium rutilantium aſtrorum patriæ. Gloriatur denique mea Diſcalceata Familia ob proprietatem theſauri adeò pretioſi, quia in ejus amore habet columnam ſui imperii, diadema ſuæ gloriæ, & immortalem laurum ſuæ præſtantiæ, in cujus eminentia apparet cacumen tuæ gloriæ, & faſtigium ejus felicitatis. Extende igitur potentem manum tuam ad hunc auguſtum ſenatum, qui tanta pietate, ac Religione præſens honoris tributum tibi perſolvit, ut tuis influxibûs illuſtratus, ſalutaribûs ſemper affluat conſiliis pro majori DEI gloria, pro honore noſtri Catholici Monarchæ, & pro emolumento totius Hiſpaniæ. Egredere ex hoc tuo ſepulchro glorioſo, quia SSS. TRINITAS te miſit, ut ſis cunctorum patronus, nobisque triumphos, & victorias concilies contra omnes inimicos noſtros.



Digitized by Google

Per te obtineant cultores tui in ſuis neceſſitatibus auxilium, peccatores indulgentiam, captivi redemptionem, omnes denique, tuum patrocinium invocantes efficacem gratiam, cujus ope feliciter perveniant ad ſempiternam gloriam, *quam mihi, & vobis, &c.*

Hìc finem habuit tam ſubtilis, & inſignis oratio, plaudente toto Auditorio, nec dubito, quin omnes dixerint, quod alibi quidam ſapiens: *Quis unquam homo tam vehementer, tam prudenter peroravit, tam feliciter exoravit?*

Alvarus Gomez. Epiſt. 7.

Finitâ Miſsâ noſtra Religioſa Communitas Regium Conſilium dimiſit inter ſexcenta ſinceriſſimæ gratitudinis argumenta. Continuata deindè fuit hæc ſolemnitas veſpere, ac noctu eodem prorsùs tenore, quò prioribùs diebùs: Amota tamen ſunt protinùs ſubſellia conſilii, nè irruentes populi turmæ loci anguſtiis excluderentur. Ingruente autem nocte allatæ fuerunt ſedes, & ſcamna pro ſupremo S. Inquiſitionis Conſilio, quod ſuà præſentia diem quintam harum feſtivitatum erat honoraturum.

# CAPUT XII.

## *Deſcriptio quinta Feſtivitatis, quæ celebrata fuit Octavâ Maji, die Veneris.*

NOn omnes prorsùs Veneres, quas finxit antiquitas, malæ, & infames fuerunt. Certè S. Auguſtinus de planeta, qui Venus nominatur, & in feriam ſextam dominatur, affirmat, eum cæleſtem Venerem eſſe, utpote qui in hominibus excitat, eorúmque cordibus infundit ſanctos amores. Docet autem Caſſaneus, qui ſcribit ſingulos planetas à totidem cœleſtibus ſpiritibus gubernari, hunc planetam, qui à Venere ſuum traxit vocabulum, eſſe ſub directione angeli conſtitutum, cujus nomen eſt *Anaël*, quod idem ſonat, ac populus DEI. Nihil proindè mirum eſt, quòd hac die ſupremum S. Inquiſitionis Conſilium ad noſtrum S, Patriarcham honorandum confluxerit, cùm hoc ſit velut quædam anima Divini amoris, quod ſuo ſalutari influxu regit, & gubernat populos Chriſtianos.

S. Auguſt. l. 4. de Civit. cap. 10.

Caſſan. p. 12. Cathol. glor. mund.

Incredibile dictu eſt, quanta alacritate, & gaudiô ſacer iſte ſenatus convenerit, ad venerationem corporis hujus ſancti, qui & ipſe, cùm in vivis ageret, munere Apoſtolici Inquiſitoris functus fuit: Tempore illo, quô ſupremum hoc Conſilium januæ noſtri tem-

P. F. Melchior in vita S. P. N. JOANNIS fol 174. N. 36.

Digitized by Google

templi appropinquavit, ſtabat in ſuos ordines diviſa, ſuiſque vexillis, & Venéris ( hoc nomine in Hiſpania denotantur inſignia, quæ officiales S. Inquiſitionis, ligamini inſerta, è collo portare ſolent ) inſtructa nobilis Confraternitas S. Petri Martyris, quæ in ſocietate noſtræ Communitatis inter reclangentium tubarum, tibiarum, & tympanorum ſonitum illud in ipſo veſtibulo honorificentiſſimè excepit.

Cunctis deindè, ad ſuas ſedes digreſſis ( quæ ob verſicolorem ſellarum ornatum majeſtaticum quoddam referebant theatrum ) viritim diſtributi fuerunt florum faſciculi, ſecundùm ordinem eorum. Hôc peractô inchoatum eſt ſolemne Miſſæ ſacrificium, quod decantavit multùm Reverendus P. F. Joannes à JESU, S. Religionis noſtræ Definitor Generalis ſecundus. Oratoris autem partes hac die ſuſtinuit multùm R. P. F. Felix à S. Joſepho, qui ſemetipſum excedens ad inſtar aquilæ in ſublime evolavit, tamquàm ſoli radios ſurripere voluiſſet, quibûs lippos illuminabat, quin tamen aliquem offenderet. Concio ejus talis fuit.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam quinta die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, peroravit multùm R. P. Fr. Felix à S. Joſepho, Prædicator bujus Conventus Madritenſis.*

Hoc feſtum adornavit ſupremum Conſilium S. Inquiſitionis.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos . . . Eſtote ergo prudentes. *Sequent. S. Evang. ſecundùm Matthæum cap.* 10. *v.* 16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sequent. S. Evangel. ſecundùm Joannem cap.* 6.

## SALUTATIO.

IN naufragis illis pelagi vorticibus, in quibus humana ratio ſubmergitur, ſola admiratio eſt tabula, cujus ope quis in portum eluctari valet, ſed quando neceſſitas emergit admirationem

nem ſimul, & portum relinquendi, non aliud ſuppetit evaſionis remedium, quàm ſcalmum intellectûs in altum abjicere. Evangelicus S. Lucæ calamus Simeonem ſenem in litore venerationis conſtitutum

Luc. 2. v. 25. depingit: *Homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus,* Cornelius à Lapide legit: *Religioſus, qui reveretur.* Cæterùm quamvis venerabilis iſte ſenecio vir fuerit ſummæ taciturnitatis, templum tamen ingreſſus confeſtim rupit clauſtra ſilentii, ſuique intellectûs cymbam in mare

A Lap. in Luc. hic.

Luc. 2. v. 27. applausûs jactavit: *Venit in templum, & benedixit DEUM.* ubi Cornelius rursùs legit: *Et laudavit DEUM.* Quod ſi autem priùs tam pertinaci ſilentiô verba ſuppreſſit, cur nunc totam linguam in laudes, & encomia reſolvit: *Laudavit?* Cauſam hujus facti S. Textus haud obſcurè innuit; utpote qui ſcribit, eum priùs ſperâſſe donationem Redemptoris mundi: *Expectans.* Illam nimirùm donationem, quam regius pſaltes tam avidis deſideriis ex-

Pſal. 118. v. 166. petivit: *Expectabam ſalutare tuum Domine*, & quam ſibi tot

Pſal. 84. v. 8. precibus à DEO donari poſtulavit: *Salutare tuum da nobis.* Aſt poſtquàm templi limina ſuperâſſet, illicò ad metam ſuorum deſideriorum pervenit, quando ſuiſmet oculis vidit donationem illius adorandi corporis, quod pretioſiſſima orbis terrarum margarita, ſanctiſſima DEI genitrix MARIA in Sacrario ſui virginei uteri clauſum aliquamdiu aſſervavit. Hoc ipſe diſertis verbis teſtatus eſt:

Luc. 2. v. 30. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Quamobrem cùm poſſeſſionem illius theſauri tandem conſecutus fuerit, ad quem amor ejus tam irrequietis votis anhelaverat, nihil ampliùs ſilentiô opus eſſe putavit, ſed diductis labiis totam extemplò ſui intellectûs phaſelum in oceanum laudis projecit.

Clariùs nunc mentem meam aperiam, novo lumine Textum allegatum illuſtrando. Simeon vir erat patriæ ſalutis, ſuæque Religionis ſtudioſiſſimus: *Pietate flagrans* (ſcribit Eminentiſſimus Cajetanus) *erga commune patriæ bonum.* Hic itáque templum fortuitò ingreſſus, dum oculos aperit, labia ulteriùs præ gaudio continere non potuit. Et cur iſtud? Aut undè orta eſt tanta gaudii impotentia? Indè nimirùm, quia ibi ſacratiſſimum illud corpus vidit, quod in puriſſima Arca intemerati ventris almæ DEI Matris MARIÆ quondam abſconditum latuit, ùt Eccleſia canit:

Cajet. in cap. 2. Luc. ſuper v. 25.

Eccleſ. in Off. B. M. V. *Ventris ſub arca clauſus eſt.* Vidit corpus, quod in urna, quâ nul-

nullam vidit mundus pretioſiorem, occultatum fuerat. Sed quid dico urnam? Hortum dicere debuiſſem floridiſſimum, & fontem limpidiſſimum, quibûs nominibûs immaculatum illud Virginitatis ſacrarium in Canticis deſignatur: *Hortus conclusus, fons ſignatus.* **Cant. 4. v. 12.** Vidit corpus, quod à juribus Depoſiti abſolutum in noſtram poteſtatem jam tranſierat: *Nobis datus, nobis natus.* Aſt quomodò **Eccleſ. in Off. Corp. Chriſ.** illud vidit? Vidit illud, ùt Dionyſius Carthuſianus ſcribit, cœleſti ſplendore, ac lumine circumfuſum: *Vidit Divinum ſplendorem in vultu.* **Charth. apud Corn. à Lap. hic.** Vidit illud publicè jam in templo expoſitum, ùt Cardinalis â S. Sixto loquitur: *Publicè manifeſtatus eſt.* **Cajet. ubi ſup.** Nemo itáque miretur, rupta fuiſſe ſigilla ſilentii in tam glorioſo ſpectaculo; hoc námque dignum erat, ut omnium gentium linguîs celebraretur.

Sed in quem finem rupit ſilentii clauſtra, cùm tamen ſuîs verbîs rei geſtæ ſeriem nequaquàm expreſſerit; quod ſi enim Concio conſideretur, quam Simeon tunc in templo habuit, totô cœlô à materia propoſita diſtare videbitur; in ea ſiquidem id maximè agit, ut diſſolutionem ſui corporis à DEO precibûs impetret: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Quam, ſodès, connexionem habere queat tantum gaudium cum deſiderio mortis, ut in hæc verba proruperit? Connexio fundatur in magnitudine ejus gaudii, quam ille hic ſtylò valdè ſublimi, & rhetoricô depinxit. Ego Domine (hîs verbis DEUM affatus eſt, gratias acturus pro tanto dono ſibi conceſſo) ego Domine, jam vidi hîſce meîs oculîs illud ſacroſanctum Corpus, quod ſub forma Depoſiti priùs latuit in Oratorio Virginalis uteri, nunc autem, quin ad aliam manum tranſiviſſet, hìc recubat in liligeris brachiis, tamquàm throno ſuo, ejusdem nobiliſſimæ Virginis: *Viderunt oculi mei.* Certum mihi jam eſt, & indubitatum, quòd in hoc templo ſit collocatum, ut publicè ab omnibus populis adoretur, & colatur: *Ante faciem omnium populorum.* Scio etiam, hoc ſacrum corpus jam eſſe quorundam pharum, ſive lucidam facem: *Lumen*, noſtrûm verò, qui hæc feliſcia dominia inhabitamus, ſempiternam, & immortalem gloriam: *Et gloriam plebis tuæ Iſraël.* Nunc itáque Domine (exclamat venerandus ille gravaſtellus) obtentâ gloriâ, & felicitate hujus donationis, nihil porrò jam habeo, quod videre vellem: *Nunc di-*



Digitized by Google

*mittis ſervum tuum Domine*; jam enim deſideriorum meorum
Cajet. ibid. compos effectus ſum: *Satiato jam appetitu meo*, ùt ſupra laudatus Cajetanus ſcribit. Nihil jam occurrit, cur ampliùs in hoc
Cornel. hic in illa verba: Nunc dimittis. mundo vivere concupiſcerem: *O Domine!* (Exclamat hic in perſona Simeonis doctiſſimus Cornelius à Lapide) *jam animus meus omni re, quam videre cupiebat, ſatiatus eſt: Nihil ampliùs in hoc mundo excopto.* Ità exclamavit ardentiſſimus zelus Simeonis, cujus voces imitata mea Diſcalceata Familia in eadem verba exultantem linguam ſuam reſolvit.

Multorum relatione didici, quòd ſupremus Dux S. Religionis noſtræ ob ingentem, quô erga S. Patriarcham noſtrum flagrabat, amorem crebriùs hoc gemitu ſuum affectum prodiderit: *Dummodò videam in meis diebus donationem Sancti Corporis in favorem noſtrum, contentus moriar.* Nònne idipſum prorsùs eſt, quod
A Lap hic in Nunc Dimittis. nobis de annoſo Simeone refert Cornelius: *Libens, lætúsque moriar.* Quid? gaudens, & jucundus mori voluit? Ità ſe res habet, neque enim ſolæ infirmitates, & ærumnæ, ſed etiam immodica gaudia ſunt interdùm mortis conciliativa, quia ſæpenumerò vitæ filum abrumpunt. Gaudii magnitudine, ùt Textor Raviſius
Text. Ravis in Epiſt. Officitom. 1. in illud gaudio, & riſu mortui refert, confectus obiit vir ille Lacedæmonius, quando filium ſuum amplexus eſt, quem coronatum ex Olympiaco agone redire vidit: *Immodicâ periit lætitiâ.* Idipſum evenit Diogeni Rhodio, quem cùm totus ſenatus, populúsque officiosâ coronâ circumdarent, ut ei ob præclara facinora, & triumphos filiorum ejus gratularentur, ſcri-
Cic. lib. 1. Quæſt. Tuſc. Aulus Gell. lib. 3. Noctium Atticarum. bit diſertiſſimus Tullius, & cum illo Aulus Gellius: *Animam efflavit præ lætitia.* Ego ſanè nulla admiratione dignum cenſerem, ſi ad conſpectum tam inſignis triumphi, quem Reges Catholici, & ſupremus iſte Senatus Corpori mei Sanctiſſimi Patriarchæ adornant, gaudium ſimiles effectus in nobis produceret. Sed cur nobis gaudium tanti triumphi occaſio eſſe deberet talium effectuum? Quia geſtientibûs animis aſpicimus, quàm gloriosè cultus S. Patris Noſtri reſloreat, & quàm latè ſe extendat in tam magnifica collocatione ejus venerabilis Corporis.

Scitote, ait Rex Prophetarum, quòd DEUS in regno Judææ
Pſal. 75. v. 1. palàm agnitus fuerit: *Notus in Judæa DEUS.* Scitote, commentatur in hæc verba Lorinus, quòd notitia DEI ſe latè in hac

ur-

urbe extendat, quæ res in cauſa eſt, ut ſanctiſſimum nomen ejus celeberrimum evaſerit: *Celebrem DEI notitiam, nomenque in Judæa, univerſòque illam incolente populo ait eſſe.* In prima parte hujus versûs depingit Propheta conditionem Judææ, quæ illo tempore erat Regnum Catholicum: *Primò*, ait ſupra citatus Lorinus, *deſcribitur Regni Judææ conditio.* In illo Catholico Regno erat Jeruſalem caput, & metropolis totius Provinciæ. Hæc urbs ſedes erat regii Conſilii, aliorúmque tribunalium: In hac urbe ſtetit majeſtaticum illud templum, quod tanto ambitu in ſacris literis celebratur: In hac urbe peracta fuit celeberrima illa collocatio, cujus fuſa deſcriptio invenitur in Libris Regum, & Paralipomenon; priusquàm enim Arca in ſuo loco collocata fuiſſet, tota gentis illius nobilitas eam ſolemni Proceſſione per urbem circumtulit. Nónne hæc ſunt, quæ in præſenti hujus S. Corporis collocatione facta fuerunt? Hac itáque face accenſa facili negotiô Textus intelligitur. Scitote, ait David, quòd in hac urbe, ac Regno tam Catholico cultus Divinus ſe latè jam extenderit: *Notus in Judæa DEUS.* Aſt cur ſe hic magìs extendit, quàm alibi? Cauſam hujus facti idem Textus nobis aſſignat: quia *Factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* Genebrardus legit: *Factus eſt in Eccleſia locus ejus;* in hoc námque templo perpetuum ſibi thronum erexit pro urbis, & regni protectione: Lorinus: *Eam provinciam peculiariter elegit ad habitandum.* Neceſſe eſt proindè, ut in hac urbe glorioſiùs floreat cultus ejus, quia hanc ſibi pro ſua habitatione elegit.

Lorin. in Pſalmos hic.

3. Reg. 8. v. 2. 2. Paral. 5.

Pſal. 75. v. 2.

Geneb. in Pſal. hic.

Lorin. in Pſalm. ubi ſup.

Neque alia de cauſa factum fuiſſe reor, quòd hoc ſacrum, & ſupremum Conſilium hodiè in iſto templo comparere voluerit, quàm ut ſuâ regiâ præſentiâ peculiarem gloriam huic cultui conciliaret. In collocatione Corporis Jacobi Patriarchæ, adfuit ſupremum Conſilium, vel tribunal, ut ſuä præſentiâ Reliquias tam magni Sancti honoraret: *Ierunt cum eo omnes viri prudentes, & judicantes, vel habentes authoritatem, & qui nobiliores erant genere,* ſcribit Abulenſis, addit tamen, totum hoc factum fuiſſe in honorem Joſephi: *Sed ad honorandum Joſeph ierunt.* Quid tu dicis? ad honorandum Joſeph? Sed ſi Joſeph vivit, & Corpus Patriarchæ Jacobi ad tumulum effertur, quomodò fieri potuit, ut Conſilium compareret in honorem Joſephi? Ratio mihi ad præſentem

Abul. in cap. 50. Geneſ ad illa verba: ierunt cum eo omnes ſenes, cunctique majores natu.

materiam valdè opportuna occurrit: Quia Joſeph erat filius Jacobi. Corpus, quod collocabatur, erat patris ejus. Invitaverat ille ad ejus collocationem totum Conſilium, quod etiam absque ulla tergiverſatione adfuit: *Ierunt.* Nemo itàque dubitet filium honoratum fuiſſe Conſilii præſentiâ, hæc enim ſufficit ad omnes filios honorandos unius Patris, & Patriarchæ. Quamvìs autem, quod hoc ſupremum Conſilium attinet, in præſenti feſtivitate locum habere non ambigam, neſcio tamen, an id etiam dici poſſit de præſentia hujus excelſi Monarchæ, qui candido panis velamine tectus in hoc Altaris throno adoratur.

Joan. 10. A Lap. in cap. 10. Joan. Diviniſſimus iſte Princeps de ſemetipſo quondam dixit: *Ego veni in mundum.* Cornelius addit: *De cœlis.* Hæc duo ſigna CHRISTUS auguſtiſſimo Altaris ſacramento impreſſit: Joan. 6. v. 19. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit,* Sed quorsùm iſte deſcenſus: *Deſcendit?* Aut quam utilitatem habet iſte adventus: *Ego* Joan. 10. v. 10. *veni?* Hanc nobis idem DEI Filius prolixè oſtendit: *Ut vitam babeant, & abundantiùs babeant.* Hanc ille nobis vitam ſua morte in cruce peperit, cujus mnemoſynon, & memoriale eſt hæc S. Hoſtia; tunc nàmque incepit vita animarum noſtrarum, quando incarnatus DEUS vitam ſui corporis amiſit. Deerat nihilominùs adhuc abundantia hujus vitæ. Quid? Abundantia defuit? Etiam. Quia vita, ſimpliciter conſiderata, eſt gloria animæ, ſed abundantia vitæ, eſt gloria corporis. Audiatur doctus Tom. 1. Tautolog. 3. Didaſc. 10. N. 2. in margine. Villaroël: *Gloria corporis eſt vita, ſuper vitam.* Ad hanc itàque vitæ abundantiam, & gloriam corporis conferendam, deſcendit Diviniſſimus Redemptor noſter de cœlo: *Ego veni de cœlo:* Ut proinde ejus præſentia deeſſe non potuerit, cùm hæc feſtivitas tendat in gloriam corporis alterius cujusdam Redemptoris. Aſt quomodò mea ignorantia in præſentia tantæ Majeſtatis hiſcere præſumet? Si tamen res omnes ritè perpendamus, inveniemus, Ejus dulciſſimam matrem glorioſiſſimam Virginem MARIAM longo uſu jam in ſuam naturam convertiſſe aliorum inopiam ſupplere: Cùm verò mea ſit omnium longè maxima, de Ejus patrocinio confiſus audacter ſermonis aleam tentabo, firmiter ſperans, fore, ut hæc regia Virgo, & Virginum Regina tenebras meæ inſcitiæ illuminet, ſi hanc ab ejus clementiſſimo corde gratiam poſtulaverimus verbis illis, quæ nobis S. Archangelus Gabriel reliquit, quando dixit: *Ave MARIA.*

Ecce

Ecce ego mitto vos . . . Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes. *Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matth. cap. cit.*

# INTRODUCTIO.

SEnſus S. Evangelii eſt exactiſſima imago præſentis feſtivitatis; utpote qui totam normam cultûs hodierni continet, & viciſſim in eo, tamquàm in ſpeculo quodam relucet. Dixi literalem ſenſum noſtri Evangelii eſſe accuratiſſimam imaginem hodiernæ feſtivitatis, nec retracto. In eo dulciſſimus Salvator noſter ſermonem ſuum auſpicaturus hôc verbulô uſus eſt: *Ecce.* Subſiſtat hìc pauliſper intellectus; hoc nàmque initium ſcenam pandit magnæ admirationis: *Hoc adverbium Ecce eſt nota admirationis*, ùt docet Cornelius à Lapide. Quid ergò hìc tanta admiratione dignum occurrit? *Ego mitto.* Ego ſum ille, qui mitto. Quaſi ad noſtrum propoſitum diceret: Perpendite, quòd ego ſim, qui vobis hoc ſacrum corpus mitto. Doctus Tirinus Biblia maxima ſecutus clariùs mittentis mentem exponit: *Ecce*, ait, *Parentes veſtros.* Videte, & admiramini parentes veſtros. Videte in illa Arca clauſum, & occultatum Patrem, & Patriarcham veſtrum, quæ verba Tirini, ſi textui S. Evangelii adjungere voluerimus, ad rem præſentem talis ſenſus prodibit: *Ecce ego mitto Parentes veſtros.* Ego ſum, qui hunc theſaurum vobis mitto: *Ecce ego mitto.* Quodſi autem ſcire velitis, qualis ſit iſte theſaurus, quem vobis mitto, erigite oculos: *Ecce*, & conſiderate, quòd ſit ipſe pater veſter: *Parentes veſtros.* Nunc obſervetur, quòd ex miſſione rei tam pretioſæ Increata Sapientia per modum conſequentiæ intulerit prudentiam: *Eſtote ergo prudentes.* Ego, ait Mundi Salvator, vobis mitto Patrem veſtrum: *Ergo* in felicitate hujus Donationis oportet, ut vos admodùm prudenter geratis; *Ecce ego mitto parentes veſtros: eſtote ergo prudentes.* Sed qualis hæc eſſe debet prudentia? Serpentis, reſpondet incarnatus DEUS: *Sicut ſerpentes.* Serpentis prudentia in eo conſiſtit, ùt fulgidiſſimum illud Eccleſiæ luminare, S. Joannes Chryſoſtomus ſcribit, quòd *ſerpens totum*

A Lap. in Evang. Luc. ſuper c. 1. v. 48.

Tirin. hic apud Bibl. maxim. tom. 13.

S. Chryſoſtom. ho-

*tum ſe ipſum tradit, nec minimum curat, dummodò caput ſuum integrum ſervet.* Taliter quoque prudentia noſtra comparata eſſe debet, ait aurei oris Patriarcha: *Eôdem tu quoque modô.* Prudentia noſtra in id debet eſſe intenta, ut corpus mei S. Patris, & Patriarchæ, qui caput eſt noſtræ Religionis, ſolicitè aſſervemus, & in ejus cuſtodia magnam prudentiam exhibeamus. Sed cur tota hæc prudentia in conſervatione capitis conſiſtit? Eloquentiſſimus græcæ Eccleſiæ Doctor hoc dubium unicô verbô reſolvit: *Caput ſuum.* Notetur illud pronomen: *Suum.* Hoc cimelium eſt res propria, & cùm ſit res propria, neceſſarium evadit, ut ſolicitè cuſtodiatur, & integrum conſervetur: *Integrum ſervet.* Hoc tandem in noſtram proprietatem ceſſit, quia nobis donatum fuit, ut pro perpetuo ſolatio, & honore hujus urbis in hoc Altari proſtaret: *Ut perpetuò colantur,* dixit Capitulum Vaticanum in ſuo Decreto, à Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum confirmato: *Ut perpetuò colantur in Eccleſia Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS Conventûs Madritenſis.* Hiſce verbis ſcopum hodierni ſermonis mei detexi; hæc námque Donatio facta fuit non ſolùm pro mea Diſcalceata Familia, ſed etiam pro hac regia ſede noſtri Catholici Monarchæ, cùm hæc urbs electa fuerit, ut in ea S. hoc corpus conſtantem venerationem obtineat: *Perpetuò colantur.* Ac propter eà S. Evangelium, quando hanc Donationem depingit, juxta Tirinum ad omnes loquitur: *Ecce ego mitto Parentes veſtros.* Non dixit autem *Tuos*; hâc nàmque loquendi formulâ nos ſolos deſignâſſet, qui nomine filiorum ejus gloriamur, ſed dixit: *Veſtros*; hac enim Donatione declaratus eſt Pater non ſolùm Religionis Trinitariæ, ſed etiam totius urbis Madritenſis. Quamobrem cùm hæc ità declarata fuerint, opus non habeo, ut aliam Concionis ideam excogitem. Nè tamen nimia prolixitate Auditoribus meis moleſtus evadam, ſermonem hodiernum in duo puncta dividam, in quorum primo oſtendam, quomodò per hanc Donationem S. JOANNES de Matha factus ſit Pater hujus regiæ civitatis. In altero: qualiter ſit Pater meæ Excalceatæ Familiæ.

Homil. 34. in Matth.

PUN-

# PUNCTUM I.

IN primo punɫo me demonſtraturum promiſi, meum S. JOANNEM de Matha eſſe patrem hujus regiæ urbis. Id ego nunc manifeſtè probabo. In Rebus publicis hujus mundi nomen patris illis perſonis inditur, quæ eas ſua authoritate ornant, earúmque neceſſitatibus opitulantur. Cùm verò per hanc Donationem S. Corpus huic urbi collatum fuerit pro ejus ornatu, & defenſione, jure meritiſſimo nomen patris ei competit. Romulus, fundamenta jacturus illius civitatis, quæ poſteà caput mundi evaſit, centum elegit Senatores, quos patres appellari voluit: ***Romulus centum Senatores elegit, quos patres vocavit,*** idque non alia de cauſa, niſì ob indefeſſam eorum curam, ùt Beyerlink ſcribit, quâ patriæ conſulebant, & ornatum, quô ſuâ præſentiâ Romam illuſtrabant: ***Ab honore, & cura in rebus politicis.*** Hunc autem ornatum, & tutelam meus S. Patriarcha huic urbi præſtat, ſui Sacri Corporis præſentiâ.

Beyerl. in Theat. vitæ hum. Verbô: Pater.

Cùm mundus exitialibûs diluvii undis eſſet ſubmergendus, Noë, ùt doctus Mendoza ex Saliano refert, oſſa protoparentis noſtri Adami in Arcam intulit: *Noë detuliſſe ſecum in Arcam oſſa Adami.* Sed in quem finem ſecum aſportaverunt? Ut in illis anchoram haberent in procelloſa illa tempeſtate, quâ mox totum mundum noverant eſſe concutiendum: ***Ut præſidium eſſent ejusdem Arcæ, & in ea degentium, & cum ea fluctuantium.*** Arca illa erat tunc centrum, & epitome totius mundi, quam ex omni parte naufragi undarum fluctus rabido aſſultu impetebant, eique ſexcenta diſcrimina intentabant. Noë itáque, ut ſese adversùs tam immania pericula muniret, eorúmque furorem ſuperaret, oſſa Adami ſecum in illam ligneam urbem detulit, ut in tam horribili tempeſtate patrocinium primi parentis noſtri ſibi præſidio foret. Nunc eluceſcit, cur Noë oſſa Adami in hac Arca collocaverit, quia voluit, ut eorum protectione, hæc fluctivaga domus ab imminentibus malis cuſtodiretur: *Ut præſidium eſſent ejusdem Arcæ,* & incolæ hujus Arcæ tam ſanctis Reliquiis ornarentur: ***Et in ea degentium,*** ac denique omnes, quotquot in illa cybea fluctuabant per ea ſalutem, & incolumitatem haberent: ***Et cum ea fluctuantium.*** Nam cùm hæc ſint officia patris, ea ſibi minimè defutura

Mendoza tom 1 in lib. Reg. cap. 4. annot, 11. ſect. 1. N. 4. Salian. An. mundi 930.

Villárro, tom. 2. Tattol. 8 in Repoſit. Literæ. N. 17.

tura credebant in illo loco, in quo corpus tanti viri aſſervabatur. Si mihi injungeretur, ut aliquô ſymbolô urbem Madritenſem repræſentarem, illicò depingerem Arcam Noë fluctibûs jactatam, hoc lemmate adjecto: *Sic eſt.* Sed cur eſt ſic? Quia ad inſtar Arcæ Noë, quamvìs inter vortices aulicos fluctuet, quamvìs ſit immerſa profundiùs negotiorum tumultibus, quàm Arca Noë undarum vorticibus, non tamen perit, nec naufragium ſuſtinet, quia in ſuo ſinu complectitur Reliquias mei S. Patris, & magni Patriarchæ JOANNIS de Matha.

In urbe Tanai (quæ tunc caput erat, & metropolis totius Ægypti) collocatum fuit corpus S. Jeremiæ Prophetæ, ſumptuoſæ urnæ incluſum, in ſignum venerationis, & reverentiæ ejus ſanctitati debitæ: *Sepultus eſt*, ſcribit D. Iſidorus, *in eo loco, ubi Pharao Rex Ægypti habitavit.* Cauſam huic ſepulturæ dederunt multeſima prodigia, quæ aulici ejus ope conſequebantur; illud ſiquidem oſtium Nili, quod ab hac urbe nomen acceperat, obſidebant tunc, ùt S. Epiphanius author eſt, diverſa venenatorum inſectorum, & ſerpentium genera, quæ ſuâ virulentiâ inquilinos hujus urbis afflatos interimebant. Unicum huic malo averruncando remedium erat corpus S. Prophetæ, quod in illa civitate ſtationem fixerat: *Aſpides enim, & undarum belluæ eos interimentes poſtulationis Jeremiæ beneficiô ex illis finibus ſunt profligati.* Fieri non poſſe videtur, ut aliqua pictura clariùs, meliúsque exprimat prodigia, quæ Corpus S. Patris noſtri eo tempore patravit, quô Romæ ſepulturæ datum fuit; ibi enim ſicut denſìs agminibûs omnes confluebant, ità & omnes, quidquid in ſuis neceſſitatibus poſtulabant, feliciter impetrabant. Qui hæc fuſiùs ſcire voluerit, hiſtorias adeat, ego ad meum inſtitutum greſſus recipio. In hac urbe Jeremiæ corpus multìs annìs quievit, donec tandem famâ miraculorum ejus excitus Alexander Magnus, illud fulmen Macedoniæ, & decus, ac corona ſuæ familiæ, idipſum ingentì pompâ, & apparatu in aliam civitatem tranſtuliſſet. Succinctam rei geſtæ ſeriem S. Dorotheus his verbìs deſcribit: *Alexander Reliquias illius in Alexandriam tranſtulit, & cum gloria circumquaque collocavit.* Ubi fuit collocatum hoc S. Corpus? Alexandriæ, quam invictus ille Perſarum domitor extruxit. Qui, cùm hanc urbem ſuam vellet ſtabili proſperitate florere, eam exornavit oſſibûs tam magni Sancti, ut ipſam, tamquàm pater propitiis ſemper oculìs reſpiceret.

D. Iſidor. lib. de ortu, & obitu Patrum cap. 38.

S. Epiph. in vita Jeremiæ.

D. Doroth. in ſynopſi c. 14. tom. 7.

Ean-

Digitized by Google

Eandem prorsùs ſortem corpus S. Patris noſtri ſubivit, utpote, quod Româ Madritum translatum fuit, ut perpetuis beneficiis hanc urbem cumularet. Optimè proindè hanc nobis gloriam vendicare poſſumus, de qua S. Petrus in quadam Concione Hieroſolymis eſt gloriatus. Noverint univerſi, dixit Princeps Apoſtolorum, magnum illum virum, & Patriarcham, qui Divinæ Majeſtati tantoperè placuit, apud nos eſſe ſepultum: *Patriarcha David defunctus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos.* Non locutus eſt autem, ùt SS. Expoſitores obſervant, de nudo duntaxat ejus monumento, ſed etiam de oſſibus in illo contentis; nam ùt Caſpar ſanchez inquit: *Nisì eſſent in ſepulchro Davidis, nihil probaret argumentum Petri.* Sed quid tandem infert S. Petrus ex eo, quòd Oſſa Davidis in eo loco ſint tumulata, in quo ille hunc ſermonem habuit? Quæritis, quid inferat? Magnam nimirùm urbis illius gloriam, quæ felicitatem habuit poſſidendi corpus tam grandis Patriarchæ, tam eminentis Doctoris, tam ſapientis cathedrarum præſidis: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus*, tam inſignis denique fidei Zelotis, qui non dubitavit vitam ſuam pro defenſione ſuæ Religionis præſentiſſimo diſcrimini exponere, ùt monomachia illa probavit, quâ cum Goliath congreſſus. Hoc itáque corpus tanti viri, ait princeps Apoſtolorum, in noſtra civitate aſſervatur: *Apud nos eſt:* Hæc oſſa urnæ incluſa, de quibus glorior, in monte Sion quieſcunt; vix enim major gloria excogitari poteſt, quàm ſi dicatur, tanti viri Reliquias in hac urbe exiſtere.

Actor 2. v. 29.

Caſp. Sanchez in cap. 2. Act. Apoſt. N. 15. in fine ex mente S. Auguſtini.

2. Reg. 23. v. 8.

1. Reg. 17. v. 26. & 37. & 47. & 46.

Hanc itáque gloriam adepta eſt hæc civitas Catholica, quæ in ſuo gremio corpus tam magni Patriarchæ, huic Arcæ incluſum, poſſidet; habet nunc ſiquidem in ſua poteſtate corpus illius ſancti, qui in ſua vita fuit zeloſiſſimus Redemptor captivorum, glorioſiſſimus novi Ordinis Fundator, Doctor ſapientiſſimus, cui ob doctrinæ præſtantiam Univerſitas Pariſienſis agnomentum *Eminentis* detulit: Conſiliarius prudentiſſimus, ùt Caſtella, & Arragonia teſtantur: Propheta veridicus, qui felicitatem S. Ferdinandi, & ortum S. Thomæ Aquinatis longè anteà prædixit: Politicus adeò conſummatus, & religioſus, ut quamvìs omnium Principum corda ſibi devinxiſſet, humilis tamen ſemper in ſuis oculis permanſerit: Fuit denique, hìc autem peculiarem ſupremi Tribunalis attentionem efflagito, fuit, inquam, ferventiſſimus, & ſanctiſſimus Inquiſitor, qui pro extirpandis perverſarum doctrinarum zizaniis vitam ſuam non ſemel

Eminētiſ. Cardinalis

F. Carolus à SPIRITU S. lib. de Defenſione Eccleſiæ Hiſt Chronol.

S. Joan. de Mat. l. 1. c. 7. N. 179. ibid. l. 2. c. 11. N. 299. & c. 20. N. 410. ibid. l. c. 2. c. 21. N. 429.

Baro in Reſeſtu 1. parte in miraculis S. P. N. Joan. N. 4.

morti audacter objecit; nam cùm Albigenſis hæreſis in provincia Toloſana effreni licentiâ graſſaretur, Innocentius III. eum Inquiſitoris, & Legati Apoſtolici munere auctoratum in illas partes deſtinavit, ut ſuâ doctrinâ hæreticorum veſaniæ intercederet, aut ſua prædicatione fidelium animos ad excindendam eorum pravitatem exhortaretur, & claſſicum belli ſacri caneret. Meritò proindè hoc Auguſtum, & ſupremum Conſilium gloriari, & cum S. Apoſtolo Petro gaudens exclamare poteſt: *Sepulcbrum ejus apud nos eſt.* In hac enim urbe, quam ſupremum Fidei Conſilium ſuâ præſentiâ exornat, aſſervatur corpus ſancti cujusdam Inquiſitioris.

Roſa Laureata triumpho 4. Macedo in vitis S. JOAN. & FEL.

Poſtquàm Rex Jeroboam ab unitate veræ fidei receſſiſſet, populúmque ſuum in eandem ſchismatis colluviem ſecum pertraxiſſet, venit quidam Propheta ex Judæa, ut idololatriæ lolia ſuæ prædicationis ſarculô eradicaret. Fuit autem vir iſte tanti Zeli, ut non formidaverit deſertori Regi impietatem in faciem exprobrare, eique impendentia ſupplicia clariſſimè manifeſtare, & tantæ ſanctitatis, ut arefactum ſacrilegi Regis brachium totô populô inſpectante, & admirante ſolô orationis molagmate reparare potuerit. Adeò denique ab omni lucri, ſive privatæ utilitatis cupiditate abhorrebat, ut quamvìs ſub pollicitatione ingentium præmiorum à Rege ad prandium invitatus fuiſſet, nè guttulam quidem aquæ admittere ſuſtinuerit, tantô ille odiô munera impiorum averſabatur, ut diceret: *Si dederis mibi mediam partem domûs tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto.* Hæc ſanè luculenta ſunt ſigna ferventiſſimi cujusdam Inquiſitoris. Mortuus eſt autem ſanctus iſte Propheta in via, cùm patriam ſuam repeteret, cujus obitus poſtquàm ad aures ſenis cujusdam Prophetæ perveniſſet, illicò ſurrexit, ejúsque cadaver proprio ſepulchro intulit: *Poſuit cadaver ejus in ſepulcbro ſuo.* Quærit nunc Toſtatus, cur ſenex ille Propheta proprietatem hujus exanimis corporis ſibi vendicaverit, dum illud in proprio monumento ſepelivit. *Quare voluit ſepelire virum DEI in loco ſuo?* Aliqui, ùt idem author refert, opinantur hoc factum fuiſſe: *Ad bonorandum eum.* Verùm hæc reſponſio extemporanea objectione convellitur; ſatis námque conſtat, corpus occiſi Prophetæ æquali honore affici potuiſſe, quamvis in alia civitate tumulatum fuiſſet; non erat proindè neceſſarium, ut hac de cauſa in iſto loco ſepeliretur. Magis itáque mihi probatur reſponſio ipſius Toſtati, dicentis, corpus hoc idcir-

3. Reg. 13. à v. 1. usque ad 8.

ibid. v. 30.

Abul. in l. 3. Reg. ſuper c. 13. q. 38.

circò à ſene Propheta in proprio monumento reconditum fuiſſe, ut tam ſanctis Reliquiis domûs ſuæ felicitatem ſtabiliret: *Propter utilitatem*; cùm enim hoc eſſet corpus viri pro ſua fide adeò zeloſi, ut vitam ſuam pro ejus defenſione exponere non dubitaverit, vix aliundè majorem protectionem ſperare potuiſſet, quàm ab oſſibus tam ferventis Inquiſitoris.

Eandem felicitatem hodie conſequitur hoc ſanctum, & ſupremum tribunal. Eâdem fortunâ gaudet hæc regia ſedes Hiſpanici Monarchæ. In Transfiguratione Domini noſtri JESU CHRISTI obſervavi quoddam myſterium. In Protaſi namque, ſive præludio hujus cœleſtis ſpectaculi introducta fuit diſputatio de identitate CHRISTI. Allegabatur imprimìs opinionum varietas, ultimò autem S. Petrus decretoriâ ſententiâ definivit, Eum, de quo controvertebatur, eſſe filium DEI vivi, qui humana carne amictus de cœlo veniſſet ad hunc mundum redimendum: *Tu es CHRISTUS Filius DEI vivi.* (Matth. 16, à v. 14. uſque ad 16.) Hôc præmiſsô S. Evangeliſta Matthæus ſequenti ſtatim capite deſcribit collocationem Divini illius corporis in monte, qui cœleſti ſplendore undíque refulgebat: *In montem excelſum ſeorsùm transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies Ejus ſicut ſol.* (Matth. 17. v. 1. & 2.) Id ipſum prorsùs evenit cum hoc S. Corpore; imprimìs enim declarata fuit ejus identitas à Vicario CHRISTI, & ſucceſſore S. Petri: nunc autem ſubſequitur ejus collocatio in hoc excelſo throno, quia hoc nobis donavit Illuſtriſſimum Capitulum Vaticanum. Hæc per parergon dicta ſunto, ego ad meum propoſitum regredior. Transfiguravit ſe Incarnatus DEUS, adorandum corpus ſuum coruſca luce veſtiendo: *Transfiguratus eſt ante eos.* Audiamus nunc eloquentiſſimum Tertullianum: *Apoſtolos luce aſperſit, & quaſi transfiguravit.* (Tertull. apud Villaroel tom. 1. Tertul. 3. Didaſc. 10. N. 12.) Ipſi quoque diſcipuli participes facti ſunt lucis, quæ ex corpore Divini ſui Magiſtri promicuit. Aſt quales diſcipuli hujus gratiæ participes effecti ſunt? Illi nimirùm, qui in eo monte verſabantur, & CHRISTO vicini erant; ut enim de hoc glorioſo corpore ſupernam lucem participarent, ſufficiebat, in tam felici loco morari.

Hæ ſunt luces, quarum hodie ex præſentia hujus S. Corporis particeps fit noſtra civitas, quæ cùm ſit theatrum, in quo hoc glorioſum corpus cernitur, conſectaneum evadit, ut omnes ejus incolæ hujus lucis fulgore perfruantur, qualiter in Transfiguratione



Digitized by Google

contigiſſe ex Tertulliano oſtendimus : *Luce aſperſit , & quaſi transfiguravit.* Verùm enim verò ex hac ipſa aſſertione ſatìs difficilis exurgit objectio ; etenim in monte Thabor palàm videri potuit Divinum illud corpus in medio ſuæ gloriæ : hìc autem S. hoc Corpus humanos oculos fugit, utpote quod in hac Arca occluſum latet. Ex quo conficitur, quòd, cùm oſſa iſta ſint adeò abſcondita, & occulta , nemo quoque de eorum ſplendore gaudere poſſit. Tam fallax argumentum latini paralogyſmum appellitant. Ego illud ſymbolô quôdam politicô refellam. Petra-Sancta, ut vigilantiam unius principis, & ſolicitudinem pro bono ſubditorum ſuorum exprimeret , quin tamen hæc vigilantia, & ſolicitudo ſtatim cognoſcatur, pinxit ſolem , pellucido jubare ſuo cœlum illuminantem, ſtellas autem in ſuis ſtationibus abſconditas , hac epigraphe adjecta : *Non cernuntur, & adſunt.* Quamvìs videri non poſſint, influere tamen non deſinunt; licèt enim oculis humanìs cerni nequeant, non ideò tamen parciùs ſuos in hunc mundum influxus diſpenſant. Hôc ſymbolô paralogyſmus iſte plenè diſſolvitur. Non eo inficiàs, quòd hæc ſacra oſſa oculis noſtris ſint inacceſſibilia : *Non cernuntur;* ab illis tamen , quamvìs non videantur, ſaluberrimi ìn hanc urbem influxus emanant : *Et adſunt.*

Sylveſt. à Petraſancta l. 7. ſymbol. c. 1.

Hæ námque S. Reliquiæ ratione ſanguinis, quô principales coronas, & familias Europæ attingunt, influunt in noſtras Majeſtates, & Principes, eìſque ſanctas regnandi artes infundunt: Tanquàm Reliquiæ cujusdam ſancti Conſiliarii influunt in omnes Miniſtros, eìſque ſalutaria Conſilia ſuggerunt : Tanquàm Reliquiæ unius S. Inquiſitoris, promittunt huic ſupremo Tribunali ſuum peculiarem influxum in caſibus arduis, & cauſis ſalvificæ fidei noſtræ: Tanquàm Reliquiæ Doctoris eminentis , & ſapientiſſimi Magiſtri infundunt lucem ſtudioſis, ac denique tanquàm Reliquiæ amantiſſimi cujusdam Patris, omnes hujus urbis incolas irradiant, ut Sanctus Patriarcha meus ſe verum hujus civitatis patrem eſſe teſtetur.

Duobûs titulìs Catholica Eccleſia SPIRITUM S. honorat, utpote quem mox appellat *Donum DEI,* mox verò Patrem : *Veni Pater pauperum.* Eſt autem Donum, in quantum nobis mittitur, & eſt Pater, in quantum nos ſuis conſolationibûs recreat. Hos ego nunc titulos SPIRITUS SANCTI ſervata proportione corporì noſtri Sancti applicabo; hoc enim, in quantum nobis mittitur, donum

Eccleſ. in Officio SPIRITUS S. & in ſequent. Miſſæ.

num eſt : ***Donum***, ſed ſpectatis favoribûs , quos toti urbi noſtræ promittit , ***Pater*** eſt. Hoc multò clariùs ex verbis cœleſtis Magiſtri, ad ſuos diſcipulos loquentis , eruemus : ***Vos autem cognoſcetis Eum.*** Quibûs verbis duo ſignificare voluit : primum eſt, quòd Apoſtoli Eum ad hæc usque tempora non cognoverint : alterum eſt, quòd Eum deinceps ſint cognituri : promiſit itáque, hanc Divinam Perſonam ab eis cognoſcendam per experientiam , quam nondum cognoverant per praxim : ***Cognoſcetis Eum.*** Sed quomodò Eum cognoſcent per experientiam ? Hoc nobis idem Dominus verbis ſequentibûs oſtendit : ***Quia apud vos manebit, & in vobis erit.*** Vel ùt ſcribit Cardinalis à S. Sixto : ***Cognoſcetis Eum ex manſione, & perſeverantia.*** Et Cornelius à Lapide : ***Ipſe enim ſuâ præſentiâ in vobis ſuam vim, & operationem exeret, quô fiet, ut Eum cognoſcatis*** ; tam exotica ſiquidem opera, & ſtupenda miracula in vobis operabitur, ut omnes ad Ejus cognitionem perventuri ſitis.

Joan. 14. v. 15.

Cajetan. in Evang. Joan hic.

A Lap. in Evang. Joan hic.

Vix fieri poſſe videtur, ut aptiora verba ad meum propoſitum excogitari queant. Sanctiſſimus Patriarcha meus JOANNES de Matha ante aliquot annos erat adeò ignotus , ut magno labore , ac induſtriâ opus fuerit ad ejus notitiam revocandam, quæ temporum injuriâ, ſi non penitùs obliterata , certè admodùm obſcurata fuit : Cognoſcebatur quidem ab aliquibus , non tamen ab omnibus : nunc autem, dum nos præſentiâ ſui S. Corporis honorat : ***Cognoſcetis eum.*** Jam ex ipſa praxi diſcetis , quantæ virtutis ſit corpus hujus Sancti : Ipſa nunc ejus prodigia vobis declarabunt , quàm pretioſum theſaurum in ejus oſſibus habeatis , cujus dignitatem ex miraculis cognoſcetis , quæ Omnipotens DEUS horum S. Lipſanorum operâ eſt effecturus. Totum iſtud ſatìs mihi clarum eſt, aliud tamen dubium mentem meam vellicat ; ſcire námque diſcuperem, quamdiu S. hoc Corpus ſimus poſſeſſuri ? Perſcrutemur profundiùs Textum allegatum : In iſto ſermone, quô Incarnatus DEUS diſcipulis ſuis adventum SPIRITUS SANCTI promiſit, diſertè addidit , eum inter ipſos manſurum : ***Apud vos manebit, & in vobis erit.*** Sed quamdiu in ipſis eſt perſeveraturus ? Semper, Reſpondet Increata Veritas : ***Ut maneat vobiſcum in æternum.*** Nolite putare , ait quidam Expoſitor , eum certis annorum , aut

Joann. 14. v. 16.



Digitized by Google

Sylveira to. 5. in Evang. l. 7. c. 12. Expoſit. Num. 4. A Lap. ubi ſup. in v. 16.

temporum intervallis ſuam manſionem dimenſurum: ***Non per tres, vel quatuor annos.*** Sed ſemper ſuæ aſſiſtet Eccleſiæ: ***Ut ſemper***, ait Cornelius à Lapide, ***maneat in Eccleſia, ac fidelibus aſſiſtat ùt conſolator in afflictionibus.*** Hac conditione Redemptor mundi divinum ſuum ſpiritum nobis miſit, & eadem ratione nobis Illuſtriſſimum Capitulum Vaticanum nobis miſit donationem hujus S. Corporis: ***Ut perpetuò colantur in Eccleſia Patrum Excalceatorum SSS. TRINITATIS Conventûs Madritenſis.*** Ut perenni ſtatione in hac Eccleſia ſubſiſtat pro ſolatio, & honore iſtius urbis, quatenùs officium Patris largè, ac cumulatè erga illam expleat, quod primum erat punctum, de quo me locuturum promiſi: ***Ecce ego mitto Parentes veſtros.***

# PUNCTUM II.

Hiſtor. Chronol. S. JOANN. de Mat. lib. 2. c. 27. in appendice.

NUnc autem oſtendam, qualiter idem Sanctus ſeſe patrem meæ Diſcalceatæ Familiæ exhibeat. Non eſt, cur me fatigem in coacervandis probationibus hujus aſſertionis, cùm ipſe Sanctus nos alio tempore jam pro filiis ſuis recognoverit. Singulari tamen conſideratione dignum eſt, quòd, ſicut annô milleſimô, ſexcenteſimô, quadrageſimô ſeptimô, Menſe Maji, Dominicâ quartâ poſt Paſcha meæ Excalceatæ Familiæ operâ immemorabilis noſtri Sancti cultus, temporum iniquitate ſepultus, & veterum incuriâ ſuppreſſus, denuò in lucem revocatus, & Apoſtolicis Bullis aſſertus fuit, ità quóque poſt evoluta ſeptuaginta quinque annorum curricula eodem Menſe Maji, & Dominicâ quartâ poſt Paſcha, hac nova venerationis acceſſione cultus ejus lætiùs effloruerit.

Apocal. 6. v. 1. & 2.

***Veni, & vide***, dixit quondam unus ex Apocalypticis ſpiritibus ad S. Joannem Evangeliſtam. Sed quid tandem vidit entheus iſte Apoſtolus? ***Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.*** Si victoriâ jam laureatus fuit: ***Vincens***, cur denuò in arenam deſcendit: ***Exivit***, ut novum triumphum reportaret: ***Ut vinceret?*** Quia non putavit, ſe plenè viciſſe, niſi priori victoriæ alteram innecteret: ***Ad plenam victoriam***, ſcribit doctus quidam calamus, ***alia victoria reſtabat.***

Villarroel to. 2. Tamo-

Ex

Exivit mea S. Religio in certaminis campum, ut contra Promotorem Fidei in judicio contradictorio evinceret immemorabilem cultum noſtri Sancti, ſortéque propitia, quamvìs non ſinè magnis laboribus, & expenſis, victoriam obtinuit: ***Exivit vincens.*** Néque hìc ſuo triumpho acquievit, ſed rursùs copias eduxit, prælium reparavit, & pro Declaratione Identitatis, hujus S. Corporis dimicavit. Porrò quamvìs binis jam vicibûs rejecta, & ad tantas anguſtias redacta fuerit, ut mandatum acceperit de hac cauſa impoſterum ſilendi, ſua tamen animoſitate operculum ſilentii amovit, ac denique longè glorioſiſſimô triumphô Declarationem Identitatis evicit. Quæ res in cauſa fuit, ut Romana Curia meæ Excalceatæ Religioni coronam imponeret: ***Data eſt ei corona.*** Sed illa laudum coronæ renuntians aliud diadema multò pretioſius aucupabatur, donationem nimirùm, & poſſeſſionem S. Corporis. Rursùs itáque in campum prodivit: ***Exivit.*** Sed cur denuò certamini ſe expoſuit, quæ duplici jam laurô victricia tempora redimivit? Ut conſummatam victoriam reportaret, quam ſinè novo prælio obtinere nequibat: ***Ad plenam victoriam alia victoria reſtabat.*** Re igitur in verborum velitationem deducta, palma meæ Religioni ceſſit, poſſeſſione S. Corporis ei adjudicata, atque ſic demùm victoriâ coronata fuit: ***Data eſt ei corona.*** log. 3. Didaſc. 10. N. 6.

Aſt quomodò intelligendum eſt, eam hâc victoriâ coronatam fuiſſe? Quia hâc victoriâ Sanctiſſimus Patriarcha meus nos evidenter ſuos eſſe filios declaravit. Eo tempore, quô mea S. Religio tota virium contentione in id incumbebat, ut immemorabilem cultum ſui S. Patriarchæ evinceret, dignatus eſt S. Pater noſter eam conſolari per quandam imaginem, quæ nunc in ſacello quodam noſtri Collegii Complutenſis religiosè aſſervatur, per hanc enim ſanctiſſimæ vitæ Virginem his verbis eſt affatus: ***Dices meis filiis, ut non dubitent exequi, quod intendunt, quia illud conſequentur.*** ***Meis filiis*** dixit, quando de nobis locutus fuit. Notandum eſt autem; quòd ſanctus Pater meus hæc verba tribûs diſtinctis vicibûs repetierit, ut innueret, magnum myſterium ſub hoc numero latere; tribûs ſiquidem vicibûs pro honore mei præcelſi Patriarchæ dimicavimus. Primò: quando immemorabilem ejus cultum in lucem produximus. Secundò: quando pro aſſerenda identitate ejus S. Corporis pugnavimus. Tertiò denique: quando poſſeſſionem ejus S. Corporis prehenſavimus, cujus collocationem in hoc templo nunc N. Alexander in Chron. Ord. tom. 2. l. 5. c. 9.

nunc celebramus : Cùm verò hæc triplicia ſervitia noſtra, cum triplici filiorum titulo, quô nos inſignivit, tam bellè inter ſe conveniant, ipſe rerum eventus apertiſſimè docet, nos eſſe veros ejus filios, qui germano filiorum affectu in hac ejus gloria nos cingimus tam illuſtri coronâ.

Diverſâ admodùm verborum formulâ uſus eſt Salomon, cùm de Patribus, & filiis loqueretur; filiis enim aſſignavit coronam in
Prov. 17. v. 6. prœmium, & patribus diadema gloriæ: *Corona ſenum filii, & gloria filiorum Patres eorum.* Obſervandum eſt autem, Salomonem magna verborum diverſitate mentem ſuam explicuiſſe; filios námque ſimpliciter nominavit filios, nullô prætereà verbulô adjectô: *Corona ſenum filii:* Sed de patribus differens addidit pronomen, quô eorum poſſeſſionem filiis attribuit: *Patres eorum*, quibûs vocibûs dicere voluit, patres eſſe rem filiorum, aut potiùs filiis proprios : Et ità prorsùs contigit in hac Donatione, quà nobis ſacrum ſancti Parentis noſtri corpus in proprietatem ceſſit. Atque ex tali poſſeſſione patribus quidem accedit ingens gloria, ſed filiis ex paterno ſplendore illuſtris corona, quod etiam, ſi rectè conjicio, doctus Salazar, in hunc locum commentans, dicere voluit:
Ferdin. Salaz. tom. 2. in Proverb. Salom. hic in fine. *Ut patres liberis ſuis ſpendorem afferant, & filii rursùs acceptum ſplendorem in parentes ſuos velut ex quadam reciprocatione refundant.* Nulla ſanè corona illuſtrior meam Trinitariam familiam cingere poſſet, quàm poſſeſſio, & proprietas tam grandis Patriarchæ, qui non minori ſolicitudine nobis nunc exhibet officia patris, quàm noſtra fuerunt deſideria pro ejus poſſeſſione conſequenda.

Arbitror autem, Doctorem gentium, ad Romanos ſcriben-
Ad Rom. 8. v. 23. tem, noſtræ cauſæ patrocinari voluiſſe: *Nos ipſi*, ait Vas Electionis, *primitias ſpiritûs habentes, intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Nos ipſi ſcribit S. Paulus Apoſtolus, qui ſequimur, & habemus primitivam ejus Regulam, & ſpiritum : *Primitias ſpiritûs habentes*, anxiis gemitibûs deſideramus, ut nos pro ſuis filiis declaret : *Adoptionem filiorum expectantes.* Aſt quomodò hæc declaratio fieri de-
A Lap. in Epiſt. ad Rom. hic. bet ? Optimam ejus methodum nobis ſubtile ingenium Cornelii à Lapide ſuggerit : *Dandam eſſe hanc adoptionem, quæ eſt ipſa poſ-*

*poſſeſſio juris, & hæreditatis.* Hæc declaratio, ait, eſt actualis poſſeſſio ipſiſſimi pignoris. Sed quale eſt hoc pignus? Reſpondet ſuprà laudatus Cornelius: *Videlicet redemptio corporis.* Id prorsùs in nobis accidit; nos enim, qui ſequimur, & profitemur primitivam regulam, quâ Spiritus mei S. Patriarchæ noſtram Religionem fundavit: *Primitias ſpiritûs habentes*, gemebamus, & ſuſpirabamus inter nos ipſos: *Inter nos gemimus*, efflictim diſcupientes, ut meus glorioſus Pater nos pro ſuis filiis declararet: *Adoptionem filiorum expectantes.* Sed in quo conſiſtebat hæc declaratio? In poſſeſſione illius pretioſi theſauri, qui tanto tempore occultus fuit: *Eſt ipſa poſſeſſio juris, & hæreditatis.* Conſiſtebat in poſſeſſione ejus S. Corporis, quod ab onere reſtitutionis, & legibus Depoſiti redimere deſiderabamus: *Videlicet redemptio corporis.* Cùm verò nobis hanc poſſeſſionem, & proprietatem contulerit, hôc ipsô factô nos ſuos eſſe filios declaravit, ſeſéque peculiari modo noſtrum Patrem oſtendit.

Eadem nos ratione geſſimus, quâ Sunamitis illa, cujus mentio fit in libris Regum. Hæc gravibûs obſeſſa anguſtiis ob mortem unigeniti filii ſui, quem in ipſo ætatis vere Parcarum ſævities ei abſtulerat, præcipitato itinere ad Eliſeum Prophetam contendit, ut ab eo conſolationem reportaret: *Venit ad virum DEI*, cui illa flebili voce, crebris ſingultibûs interruptâ, totam calamitatis ſuæ ſeriem expoſuit. Eliſeus, ut afflicto ejus cordi levamen conferret, mandavit ſuo vernæ, ut in viam ſe daret, & defunctum puerum reſuſcitaret. Sed illa hoc officiô parùm delinita complexa eſt pedes Sancti Prophetæ: *Apprehendit pedes ejus*, eúmque hîs verbis eſt affata: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te.* DEUM vivum teſtor! quia non elaberis ex manibus meis. Hoc erat ſibi proprietatem ſancti viri arrogare. Sed in quo fundavit jus ſuæ poſſeſſionis? In verbis ejusdem Prophetæ, qui paulò ſuperiùs haud obſcurè indicaverat, ſe ejus ſervitiis admodùm delectari: *Ecce ſedulò in omnibus miniſtrâſti nobis*, vel ùt loquitur Alphonſus Toſtatus: *Diligenter cum magna affectione miniſtrâſti.* Non ſum neſcius, quantâ induſtriâ in meo ſervitio deſudaveris, quin ulli labori, aut expenſis parceres, & probantur mihi majorem in modum obſequia tua. Ex iſtis, ùt ſcholaſtici vocant, præmiſſis intulit pia illa mulier haud abſurdè conſequentiam poſſeſſionis:

4. Reg. 4. v. 25.

Verſ. 27.

Verſ. 30.

Verſ. 13.

Abul. hic quæſt. 19

*Non dimittam te.* Quaſi diceret : Cùm tu ipſe candidè fatearis, me tibi in omnibus officioſam fuiſſe, magnóque zelô tuo ſervitio vacâſſe, æquúmne putares, ſi te nunc dimitterem? Id ego ſanè nunquàm ſum factura, ſed quemadmodùm priùs dixi, ità nunc quóque repeto : *Non dimittam te;* fieri enim non poteſt, ut ego ſinè te ſim. Ità Sunamitis magnum illum Prophetam in ſua vota traxit, & eadem ratione nos urſimus S. Patrem, & Patriarcham meum pro felici ſucceſſu ſpei noſtræ. Non ego iſtud nunc ago, ut prolixo ſermone referam, quantum laboris pro gloria noſtri præcelſi Patriarchæ exantlaverimus, ſatis ſit dixiſſe, ipſum ſanctum Patrem noſtrum per ſuam imaginem id confeſſum fuiſſe. Hôc modô nonnulli noſtrorum glorioſiſſimum Patriarcham noſtrum prehenſaverunt, ſed alii ſuos gemitus voci ſponſæ conformabant, ejúsque verbîs ad S. P. N. ſuſpirabant.

Cant. 8. v. 1. *Quis mihi det, ut inveniam te foris, & deoſculer te.* Verſio Arabica legit : *Cùm invenero te extra, oſculabor te.* Sed amabò, cujus eſt vox iſta? Liligeræ Virginis DEI Matris MARIÆ, reſpondet Cornelius, ſuum adorandum filium alloquentis. Aſſervabatur ille ſub forma Depoſiti in eburnea Arca uteri virginei, quem proindè ardentiſſimîs ſuſpiriis pretioſiſſima illa orbis terrarum margarita identidem obſecrabat, ut leges Depoſiti ſolvens foras prodire dignaretur : *Inveniam te foris,* quatenùs ejus mellitiſſimo corpori ſua roſea labia imprimere poſſet : *Et deoſculer te.* O Illuſtriſſime Pater, & Patriarcha, qui Tuæ Excalceatæ Familiæ hunc favorem præſtitiſti, quem ſponſa quondam tam flagrante cupiditate ambivit, liceat mihi hæc eadem verba tuæ hodiernæ feſtivitati accomodare, ut paternus amor tuus erga illam clariùs, evidentiúsque eluceſcat.

A Lap. in Cant. in 3. ſenſ. congruentiùs ad ſenſum literalem hanc vocem tribuas B. Virgini ad Filium.

Primum, quod amoris telô ſaucia ſponſa poſtulavit, erat Donatio : *Quis mihi det te.* Quis mihi tribuat, ut tu ſis meus, Hanc Donationem tam cumulatè conſecuti ſumus, ut videri poſſit, eam à nobis per ſupplicem hujus ſponſæ libellum obtentam fuiſſe. Sed cedò, quid factura es, ubi eum habueris : *Ut inveniam te foris, & deoſculer te.* Ut à legibus Depoſiti ſolutum te dulciſſimîs oſculis exbaſiare valeam. Grande ſolatium! Anne hoc nobis non ſit magno honori? Hôc ſolatiô perfruiti ſumus, quando rumpebantur ſigilla Depoſiti, ut ſacra oſſa in hac Arca colloca-

ren-

Digitized by Google

rentur, quo tempore omnibus nobis obtigit felicitas illa videndi, quæ candore ſuo nives ſuperabant. Hoc perfruiti ſumus, quando nobis conceſſa fuit gratia ſanctiſſimum caput ejus in manibus Domini Nuncii Apoſtolici exoſculandi: Hôc ſolatiô delibuti ſumus, quando noſtris manibûs roſaria, & imagines tetigimus: Hôc denique plenè perfuſi ſumus, quando ad literam cum ſponſa dicere potuimus, *Apprehendam te, & introducam te in domum matris meæ*: Hac námque veneratione perfuncti collocavimus eum in domo ſua, quæ eſt domus matris meæ. Cant. 8. v. 2.

Aptè mihi nunc in mentem venit ingenioſum quoddam ſymbolum, quod citra ullam adulationis notam mirè ad propoſitum meum facit. Doctus quidam ſolem depinxit nondum quidem in ſuo throno (quem Aſtrologi Zenit appellitant) conſtitutum, rapido tamen curſu per Zodiacum eò tendentem, cujus picturæ myſterium hoc lemmate detexit: ***Nondum in auge.*** Nondum ad ſummum ſplendoris verticem aſcendit. Hoc ſymbolum hodie immutandum eſt, quia præſentis feſtivitatis ratio id exigit, ſicut Carolus V. Romanorum Imperator illam Herculis epigraphen mutavit: *Non plùs ultrà*; huic enim, ut majorem ei gloriam adderet, verbulum *Non* ſubtraxit. Ad eundem planè modum mihi cum priore ſymbolo agendum eſt, ſi per illud gloriam meæ S. Religionis, quam ex poſſeſſione, & præſentia corporis ſui ſancti Fundatoris eſt conſecuta, explicare velim. Scripſit ibi ſubtilis ille calamus: ***Nondum in auge.*** Auferatur itáque hodie adverbium: ***Nondum***, reliquis retentis, quæ nobis apertè dicent; meam Excalceatam Religionem Trinitariam jam perveniſſe ad ſuum *Auge*, quia poſſeſſionem corporis ſui glorioſi Patriarchæ obtinuit. Sylveſter à Petra ſancta de ſymbol. hierogl. l. 1. c. 3.

Hæc ſanè maxima eſt gloria noſtræ Trinitariæ Familiæ, ſimúlque ſignum irrefragabile ſummæ dignationis mei S. Patris JOANNIS de Matha erga illam, qui cùm tot clariſſimis Familiis abundet, quot in Gallia, & Hiſpania paſſim cernuntur, omnibûs illis prætermitis meam Excalceatam Familiam præ illis ſacri Corporis ſui præſentiâ nobilitare voluit; hæc amoris prærogativa in iſta Donatione ſole clariùs elucеſcit; hujus námque operâ publicæ venerationis cultum rursùs aſſumpſit, mundóque ſimul ſpectandum propoſuit, quan-



Digitized by Google

ta dilectione meam Diſcalceatam Religionem proſequatur: nemo tamen miretur; filii enim quantò ſunt minores, tantò efficaciùs patris affectum ad ſe rapiunt, quin proptereà aliorum filiorum merita deſpicatui habeantur.

Eo tempore, quô Diviniſſimus Salvator noſter glorioſè à mortuis reſurrexit ſeraphica Magdalena conata eſt ſua purpurea labra, niveáſque manus Ejus adorando Corpori admovere. Sed repulſam tulit, ſuíſque deſideriîs fruſtrata fuit: *Noli me tangere.* Sed cur hæc ſanctiſſima fœmina à contactu illius pretioſiſſimi corporis rejecta fuit, de qua ipſe CHRISTUS teſtatus fuit, eam ardentiſſimo amore in ſuum Patrem, & magiſtrum ferri: *Dilexit multùm.* Creſcit admiratio, ſi conſideretur, qualiter reliquæ mulieres, ùt S. Matthæus ſcribit, quæ à ſepulchro digreſſæ ad Apoſtolos properabant, Divinæ Anaſtaſis deſideratiſſimum nuntium apportaturæ, non ſolùm CHRISTUM obvium habuerint: *Occurrit illis*, Sed etiam ad ejus tactum admiſſæ fuerint: *Acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus.* Quæ verba Cornelius à Lapide ità exponit: *Complexæ ſunt, conſtrinxerunt, & oſculatæ ſunt.* Dulciſſimo amplexu Ejus adorandos pedes ſtrinxerunt, illóſque mellitiſſimîs baſiîs diſſuaviantes deciduîs oculorum margaritîs condecorârunt. Omnium iſtorum favorum Magdalena expers manſit, utpote, quæ Eum tangere non fuit permiſſa, nec etiam huic actui adſtitit, quemadmodùm doctiſſimus Cardinalis Toletus ſcribit: *Nec ante, nec poſt cum cæteris mulieribus Magdalena tetigit Dominum.* Cur iſtud? nemini puto dubium, Magdalenam inter illas fœminas ſeniorem fuiſſe: certum pariter habeo, id non accidiſſe ex defectu meritorum, & amoris erga ſuum patrem, & Magiſtrum: Si autem nihil horum eam ab hac gratia præpedivit, cur ei favor iſte negatus fuit? Nulla profectò alia cauſa excogitari poterit, quàm quòd Diviniſſimus Redemptor noſter aliis illis mulieribus hoc peculiare amoris indicium exhibere voluerit. Idem prorsùs ſentiendum eſt de Donatione hujus S. Corporis in favorem noſtræ Diſcalceatæ Familiæ facta.

Joann. 20. v. 17. — Luc. 7. v. 47. — Matth. 28. v. 9. — A Lapide hîc in Matth. — Tolet. in Joan. ſup. cap. 20. annot. 13.

Renovata eſt hìc celeberrima illa lis, quam deſcribit Ovidius, & cujus mentionem facit Areſius. Expugnatâ Trojâ orta eſt acerrima verbivelitatio inter duos græcorum Duces, diſcipulos Martis, & alumnos Bellonæ, inter Ajacem nimirùm, & Ulyſſem de armis famigeratiſſimi illius Achillis, quorum poſſeſſionem uterque ſibi ven-

Ovid. l. 2. Metam. c. 13. Areſius de tribulatione lect. 14. idiomate Italo.

vendicabat. Controverſiâ ad judices delatâ, quamvìs omnes, ùt par erat, merita Ajacis ſuſpexerint, cauſam tamen in favorem Ulyſſis deciderunt. Hæc eſt accuratiſſima quædam imago noſtri beneficii, quô nobis arma adjudicata fuerunt, quibûs ſanctiſſimus Patriarcha meus in vita ſua adversùs totam Erebi potentiam decertavit. Hôc beneficiô, quô nobis S. Corpus ejus obtigit, nos tamquàm Pater reſpicit, non ſolûm autem nos, ſed etiam omnes hujus urbis incolas, quia hodie omnium pater eſſe videtur: ***Ecce ego mitto Parentes veſtros.***

Poſtquàm ſacrum ſancti Bartholomæi corpus nutu divino per immenſos pelagi tractus ad Liparitanam Inſulam delatum fuit, Agatho vir ſanctiſſimus, ejusque loci Epiſcopus, Divina Revelatione admonitus, ad litus maris conceſſit, vidénsque loculum ad continentem jam appulſum ſumma voce exclamavit: Benè veneris glorioſe ſancte, ut ſecurum portum illis præberes, qui in procelloſis hujus mundi fluctibus navigamus? ***Benè, quod huc veniſti, ùt portus ſalutaris ad eos, qui pelagi fluctibûs periculosîs agitamur!.... Veni, & animas noſtras irriga! affectuum noſtrorum fervorem reprime! cordium januas patefactas gratiarum tuarum muneribûs repleas! Hoc à te Liparis Inſula ſupplex petit, quam habitare feliciter voluiſti!*** Iisdem ego Te nunc verbis mi glorioſe Patriarcha alloquor, quibus Agatho Epiſcopus ſancti Bartholomæi corpus eſt affatus, eadémque tibi integrè conſecro! Veni diu deſiderate ad hunc thronum occupandum, qui totus eſt tuus. Veni ad erudiendam hanc urbem! veni ad exercenda officia patris in ea! Veni ad illuſtrandos noſtros Reges, & Principes Catholicos! Veni, ut grata vice huic Auguſto Senatui ſuam erga te benevolentiam compenſes, quandoquidem iſte ſuís expensís hodiernam tibi feſtivitatem adornat. Supremum fidei tribunal eſt, quod te veneratur! Scopus ejus Venerationis eſt corpus S. cujusdam Inquiſitoris! Tu itáque, mi glorioſe ſancte, qui virtutum prærogativâ Inquiſitor eſſe meruiſti, habeto tibi commendatum hoc auguſtum, & ſupremum Fidei Tribunal! Hanc tibi ſupplicationem regia Curia porrigit, quam tuâ publicâ præſentiâ honoras: ***Hoc à te curia regia ſupplex petit, quam habitare feliciter voluiſti.*** Ut hujus S. Corporis tui adminiculô digni efficiamur tuô patrociniô, téque pro nobis intercedente obtineamus lucem pro intellectu, flam-

Surius tom. 3. in Menſe Auguſti die 23. in Laudat. S. Bartholom. N. 8.



Digitized by Google

flammam pro voluntate, commiſerationem erga captivos, ut tua ope miſeri compediti deſideratæ libertati reſtituantur! Incende voluntatem tuæ charitatis ardore! Illuſtra intellectum lumine tuæ ſapientiæ! ſentiant denique omnes tuum patrocinium, quotquot te in Arca venerantur, ut tua interceſſio ſit nobis tubus gratiæ, donec eam plenè conſequamur in gloria. *Ad quam nos perducat Beatiſſima TRINITAS.* Amen.

Hæc inſignis, facunda, & erudita Concio totius Auditorii plauſum tulit, nec dubitare fas eſt, eloquentiſſimum noſtrum Eccleſiaſten promeritum fuiſſe, ut ab omnibus ſibi illud elogium, ex epiſtolis S. Petri Damiani depromptum, acclamaretur: *Eo genere nec excogitari prudentiùs, aut diſputari acutiùs, aut certiùs definiri, ſtatuique poſſit.* Continuata deindè fuit ſolemnitas in ſeram usque veſperam, immensâ hominum turbâ affluente, quæ non ſolùm ad hanc feſtivitatem ſpectandam, ſed etiam (erat quippe dies Veneris) ad prodigioſam imaginem JESUS Nazareni venerandam convenerat. Noctu totus Conventus noſter illuminatus fuit, campanis feſto tinnitu devotorum corda ad ſequentis diei celebritatem invitantibûs.

S. Pet. Dam. Epiſt. 5. c. 6.

# CAPUT XIII.

## *Deſcriptio ſexta feſtivitatis, quæ celebrata fuit nonâ Maji, die Sabbati.*

SExtus iſte dies in ordine harum feſtivitatum maximum nobis peperit gaudium; nam cùm eſſet Sabbatum, egit ſymbolum noſtræ quietis. Hanc diem illuſtrem reddidit devotio Excellentiſſimorum Dominorum Ducum de Medina Cœli, Patronorum hujus noſtri Conventûs Madritenſis, quorum generoſæ munificentiæ debentur præcipui ſplendores, quibûs hæ feſtivitates refulſerunt.

Quantò princeps aliquis eſt nobilior, tantò profundiùs ſe plerúmque demittit pro favore parvorum. Idem fecit nobiliſſima proſapia Illuſtriſſimæ Domûs de Cerda, cujus clariſſimus ſanguis, quamvìs jam ad ſolia aliquando exaltatus fuerit, nihilominùs noſtram tenuitatem non faſtidivit, ſed eam potiùs generis ſui ſplendore ſpectabilem reddidit. Dominus hujus diei eſt Saturnus, cujus influxus in fertilitatem, & fructus tendunt, ut proindè nobis copioſam, & abun-

Digitized by Google

abundantem favorum meſſem, in tam fœcundo honorum campo polliceri potuerimus.

Hac die ſolemni ritu, ſummáque pompâ ad aras operatus eſt, multùm Reverendus P. F. Joannes à S. Calixto, Provincialis Andaluſiæ, ſive Provinciæ Transfigurationis: Concionem verò habuit multùm Reverendus P. F. Michaël à S. Stephano, emeritus Miniſter noſtri Conventûs Socuellamenſis, & Collegii Solanenſis. Singuli ejus paragraphi fuerunt elogia, & conceptus fulmina, qui ſubtilitate ſui ſermonis grandem ſibi exiſtimationem conciliavit, ſed nè ambitioſo verborum ſyrmate ejus laudibus velificare videar, propria ejus Concio pro ipſo loquatur.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam ſexta die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum ex ſuperiore loco propoſuit multùm R. P. F. Michaël à S. Stephano, emeritus Miniſter noſtri Conventûs Socuellamenſis, & Collegii Solanenſis.*

Hæc feſtivitas ſtetit expenſis Excellentiſſimorum Dominorum Ducum de Medina Cœli.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos . . . Eſtote ergo prudentes. *Sequent. S. Evang. ſecundùm Matthæum cap.* 10. *v.* 16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sequent. S. Evangel. ſecundùm Joannem cap.* 6.

## SALUTATIO.

Sicut dulcis eſt illa tyrannis, quando bonum ob nimiam ſuam multitudinem animum irritat, ità quóque grata eſt illa crudelitas, quando mens inſolitæ cujusdam felicitatis eventu cruciatur. Dantur lucra adeò nobilia, ut ſola ſpes eorum totum ſpiritum ex-

Digitized by Google

exhilaret, ipſa verò poſſeſſiò animam dulciſſimo quodam gaudiorum nectare inebriet. Bone DEUS! quàm myſticæ circumſtantiæ in hoc tam magnifico cultu concurrunt! Quænam ſenſuum faſcinatio eſt iſta, quæ dulci violentiâ admirationem in hoc ſacro templo ſuſpendit? Quænam ſunt æreæ illæ linguæ, quæ in iſto theatro reſonant, ſuáque echo auribus dulciter adulantur? Quænam ſunt illæ campanæ, quæ in linguas converſæ tam ſuaviter, & jucundè tinniunt, Divinòque impulſu agitatæ gloriam mei S. Patriarchæ divulgant? Nova hæc, & exotica quibusdam videbitur interrogatio, ſed reſponſio ſuô non vacat myſteriò; campanæ ſiquidem, de quibus loquor, ſunt illæ, quæ in meo Conventu S. Caroli Romæ pendent. Quod ſi autem Divina Providentia diſpoſuit, ut earum echo ab aliquibus non audiretur, ſimul tamen etiam decrevit, ut earum ſonitus latè emanaret. Res in hunc modum geſta eſt. Nocte illius auſpicati furti, quod ſi culpa fuit, felix nominari debet: *Felix culpa*, illius nobilis delicti, illiúsque generoſi auſi, quod origo fuit hujus inſignis triumphi, & cauſa, cur nunc corpus mei S. Patriarchæ tamquàm rem propriam veneremur: *Per quam habuimus Redemptorem.* Nocte, inquam, illa, cùm altò ſilentiô omnia horrerent: *Dum ſilentium tenerent omnia*, cùm incolæ urbis Romanæ profundo ſomno immerſi nihil minùs ſuſpicarentur, Campanæ mei Conventûs S. Caroli ultrò inſonuerunt, quia ante illum tranſierunt, qui corpus mei S. Patriarchæ, furtô ablatum, portabant. Hinc ortus eſt prodigioſus ille campanarum tinnitus, qui audientes in ſtuporem dabat, quin tamen hoc miraculum, quod aures extraneorum implevit, ſuffeciſſet ad excitandos Religioſos hujus Conventûs. Nulla in hoc ſomno culpa fuit, utpote quem Divina Providentia non ſinè myſterio eis immiſit; quodſi enim campanas audiviſſent, é veſtigio ſubſecuta fuiſſet inquiſitio hujus miraculi, & proclamatio ejusdem, quâ facilè hoc felix furtum manifeſtari potuiſſet, quò patefactô, & detectô mea S. Religio tam pretioſô theſaurô, ipſe autem theſaurus debita veneratione caruiſſet. Cùm verò Divina Majeſtas decreviſſet, ut S. hoc pignus in manus meæ Excalceatæ Familiæ veniret, reliquit incolas illius cænobii in Morphei amplexibus, quatenùs eorum ſomnus modernæ felicitati noſtræ obſtetricaretur,

Eccleſ. in offic. ad S. Lumen.

Ibid.

Sapient. 18. v. 15.

Cant. 3. v. 2. & 5.

*Ne ſuſcitetis dilectam, neque evigilare faciatis, donec ipſa velit.* Dixit Divinus ſponſus. Certum habeo, hæc verba in amo-

amoris officina procuſa fuiſſe, ſolùm itáque ſponſæ ſomnum nunc conſiderabo. Quomodò fieri potuit, ut anima hæc tantò amoris incendiô flammida tam alto ſopori indulgeret? Paulò antè vigili curâ urbem percurſaverat: ***Per vicos, & plateas.*** Nunc in utramque aurem ſtertit! Undè eſt iſtud? Indè nimirùm, quòd priùs anxiis deſideriis dilectum ſuum indagaverit: ***Num, quem diligit anima mea, vidiſtis:*** Nunc autem eô jam inventô ſui ſecura quieſcit: ***Inveni, quem diligit anima mea:*** & quem vigilans laborioſè quærebat, eum tunc dormiens tamquàm rem propriam poſſidebat: ***Tenui eum, nec dimittam.*** Anxietates itáque vigilantis convertit ſponſus in delicias dormientis: ***Neque evigilare faciatis,*** ut eam in tranquilla poſſeſſione inventi ſui gaudii relinqueret.

Ipſa quoque mea Excalceata Religio aliquo tempore dormivit. Sed quid, dixi, dormivit? non enim illa dormivit, ſed ſomnum adeò profundum ſimulavit, ut plurimìs ictibûs, quibûs vocabatur, ſe excitari non permiſerit, donec ipſa evigilare voluerit: ***Donec ipſa velit.*** Jam voluit excitari, quia jam audivit campanarum ſonitum! Jam expergefacta fuit de ſomno ſuo, ut gauderet poſſeſſione pignoris illius, cujus potiundi ſpe lactabatur. Gaudet enim verò nunc tanta felicitate, quia corpus ſui magni Patris, & Patriarchæ, cui dudum aram ſui pectoris conſecravit, nunc in altari hujus regii throni collocatum videt, cujus nobilis collocationis circumſtantias adumbratas invenio in illo exquiſitiſſimi operis throno, quem Rex Salomon pro expreſſione ſui amoris architectatus fuerat: ***Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.*** Legionenſis affirmat, hoc ferculum thronum fuiſſe: ***Thronum.*** Caſſiodorus hoc nomen pro menſa convivii accipit: ***Torum convivalem.*** Originale Hebræum id vocat. ***Lecticam, Mittah,*** quod in lingua latina idem ſonat, ***ac ſedes, aut lectica geſtatoria:*** Erat autem hoc ferculum inſtratum molli pulvinari: ***In qua pulvinar ſtratum erat*** (a) ***In quo reclinabatur corpus intra ipſum ferculum, & lecticam geſtatoriam.*** Porrò hæc pulvinaria, ſive reclinatoria, ùt Ambroſius Calepinus teſtatur, erant urnæ, aut parvi lecti, diis conſecrati, in quibus collocabantur, & reclinabantur eorum ſimulacra: ***Pulvinaria in templis dicebantur lectuli, diis dicati, in***

Cant. 3. v. 9.
Legion. & Caſſiod. apud ſalazar. in c. 3. Cantic. Lectio Hebræa Mittah, id eſt, Lecticam, etiam apud ſalazar, in cap. 5. cant. Giſler in cant. cap. 3. v. 9.
(a) Giſler ibid.
Ambros. calep. verbò: Pulvinar

*in quibus illorum ſimulacra ſolebant reclinare.* Alii dicunt, ſub nomine ferculi illius deſignatum fuiſſe *Currum triumphalem.* S. Gregorius Papa affirmat, hoc ferculum fuiſſe quoddam inſtrumentum pro dapibus menſæ inferendis. *Inſtrumentum, quô deferuntur dapes*: Dapes autem, ùt Feſtus perhibet, apud veteres ſignificabant rem quandam divinam: *Daps apud antiquos dicebatur res divina*: Erat ſplendidum vehiculum, in quo opimæ hoſtium manubiæ ſummâ pompâ deferebantur: *Geſtamen pompaticum, in quo deferuntur ſpolia.* Totum autem hunc majeſtaticum apparatum Salomon in hunc finem conſtruxit, ut in illo adoratum ſuum pignus collocaretur: *Chariſſimæ ſponſæ ferendæ, ſeu collocandæ dicavit.*

S. Greg. Pap. apud Caſſiod. & Bedam. Feſt. apud Calep. verbô: Dapes. Gisler cap. 3. in cant. Soto Major apud la Haye.

Novus iſte, & peregrinus ornatus eſt exactiſſima imago hujus religioſæ feſtivitatis; totus námque collocationi Corporis mei S. Patriarchæ congruit. Libet id ſingillatim oſtendere. Structura illius prodigioſi ferculi fuit idea Salomonis: *Fecit Rex Salomon.* Erat autem Salomon vir omnium ſapientiſſimus, quotquot in mundo vixerunt: *Ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te reſurrecturus ſit.* Structura quóque hujus admirabilis ornatûs eſt idea novi cujusdam Salomonis, qui meam S. Religionem illuſtrat. Salomon grandi ſapientiâ architectatus eſt thronum: *Fecit thronum* tam artificioſè formatum, ut ſimul etiam eſſet menſa convivalis: *Torum convivalem.* Et eodem tempore, quô in hoc throno collocabatur Corpus mei S. Patriarchæ, ſimul etiam præparata fuit menſa Auguſtiſſimi Sacramenti, cibi non minùs myſtici, quàm Divini, de quo S. Auguſtinus ſcribit: *Ipſe eſt convivium, & conviva,* quaſi Euchariſticum Corpus cœleſtis Redemptoris invitaret triumphale corpus Redemptoris cujusdam terreſtris. Memoratum illud ferculum erat juxta Lectionem Hebraicam: *Lectica, Cathedra, aut lectica geſtatoria.* Sub diverſis conſiderationibus erat uno eodémque tempore thronus & cathedra; cùm enim cathedra ſit theatrum laborioſarum defatigationum, & thronus ſit ſcena honorifica applauſuum, dignum & juſtum eſt, ut tranſeat ad applauſus throni, qui ſudavit inter labores cathedræ: Cùm verò meus S. Patriarchà eam tantâ vigilantiâ, & ſapientiâ Pariſiis gubernaverit, ſacrum ejus corpus pro captanda poſt tot labores quiete in hoc regio throno jure meritiſſimo collocatur.

3. Reg. 3. v. 12.

Tro-

Thronus iſte in parte interiori pulvinari inſtratus erat: ***Pulvinar ſtratum erat.*** ***In quo reclinabatur corpus intra ipſum ferculum, & lecticam geſtatoriam.*** Quamvìs autem hiſce verbis ſatìs clarè deſignetur Arca, in qua Corpus mei S. Patriarchæ reclinatum quieſcit, magìs tamen ad propoſitum facit explicatio Calepini, qui de reclinatoriis ſic loquitur: ***Pulvinaria in templis dicebantur lectuli, diis dicati, in quibus illorum ſimulacra ſolebant reclinare;*** in adyto ſiquidem, ſive interioribus hujus ſpectabilis Arcæ, quæ oculis eſt expoſita, latet alia multò pretioſior urna, ſeu lectulus conſecratus non quidem reclinationi fabuloſorum deaſtrorum, ſed oſſium Corporis mei S. Patriarchæ, qui in vita ſua fuit viva imago Divinarum perfectionum. Quemadmodùm autem lapides, quibûs Alexander Magnus interiores partes ſui palatii exornavit, admirabiles dicti fuerunt, quia nativa ſua virtute homines elingues reddebant, aut potiùs, faciebant, ut homines in illis locis obmuteſcerent, ità quóque lapides illi, quibûs ſecundus Alexander absque invidia primi interiora hujus Arcæ, & compendioſi palatii (exigua ſanè ſphæra pro tanto ſole, & anguſta nimis concha pro tam inſigni unione) veſtivit; ſunt tanti pretii, ac præſtantiæ, ut, ſi oculi eorum ſplendorem intueantur, illicò fateri cogantur, eos eſſe admirabiles, quia os ex eorum aſpectu obmuteſcit, cùm nihil eorum dignitati æquale proferre queat.

Erat Currus triumphalis: ***Currum triumphalem;*** in hoc námque regio throno poſt tot annos, quibûs S. hoc Corpus abſconditum jacuerat, nunc palàm triumphat. Erat pariter capſa, ſive inſtrumentum, dapibus inferendis aptum: ***Inſtrumentum, in quo deferuntur dapes. Daps apud antiquos dicebatur res divina;*** Scilicet Corpus mei S. Patriarchæ, quod in illa capſa incluſum aſſervatur, eſt res valdè pretioſa, & pignus Divinum. Erat denique ferculum Salomonis ſumptuoſum quoddam ſolium, in quo manubiæ, hoſtibus ablatæ, magnificentiſſimâ pompâ oſtentabantur: ***Geſtamen pompaticum, in quo deferuntur ſpolia.*** Ipſa quóque hæc urbs Madritenſis admirata eſt incredibilem illam Majeſtatem, & pompam, quâ Corpus mei S. Patriarchæ in ſolemni Proceſſione per vicos, & plateas hujus civitatis circumlatum fuit, cujus ſanè tanta erat magnificentia, ut faciem unius ex nobiliſſimis triumphis, quos Eccleſia unquàm vidit, præſetulerit, in quo hæc ſacra

 oſſa

Digitized by Google

oſſa erant ſpolia, ſive manubiæ, quas nobis meus grandis Patriarcha reliquit, ceu inclyta trophæa difficillimi certaminis, & glorioſiſſimæ victoriæ, quæ mundum in admirationem rapuit.

Totum hunc apparatum dedicaverat Salomon dilectiſſimo ſuo pignori collocando: *Chariſſimæ ſponſæ collocandæ dedicavit.* Et ipſe quóque Salomon meæ S. Religionis hoc majeſtaticum tabernaculum, & hunc regalem thronum dedicavit collocando magneti ſuorum amorum, cynoſuræ ſuæ venerationis, ſcopo ſuarum curarum, centro ſuorum deſideriorum, corpori, inquam, mei magni Patris, & Patriarchæ. Ad hoc centrum ille lineas duxit, ad hunc finem media aptavit, neque à cœpto ſuo priùs deſtitit, donec plenam gloriam conſecutus fuiſſet. Ferculum illud in Canticis erat pro ſponſa thronus, ſed pro Salomone gloria; quamvis enim S. Textus dicat: *Fecit ſibi*, hoc tamen verbulum *ſibi*, ùt doctus Salazar explicat, refertur non ad ejus perſonam, ſed ad ejus affectum, ſive amorem: *Dicendum eſt, ſibi feciſſe, quia ad ipſum pertinebat eum ſponſæ dare*; obligationem námque amoris ſui judicavit conſecrare ſuæ dilectæ illum thronum. Ad eundem planè modum in conteſtationem ſui amoris collocavit noſter Salomon Corpus mei Sancti in iſto ſolio ſuæ dilectæ Religionis Excalceatæ. Maxima demonſtratio ejus amoris eſt, quòd pignus ceſſerit, cui amorem ſuum tam preſsè affixit: dedit pignus, ſed gloriam reſervavit; creditor eſt enim tantæ gloriæ, qui dat rem adeò pretioſam.

Salazar in cap. 3. Cantic.

Majeſtatica illa collocatio, & ſumptuoſa magnificentia celebrata fuit Hieroſolymis: Collocatio autem Corporis mei S. Patriarchæ in hac urbe maximi Monarchæ peracta fuit. Aulici Hieroſolymitani, ut ſui Regis gloriæ applauderent, exhortati ſunt omnes, ut tam mirabile opus aſpicerent: *En lectulum Salomonis.* Mihi quóque, dum gloriam adeò ſingularem mei S. Patriarchæ conſidero, nihil aliud, quòd dicam, in mentem venit, quàm ut omnes ejus pulchritudinem intueantur, nam cùm ejus magnitudinem intellectus explicare nequeat, opus eſt oculos in ſuppetias vocare, quatenùs illi ſua admiratione exprimant, quod lingua tanti ſplendoris Majeſtate preſſa effari non poteſt. Optima proindè methodus hanc gloriam laudandi eſt, aliorum oculos provocare ad illam aſpiciendam: Undè quiſquis eam benè laudare voluerit, eam ſolicitùs oculis undique percurrat, luſtrétque ſingula,

Cant. 3. v. 11.

quæ

Digitized by Google

quæ in hoc templo laudem merentur. Hæc pulchritudo eſt imago quædam cœleſtis gloriæ, in qua non aliæ laudes reſonant, quàm aſpectus. DEUM videre eſt eum laudare; res námque cœleſtis gloriæ non aliter laudari poſſunt, quàm aſpectu.

Cæterùm in hoc Textu meam attentionem peculiariter abripit illud verbulum: *Lectulum*, ſub quo magnum latet myſterium; cùm enim lectus ſit locus quietis, ideò totam gloriam reducit ad lectum. Ipſa quóque mea Excalceata Religio totam quietem ſuam in illo ſacro lecto repoſitam habet. Ibi quieſcunt ejus labores, ibi reſpirant ejus fatigia, ibi ſopitæ ſunt tempeſtates, ibi detumuerunt omnes contradictiones, ibi depoſuit ſuos timores, ibi denique habet omnes ſuas delicias, quia oſſa ſui magni Patriarchæ, quæ in alio loco erant quaſi violenta: *Non eſt pax oſſibus meis*, in hoc ſpecioſo lecto collocata tamquàm in centro ſuo proprio jam requieſcunt. **Pſalm. 37. v. 1.**

De corpore Alexandri Magni refert Ælianus, illud urnæ cryſtallinæ incluſum tribûs diebûs expoſitum fuiſſe publico conſpectui principum, & nobilium græcorum, nec non civium Babylonicorum, ut omnes tanti principis cadaveri debitam venerationem impenderent. In hac quóque pretioſa capſa publicè exponitur Corpus mei S. Patriarchæ, ut principes Hiſpaniæ illud venerentur, ut nobiles illud adorent, & ut tota civitas illud admiretur. Triplicem dierum numerum ejus cultui conſecrant, ut ejus veneratio tantò ſplendidiùs effloreſcat. **Ælian. apud Salian. to. 9**

Huic triumpho augendo devotio nobiliſſimæ Familiæ, Ducum de Medina Cœli, hodiernam feſtivitatem dicavit, (a) qui longa ſerie favores, meæ Excalceatæ Religioni præſtitos, novis favoribûs cumulantes, hujus diei ſolemnitatem meo S. Patriarchæ conſecrârunt, tamquàm victimam ſui erga eum amoris, & ut tantò latiùs ejus gloriam extenderent, ſe inſigni animi demiſſione ad ejus pedes proſtraverunt, quâ ſua humilitate ſe multò magìs nobilitant, quàm hæreditaria ſanguinis claritate, & ſplendore maximorum trophæorum ſuorum. Si nobiliſſima hæc corda interrogemus, quid ſibi videatur de tanta magnificentia hodiernæ feſtivitatis, dicent, id admodùm exiguum eſſe, & debitum tributum ſuæ erga meum S. Patrem obſervantiæ. Sed ſi magnum hunc Sanctum de eadem re percontati fuerimus, reſpondebit nobis, neceſſarium eſſe, ut hanc majeſtaticam pompam amoris prodigalitatem appellet, nè eam exceſsûs damnare cogatur. O quàm jucundum, gratumque ſpectaculum!

**(a) Hoc feſtum celebratum fuit ſumptibûs Excellentiſſimorum DD Ducum de Medina Cœli, Patronorum Conventûs.**

Amator, qui tot expenſas profudit, ſuum obſequium attenuat, & vilipendit, Amatus, cui exhibitum fuit, illud ſuſpicit, & magnificat: Nemo tamen miretur; hæc ſiquidem nobiliſſima corda multò ardentiùs dare deſiderant, quàm alii recipere.

Sitienti Samſoni excitavit Divina Omnipotentia prodigioſum fontem in maxilla aſini: *Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* Aſinus ille erat Onager, de quo Plinius teſtatur, eum tam pertinaci ſiti affligi, ut eam nunquàm plenè reſtinguat, quia pabulatur in terra valdè ſalſa: Ad hanc naturalem onagrorum proprietatem reſpexit regius Pſaltes, quando dixit: *Expectabunt onagri in ſiti ſua.* Non ſibi DEUS hôc miraculô ſatisfecit, ſed ut illuſtriùs eſſet; illud inſigni beneficentiâ coronavit; fonte námque ex arido hoc ore elicito potavit alium ſitientem, quô factô monſtravit, ſuam Divinam generoſitatem majori laborare ſiti dandi, quàm humana avaritia recipiendi. Scaturiat itáque ex ore ſemper ſitibundo fons exundans, ſiquidem humana ſitis poteſt ſedari accipiendô, ſed ſitis Divinæ generoſitatis ſibi ſatisfacere nequit dandô.

Judic. 15. v. 19. Plin. lib. 10. c. 44.

Pſalm. 103. v. 11.

Notetur autem, quòd, cùm hi Excellentiſſimi Principes ſint Patroni hujus S. templi, hôc amoris tributô patrocinium mei ſancti ſolicitent, quæ ſanè prudentia eorum inſigni nobilitati præprimìs congruit. Veteres Romani ex ſupernatibus, infimatibus, aut medioxumis diis aliquem in patronum electuri, priùs accurata diſquiſitione ejus genium, & indolem inveſtigare ſolebant; volebant enim, ut Deus ille, quem in Patronum erant adſcituri, eſſet *Potens*, *Affabilis*, & *promptus*. Et illi quidem valdè prudenter háſce dotes in ſuo patrono deſiderabant; nam ſi potens non fuiſſet, eis patrocinari non valuiſſet: Si verò potens fuiſſet, ſed non affabilis, rurſùs eis exiguum lucrum acceſſiſſet, utpote qui tam moroſo numini ſuas cauſas commendare non præſumpſiſſent: Si autem potens, & affabilis fuiſſet, ſed ſimul etiam lentus, & tardigradus, priùs eorum miſeriæ finem habuiſſent, quàm ejus patrocinium incepiſſet: Omnes autem hæ dotes Patronorum in meo S. Patriarcha inſigniter relucent; eſt námque *Potens*, ut tantis honoribus, & amoris demonſtrationibus dignè reſpondeat. Eſt *Affabilis*, utpote qui placidas, & benignas aures precibus ſuorum clientum ſemper accommodat: Eſt denique etiam *promptus*, quia votis eorum celeri ſubſidiô condeſcendit, Unus ex majoribus favoribus ejus amantis

cor-

Digitized by Google

cordis eſt, quòd ſupplicibus ſuis impetret gratiam, quâ ego maximè indigeo: *Ave MARIA.*

Ecce ego mitto vos in medio luporum. *Matth.* 10. *v.* 16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joan.* 6.

# INTRODUCTIO.

STella polaris hodierni Evangelii minaces quosdam ſcopulos intra ipſos breviſſimi litoris ſui ſinus detegit, utpote quæ paucis verbis multa myſteria comprehendit. Evangelium noſtrum, huic feſtivitati collatum, eſt clariſſima quædam delineatio illius ſtatûs, in quo ſe nunc conſtitutum videt novus iſte mundus Trinitarius. Mittit Apoſtolos, ſicut quondam miſit Prophetas, ad fundandam ſuam primitivam Eccleſiam, quam ad regulas legis ſcriptæ inſtituere voluit: *Ecce ego mitto vos, ſicut olim mittebam Prophetas*, addit ad hæc verba celeberrimus ille Evangelii concordator. Miſit eos, ceu Prælatos Eccleſiæ, ut eam reformarent ad normam legis gratiæ: *Quos conſtitui Prælatos, ac Præſides Eccleſiæ meæ mitto*, ait ſupralaudatus ſcriptor. Huic autem Eccleſiæ, ità reformatæ, & expolitæ theſauri locò promittitur pretioſiſſimum Corpus illius Divini Redemptoris, qui eam ſuo ſanguine fundavit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibûs diebûs usque ad conſumationem ſæculi.* Egit cum ſuis diſcipulis tamquàm cum ſuis amicis, de quorum fidelitate, amore, & præceptorum executione majorem in modum confidebat: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis.* Mittit illos tamquám filios, quibus ex jure hæc cura competebat: *Dedit poteſtatem filios DEI fieri.* Impellit illos tamquàm ſolicitos, ut eorum ſolertiâ, & induſtriâ propoſitum finem aſſequeretur: *Qui perſeveraverit usque in finem.*

Sylveira in Matth. c. 8.

Sylv. ibid.

Matth. 28. v. 20.

Joann. 15. v. 14.

Joann. 1. v. 12.

Matth. 10. v. 22.

Ad hoc itáque tam ſublime negotium perficiundum perrexerunt tamquàm *Amici*, & tamquàm *Filii*, *& hæredes*, idque magna admodùm ſolicitudine: *Qui perſeveraverit.* Quòdnam autem lucrum, aut quem fructum ex hac Divina miſſione retulerunt? Perennem animarum ſalutem: *Salus æterna*, cùm verò ra-

Ad Rom. 8. v. 17.

radix, & principium hujus æternæ ſalutis ſit gratia, hanc mea ſolicitudo in tribus ſtatibus, aut ſub tribus diverſis reſpectibus conſiderat, nempè in ſtatu auxiliantis, juſtificantis, & gloriæ. Status gratiæ auxiliantis, eſt ipſa Donatio gratioſa. Status gratiæ juſtificantis eſt dos filiorum: Status denique gloriæ eſt corona, & præmium ſolicitudinum. Salus proindè æterna nihil eſt aliud, quàm donatio gratioſa, dos ſive hæreditas filiorum, & præmium conſtantium. Sub his tribus reſpectibus donavit omnipotens DEUS Eccleſiæ Catholicæ adorandum Corpus ſui unigeniti Filii, & dulciſſimi Redemptoris noſtri: Ex gratia tamquàm amicis: Ex hæreditate tamquàm filiis, & pro præmio tamquàm ſolicitis. Eodem prorsùs modô gaudet hæc nova Eccleſia Trinitaria proprietate corporis ſui S. Patriarchæ JOANNIS de Matha, utpote quod nobis collatum fuit per donationem ex gratia, per hæreditatem, quæ nobis debetur tamquàm filiis, ex juſtitia, & pro præmio noſtræ ſolicitudinis. Per unumquemque ex hiſce tribus titulis acquiri poteſt poſſeſſio, & proprietas alicujus pignoris: Ego tamen pro gloria meæ Diſcalceatæ Familiæ, per omnes hos tres titulos, qui mihi tria valdè inſignia ſermonis puncta ſuppeditabunt, diſcurram, & ex illis proprietatem hujus ſancti Corporis probabo.

## PUNCTUM I.

DOnatio gratuita, ſive gratioſa, ùt jura loquuntur, eſt traditio gratioſa cujusdam doni, nullo ad rem donatam jure præcedente, quia talis donatio eſt pura liberalitas donantis, quâ dominium ſui doni transfert in recipientem, quin donans rursùs ejus dominium ſibi unquàm arrogare poſſit: *Doni alicujus in alterum collatio, quæ nullo urgente jure, ſed ex mera liberalitate ſit, ea quidem mente, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti.* Et talis fuit donatio corporis mei ſancti Patriarchæ JOANNIS de Matha.

Leg. Senat § Donat. & ibi DD. de Donat. Ambroſ. Calep verbô. Donatio.

Duo námque dantur donationis genera: Primum eſt, quando aliquis dat, ſed nihil propterea amittit, atque hôc modô Altiſſimus DEUS dat cœlis motum, terræ ſtabilitatem, ſoli lucem, brutis vitam, & libertatem hominibus, quin tamen ipſe propterea quidquam amittat; licèt enim hæc omnia donet, dominium tamen eorum penès ſe retinet: Hæc autem donatio, quamvis accipienti ſit valdè proficua, non eſt tamen maxima gloria donantis. Alterum dona-

Digitized by Google

donationis genus eſt, quando donum relinquitur, quod alteri datur: talis verò donatio non ſolùm accipienti eſt utilis, ſed etiam danti valdè glorioſa. Tali donationis genere Incarnatus DEUS ſacratiſſimum Corpus ſuum ſuæ Eccleſiæ donavit.

*Vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* CHRISTUS in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dat vi verborum ſuum ſacrum Corpus, & per concomitantiam (ùt ſcholaſtici loquuntur) ſimul etiam ſuam Divinitatem, & animam; cùm enim Divinitas nunquàm ab hoc Immaculato corpore ſeparata fuerit, conſectaneum evadit, quòd in hac ſacra Hoſtia Divinitas humanitati unita ſit, cúmque corpus illud, quod ſacerdos vi verborum producit, non ſit mortuum, ſed corpus animatum, hinc quamvis verba non devocent animam, ea tamen in ſocietate corporis, quod animat, etiam non vocata deſcendit. Corpus itáque in hoc auguſtiſſimo Sacramento datur *Ex vi verborum*, anima verò, & Divinitas tantùm per concomitantiam, hoc eſt, donum! Videamus nunc, quomodò CHRISTUS id relinquat, quod dat. Vi verborum ſeparatur in hoc Sacramento Corpus à ſanguine, & anima à Divinitate. Corpus autem CHRISTI à Divinitate ſeparatum non eſt filius DEI; nam ſi hoc conſideretur ùt ſeparatum à Divinitate, non eſt DEUS: Quamobrem cùm CHRISTUS *Ex vi verborum* ſolùm det corpus ſuum: *Hoc eſt corpus meum ex vi verborum*, relinquit ſuam animam, & Divinitatem, quæ nobis donat, & quamvìs ob neceſſariam connexionem corporis, animæ, ac Divinitatis ipſum etiam reſervet, id tamen in alium finem non facit, quàm ut hoc rursùm nobis donet: *Accipite.*

Hæc itáque eſt gloria ſingularis donationis; quod ſi enim ſolùm dediſſet corpus cum anima, & Divinitate, magna quidem homini indè utilitas, lucrúmque acceſſiſſet tam multum accipiendô, ſed non fuiſſet tanta gloria donantis, utpote qui nihil reliquiſſet: Ex adverſo autem, ſi CHRISTUS re ipſa animam, & Divinitatem reliquiſſet, magnam quidem gloriam indè reportâſſet, ſed homo una anima, & una perſona cum DEO factus non fuiſſet. Det itáque cum ſuo corpore animam ſimul, & Divinitatem; hoc enim hominibus ſummum emolumentum conferet, & relinquat ſimul eandem animam, & Divinitatem; hoc námque patentiſſimum erit ſui amoris argumentum. Scilicet gloria hujus Divinæ Donationis conſiſtit in dando, & relinquendo idipſum, quod datum fuerat;

 nam

nam animam, & Divinitatem, quam per concomitantiam largitur, vi verborum relinquit.

Hæc Donatio eſt idea hujus religioſi cultûs. Nomen mei S. Patriarchæ trium circiter ſæculorum ſpatiò in ſepulchro oblivionis defoſſum latuit; tanto ſiquidem tempore ſacrum corpus ejus debita veneratione caruit. Ad extremum cùm ardentiſſimus zelus noſter adversùs incuriam prævaluiſſet, cœpit cultus ejus per totam Eccleſiam refloreſcere, nomine illius Romano Breviario inſerto: Sacrum verò corpus ejus injuriâ, & viciſſitudine temporum in manus exterorum devolutum fuit, cujus poſſeſſio ad venerabile Capitulum Vaticanum pertinebat, quod etiam jus ſuum ad hunc theſaurum mordicùs ſemper defendit, donec noſtrîs precibûs flexum, & delinitum, hoc Sacrum Corpus, cujus poſſeſſionem tantâ conſtantiâ ſibi vendicaverat, nobis contuliſſet ſub forma Donationis gratioſæ, quia id ipſum reliquit, quod dedit, quando hoc venerabile corpus nobis donavit, & dominium in meam Excalceatam Religionem tranſtulit, ut ex ipſa Donationis Bulla evidentiſſimè colligitur, cujus verba ità ſonant: ***Suum plenarium præſtitit conſenſum*** (Sub-
Bulla Donat. audi Capitulum Vaticanum) ***Patrésque Trinitarios Excalceatos abſolvit à quocunque onere reſtitutionis, & transportationis ad Eccleſiam S. Thomæ de Formis, ut corpus, aut oſſa S. JOANNIS perpetuò colantur in Eccleſia Conventûs Madritenſis eorundem. Nullo urgente jure, ſed ex mera liberalitate.*** Prodromus tantæ gloriæ erat modeſtia humillimæ ſupplicationis noſtræ; attenta námque noſtra anxia humilitate, humilîque anxietate, conceſſit nobis ſacrum pignus ex gratia; efficaciſſimum ſiquidem remedium pro gratia aliqua obtinenda eſt, non judicare, eam ex merito debitam eſſe.

Cùm S. Petrus Apoſtolus attonitis oculîs immenſam vim piſcium inſpexiſſet, quam unico ſagenæ jactu comprehenderat, confeſtim agnovit authorem tanti beneficii, nempè Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui tunc in navi aderat, ad quem proindè
Luc. 5. v. 8. ille converſus exclamavit: ***Exi à me! quia homo peccator ſum!*** Obſecro Domine, noli diutiùs in hac cymba permanere; ego enim, tot peccatis obſtrictus tantæ Majeſtatis præſentiam haudquaquàm promereor! Sed quid? Forſitan CHRISTUS propterea ab illo receſſit? Minimè gentium, quin imò novos ei favores præſtitit. Aſt undè hoc, cùm ipſe S. Petrus candidè profeſſus ſit, ſe talem gra-

gratiam non mereri ? Ob idipſum. Contemplemur pauliſper felicitatem S. Petri. Fatetur, quòd levidenſis ſua navicula tanto hoſpite ſit prorsùs indigna : CHRISTUS nihilominùs ei ſuæ præſentiæ copiam facit. Petrus dicit, non benè conveniunt in una navi tanta ſanctitas, & tantus peccator : CHRISTUS reſpondit : Debemus convenire in una navi, & in una domo ; hæc námque navis eſt ſymbolum Eccleſiæ, & Petrus tamquàm Pontifex ſupremus debet eſſe dominus illius. Debemus pariter convenire in una menſa, quia cœnabimus ſimul non ſolùm ex eodem catino, ſed eundem etiam bolum, id eſt, Divinum corpus meum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento : Debemus convenire in una cruce, & nè nobis invicem impedimento ſimus, ego diſponam, ut ejus brachiis diversâ formâ affigamur : Debemus capita tegere uno, eodemque tiarâ; infula ſiquidem Pontificatûs mei in tuum verticem tranſibit. Ego in manibus habeo claves vitæ, ac mortis, has ego tibi deinceps tradam, ut ſis dominus omnium theſaurorum meorum ; ille enim, qui ſe adeò humiliat, ut ſe indignum judicet, mecum in una, eadémque navi conſiſtere, meretur, ut meô conſortiô gaudeat in domo, menſa, cœna, cruce, dignitate, & divitiis; humilis ſiquidem ejus modeſtia, quâ ſe tali gratiâ indignum exiſtimavit, me ſuaviter coëgit, ut ei tot, tantóſque favores concederem.

Conſimili ratione etiam humilis ſupplicatio noſtra totam Curiam Romanam noſtris votis inclinavit, effecítque, ut Capitulum S. Petri nobis hunc pretioſum theſaurum donaret, & ut ſacra Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, Congregatio, eam ratam haberet : *Omnia à Capitulo Baſilicæ Vaticanæ geſta approbavit*, ità loquitur Bulla Noſtri Sanctiſſimi Patris Innocentii. Dignum ſanè, & juſtum, ut Curiæ Romanæ applaudamus, eámque veneremur, qua annuente obtinuimus primò S. hoc Corpus ſub forma Depoſiti, hanc gratiam ſubſecuta fuit Declaratio Identitatis, & ut coronidem ſuæ munificentiæ imponeret, ad extremum nobis hoc S. Corpus in proprietatem contulit, nóſque tanti theſauri poſſeſſores effecit ; cùm enim humilis noſtra petitio ei cor rapuerit, totum dedit, quidquid ejus liberalitas meæ S. Religioni dare potuiſſet, quin hæc aliud jus ad hos favores conſequendos habuiſſet, quàm gratiam Curiæ Romanæ.

Quærit Seraphica Maria Magdalena corpus ſui cœleſtis Magiſtri, quod furtô ſublatum crediderat, cúmque in ipſum CHRISTUM, qui hortulani ſchemate perſonatus ei apparuerat, incidiſſet,



Digitized by Google

eum inter luctiſonos amantis ſui cordis gemitus , his verbis compel-
Joann. 20. v. 15. lavit : *Si tu ſuſtuliſti eum , dicito mihi , & ego eum tol-
lam.* Si tu rapacibûs manibûs hoc ſacrum corpus abſtuliſti , dic
ſaltèm locum , in quo hunc theſaurum abſcondiſti , ut eum rursùs
tollere queam , quia proprietas , ſive poſſeſſio hujus corporis ex ju-
ſtitia ad me pertinet. Non ego nunc Magdalenam perſtringere cu-
pio , quæ , ùt videtur , furtum furtô reſarcire voluit ; nam cùm
putaret , hortulanum illud furtô ſurripuiſſe , locum indagavit , in
quo abſconditum fuiſſet , ut eo explorato illud rursùs furaretur :
*Eum tollam* ; non enim dicendum eſt furtum , quando allegatur
juſtitia.

Id ſolùm nôſſe vellem, quibúsnam meritis præfiſa Magdalena
proprietatem tam Divinarum Reliquiarum ſibi arrogaverit ? Omnia
merita , in quibus illa jus ſuum fundabat , non erant alia , quàm
gratia ſibi priùs conceſſa. Duæ ſorores inter ſe diſceptabant , quæ-
nam earum corpore CHRISTI gaudere deberet : Martha ſuas que-
Luc. 10. v. 41. relas prior propoſuit, dicens : *Reliquit me ſolam : dic ergò illi.*
Cæterùm quamvis Martha ſuam cauſam impigrè propugnaverit,
Verſ. 24. ſententia tamen in favorem Magdalenæ prodivit : *Optimam par-
tem elegit.* Sed quibûs meritis tantam felicitatem impetravit? Sa-
Verſ. 39. cer Textus ea his verbis deſignat : *Sedens ſecùs pedes Domini* ,
humilitati intenta , animíque demiſſione ſententiam expectabat :
*Audiebat verbum illius* , cujus modeſtiam CHRISTUS ſuſpexit,
ac propterea hanc controverſiam ad ejus vota definivit : *Opti-
mam partem elegit.* In virtute itáque hujus gratiæ petit nunc
corpus ſui Divini amatoris quasì ex juſtitia ; putabat enim ,
proprietatem hujus corporis ſibi competere ex juſtitia , quod poſſi-
dere inceperat ex pura gratia. Sacra quadam ambitione , & ambi-
tioſo amore prehenſavit mea Religio Excalceata proprietatem Corpo-
ris ſui S. Patriarchæ , quamvis autem non defuerit Martha , quæ
ſuas querelas præſentaret , corpus tamen ceſſit Mariæ , quia mea Di-
ſcalceata Familia hanc gratiam impetravit in prœmium ſuæ humi-
lis , & amore plenæ ſolicitudinis.

Quando hæc regia civitas admirata eſt ſpectabilem illum trium-
phum , ob declaratam Identitatem Corporis mei S. Patriarchæ ador-
natum , jam tunc mea Religio in ſecreto ſui pectoris templo gaudi-
bunda celebravit proprietatem ejuſdem Sacri Corporis: Illi applau-
ſus

Digitized by Google

ſus fuerunt præludia horum feſtorum, & illæ gaudiorum demonſtrationes fuerunt anteambulones iſtius gloriæ; etenim tam palmaria gratia nobis haud obſcurè ſpopondit poſſeſſionem, & proprietatem tam pretioſi unionis.

Puriſſimum illud caſtitatis ſacrarium, Sanctiſſima Virgo MARIA, fuit ter felix illa creatura, quæ prima ſui Creatoris Corpus in ſuo immaculato utero, tamquàm in vivo quodam, & animato cœlo poſſedit: *Concepiſti in utero.* Aſt quænam merita tantæ felicitati viam ſtraverunt? Hæc S. Textus ità exprimit: *Inveniſti enim gratiam*, quia gratiam invenit, ideò poſſeſſione tam pretioſi pignoris aucta fuit. Reſpexit altiſſimus DEUS profundiſſimam humilitatem ſuæ nobiliſſimæ, ac pretioſiſſimæ filiæ MARIÆ, conſideravit ejus ardentiſſima deſideria, quibûs ad poſſeſſionem tanti theſauri anhelavit, & conceſſit ei pignus illud, quod flagrantiſſimus amor hujus Virgineæ roſæ tam efflictim concupivit: *Concipies in utero*, eúmque paries, ut cognoſcat flammidus amor tuus, ſe id poſſidere, quod tam anxiis votis quæſivit. Sed *Ecce*, Vide, ac ſcito, quòd hoc Divino pignore non alia de cauſa ditata fueris, nisì, quia *inveniſti gratiam*; nam quia apud DEUM tantam gratiam inveniſti, ideò tibi hoc pignus quasì ex juſtitia collatum fuit; nunquàm enim tibi hæc gratia deficiet. Luc. 1. v. 30.

Conſideratione digniſſima eſt phraſis illa, quâ Magdalenæ Corpus ſui Divini Magiſtri donatum fuit. Hæc gratia, dixit Incarnatus DEUS, nulla temporum, aut fatorum viciſſitudine ei tolli poterit: *Quæ non auferetur ab ea.* Hæc itáque gratia non fuit explicata aliquô donationis verbulô, ſed promiſſione duntaxat perpetuæ poſſeſſionis: *Quæ non auferetur ab ea.* Hæc propoſitio duos in ſe ſenſus complectitur: primus eſt, quòd non ſit privanda hâc gratiâ ex voluntate, aut mandato illius, à quo eam acceperat. Secundus eſt: quòd nullius violentiâ hæc gratia ei eripi poſſit: ut proindè certa eſſe potuerit, nunquàm ab ſe hanc gratiam amiſſum, aut hanc ſibi ab aliquo ereptum iri: *Quæ non auferetur ab ea*; nunquàm enim Magdalenæ amor ſe tam deſiderato pignore ſpoliari ſuſtinuiſſet, nec munificentiſſimæ CHRISTI largitati conveniſſet, eam donô tantæ gloriæ privare.

Simili prorsùs verborum formulâ explicatur Donatio Corporis mei Sancti; bulla ſiquidem, quæ in hoc negotio expedita fuit,



Digitized by Google

nullam ferè gratuitæ Donationis mentionem facit, ſed tantùm ab onere reſtitutionis nos abſolvit, atque hôc pactô perpetuam ejus poſſeſſionem nobis aſſerit: *Suum præſtitit aſſenſum, Patréſque Trinitarios Excalceatos abſolvit à quocunque onere reſtitutionis, ut oſſa S. JOANNIS perpetuò colantur in Eccleſia Conventûs Madritenſis.* Abſolvere aliquem ab obligatione reſtitutionis, eſt proprietatem ei ità conferre, ut nemo alius rem talem ipſi poſſit eripere: Mandare verò, ut perpetua ejus ſit in loco quodam determinato veneratio, eſt indicium, quòd accipiens rem datam cedere non poſſit: Hæc itáque gratia nobis obtigit, quæ nunquàm nobis tolli poterit: *Non auferetur;* etenim in donatione adeò glorioſa eclypſis beneficentiæ foret, ſi donum non eſſet perpetuum. Qui beneficium ſuum perennare non cupit, tacitè oſtendit, ſe pœnitudine tangi: Aſt generoſus animus putat in debito finiri, quod à liberalitate incipit, undè, quod ſemel dat, nunquàm ampliùs repetit. Indignum quoque foret amore filiórum, ſi illud dimittere poſſemus; non enim ſe compatiuntur tam ſolicitum deſiderium illud poſſidendi, & libertas illud dimittendi.

Bulla Donation.

Poſtquàm ſponſa teneris brachiis ſuum dilectum ſtrinxiſſet, ſolemniter proteſtata eſt, eum nunquàm ab ſe dimittendum eſſe: *Tenui eum, nec dimittam.* Sed in quo fundat ſponſa jus ſuum ad perpetuam poſſeſſionem ſui dilecti? *Nec dimittam?* In duabus rationibus reſpondet Paulus Albinianus, quia nemo ei ſuum dilectum accipiet, & quia ipſa illum nunquàm dimittet. Nemo hunc ei tollet, quia ipsô factô, quòd ſeſe ei ſemel generosè donaverit: *Tenui eum,* omnibus jus abſtulit ſe tantô theſaurô privandi: *Nam neque ipſe diſcedet.* Nec ſponſa eum unquàm relinquet: *Nec ego eum ultra dimiſſura ſum.* Quia magnes erat, & centrum amoris ejus: *Quem diligit anima mea.* Erat ſponſus unicus ſcopus ejus æſtuantium deſideriorum, cujus præſentiâ aliquando caruerat, quamvìs eum ingenti ſolicitudine quæſiviſſet: *Quæſivi illum & non inveni. Ego verò,* addit Soto Major in hunc locum commentans, *tandem feliciter inveni, quem tam diligenter, amanter, & conſtanter quæſivi.* Nunc igitur eum ampliùs dimittere nequit; non enim decuiſſet, ſi tanto affectu, tot laboribûs, & vigiliis ejus perpetuam poſſeſſionem ſibi non peperiſſet,

Cant. 3. v. 4.

Paul. Albin. in cap. 3 Cant.

Cant. 3. v. 1.

Soto Maj. hic.

riſſet, ſed oportebat, ut eô jugiter gauderet, ejúsque dulci ſocietate nunquàm privaretur, imò nè libertatem quidem illum dimittendi haberet: *Non dimittam.*

Pro perpetuo cultu ſui S. Patriarchæ, & pro perenni ſui erga eum amoris teſtimonio mea Religio indefeſſa ſolicitudine poſſeſſionem ejus S. Corporis quæſivit, quam etiam feliciter tandem conſecuta fuit. Exclamat itáque gaudiô offertiſſima: *Tenui eum, nec dimittam.* Jam indepta eſt proprietatem, ad quam tot flammantibûs deſideriis anhelaverat. Nunc autem affectus noſter amoris brachiis hunc ſacrum theſaurum tam tenacitet complectitur, ut hunc nobis nemo eripere, neque nos eum dimittere poſſimus: *Neque ipſe diſcedet, nec ego eum dimiſſura ſum:* quamvis autem Politici pro certo venditent illud celebratum adagium: *Major ex longitudine reverentia.* Quantò enim Princeps aliquis longiùs eſt remotus, tantò minùs ejus defectus pateſcunt, & propterea illi, qui ei ſunt ab obſequio, nil nisì grandia, & mirabilia de eo ſibi imaginantur, quem propiùs notum non habent, undè etiam maximo fervore ejus ſervitio incumbunt: illi enim, qui ſe promiſcuo cunctorum congreſſui negat, tantò majorem authoritatem ſibi conciliat. Aſt licèt in reverentia politica res ità ſe habeat, in cultu tamen, & veneratione Sanctorum aliud uſuvenit; iſtis enim æquale honoris tributum penditur, ſive propiùs, ſive longiùs abſint. Ità vivit noſtra memoria pro cultu mei S. Patriarchæ, voluntas pro affectu, & intellectus pro holocauſto, quamvis ejùs S. Corpori proximè conjuncti ſimus, imò qui hominum oculis ſubductus, & anguſtiis parvi Oratorii incluſus exiguam venerationem recipiebat, nunc omnium oculis expoſitus ſummo honore afficitur, quam ille venerationem fidelitate ſuorum filiorum, tamquàm verorum amicòrum conſecutus eſt.

Veteres Philoſophi veram amicitiam, qualis tunc temporis vigebat, & qualis hiſce temporibûs vigere deberet, hîs verbis definierunt: *Amicus eſt alter ego;* nam in quantum amicus eſt *Ego*, in tantum unum quid eſt cum illo, cujus eſt amicus. Sed in quantum eſt *alter*, in tantum ab amico ſuo differt: ambo tamen ſunt iidem: undè etiam dixit Philoſophus, quòd una eadémque imago duos repræſentet amicos; illi enim, quos vera amicitia tam arctè conjungit, quamvìs in natura duo ſint, ſecundùm tamen exteriorem ſpeciem ſunt unum. Hanc myſticam transformation- Ariſtot. l. 8. Ethic. c. 8. & 11.

tion-

tionem producit, ùt idem Philoſophus docet, amor reciprocus, & ſympathicus; ex mente ſiquidem Ariſtotelis, ille ſolus amici titulum ſibi arrogare poteſt, qui amat, & reciprocè amatur; amat enim talem hominem, qui ſibi neceſſario amore reſpondet ob humorum ſympathiam & ſimilitudinem morum, adeò ut in amore mutuo ille ùt verus amicus laudetur, in quem amor alterius tendit: Undè cùm amor ſit fundamentum amicitiæ, & opera ſint amoris teſtimonia, ex ipſis operibus ſatìs demonſtratus manet amor Excalceatorum Trinitariorum erga ſuum magnum Patrem; hi námque impigris ſuis laboribûs perſpicuò manifeſtârunt fidelitatem ſuorum affectuum, utpote qui tot pugnas, & terrores ſuſtinuerunt, quatenùs ejus ſacra oſſa tam magnifico gloriæ theatro imponere, & in hoc altari collocare poſſent.

Quæſivit ſponſa avidis oculis ſuum dilectum, quem tandem
Cant. 3. v. 1. etiam poſt innumeros labores exantlatos feliciter invenit: *Inveni, quem diligit anima mea.* Sed quibûs modis promerita fuit ſponſa; ut votorum ſuorum compos efficeretur? Mihi ſanè videtur, eam hâc fortunâ privari debuiſſe, quæ inquieta ſua inquiſitione no-
Ibid. ctis quietem turbavit: *In lectulo meo per noctes quæſivi.* Cur igitur nihilominùs ſuum bonæ ſpei promontorium attigit? Dicam? Quia ſponſa ſuum dilectum quæſivit, ut eum majori cultu, & obſequio venerari poſſet: quæſivit eum tamqnàm amica, ad quam
Cant. 2. v. 10. hæc cura pertinebat; *Surge, propera amica mea.* Vix illa hunc titulum inaudiit, dum protinùs ſpretis lecti deliciis, ruptáque quiete alacris conſurrexit, & per vulnera, ac æquantes verbera linguas ſuum ſponſum anxiè quæſivit: *Sponſa ſui dilecti amore vulnerata eum quærit, abjecta proprii lectuli requie, & teneritudine: injurias cuſtodum civitatis parvipendens, dum audit dilectum ſuum dicentem: Surge, propera amica mea:* Quodſi autem ſponſa eum tamquàm amica, & dilecta quæſivit, nemo miretur, poſſeſſionem tam deſiderati pignoris ab ea obtentam fuiſſe: *Vos amici mei eſtis.*

Sylveira tom. 2. in Evang. l. 4. quæſt. 10.

# PUNCTUM II.

SEcundum punctum eſt, quòd proprietas hujus S. Corporis nobis debeatur per hæreditatem ex juſtitia. Durum mihi eſt, & peracerbum in talem neceſſitatem redigi, ut id argumentis probare cogar

Digitized by Google

cogar, quod ab omnibus certum, & indubitatum haberi debuiſſet, nempe meam Excalceatam Religionem eſſe legitimam filiam mei magni Patriarchæ, S. JOANNIS de Matha. Sed cùm noſtrîs temporibûs non defuerit calamus, qui hanc palmarem veritatem in dubium revocaret, neceſſitas mihi incumbit ſuccinctam quandam hujus rei probationem afferendi, ut æquivocatio veritatem non opprimat, aut illi pro excuſatione ſerviat, qui veritatem adeò notoriam in diſceptationem deduxit, ut ex ſolutione hujus controverſiæ nova meæ Religioni laurus effloreſcat. Parùm intereſt, quòd judicia ſe æquivocent, dummodò hæc æquivocatio non officiat venerationi; nam privata alicujus opinio non eſt injuria, quando eſt tributum ſermonis, ſed tunc demùm dicitur injuria, quando eſt pertinacia intellectûs. Venerabilis Reformator meus proceſſit ex Illuſtriſſima, & Religioſiſſima Familia noſtrorum Reverendiſſimorum Patrum Calceatorum, qui ſuâ indefeſsâ induſtriâ effecit, ut hæc Reformatio ex eadem radice per lineam rectam Regulæ primitivæ excreſceret, & in ea antiquus fervor refloreſceret: ut proindè hæc Reformatio hac de cauſa æquè promereatur titulum Religionis antiquæ, ac aliæ Reformationes. In hoc amore filiali vixit ſemper mea Excalceata Familia, ejúſque impulſu gloriam ſui magni Patriarchæ dilatare, & amplificare ſemper contendit. Annô ſeptuageſimô ſextô elapſi ſæculi immemorabilem cultum mei ſancti, illis temporibûs penitùs obliteratum, rursùs in lucem produxit, ejúſque declarationem in judicio Contradictorio evicit, ùt ex Bulla ſedis Apoſtolicæ conſtat, quæ ſolius Excalceatæ Religionis mentionem facit. Hos ſuos glorioſos labores multis deinde annis continuavit, neque priùs cœpto deſtitit, donec poſſeſſionem hujus S. Corporis conſecuta fuiſſet, illúdque publicis aris impoſuiſſet, cujus cultum in iis priùs renovaverat.

Si nulla alia cauſa ſuppeteret, vel ob hanc ſolam, ùt ego mihi perſuaſum habeo, magnus Patriarcha meus nos à numero legitimorum filiorum ſuorum non excluderet; nam cùm filii legitimi potiſſimùm cognoſcantur ex modo procedendi, utpote qui tanquàm vivæ parentum ſuorum imagines omnes eorum perfectiones in ſe complectuntur, & exhibent, meritò mea diſcalceata Familia legitima filia ſui ſancti Patris nominanda eſt, cùm hæc, veluti cryſtallinum quoddam ſpeculum clariſſimè referat candorem ejus innocentiæ, ſplendorem ejus humilitatis, & auſteritatem ejus mortificationis: filii autem, qui Patrem ſuum in omnibus tam accuratè re-

præſentant, ſunt filii legitimi talis patris, & filiorum cognomine digni.

Quamvìs SPIRITUS S. non minùs à PATRE procedat, quàm Verbum Divinum, ſolùm tamen Verbum Filii agnomentum retinet, non item SPIRITUS S.: Cur itáque FILIUS *formaliter, & ex vi ſuæ proceſſionis* eſt, & dicitur filius, cur non etiam SPIRITUS S. filii nomine gaudet? Ratio hujus eſt, quia ſolum Verbum procedit tamquàm filius; quamvìs enim utraque Perſona Divina æqualiter à PATRE procedat, hoc tamen diſcrimen in Earum proceſſione intervenit, quòd Spiritus Sanctus procedat à voluntate: Verbum autem Divinum ab intellectu; cùm verò per intellectum procedat, procedit per generationem, & ideò ex ipſo procedendi modo filius eſt. Sed dum SPIRITUS S. procedit per voluntatem, procedit per proceſſionem, & ideò nec eſt, nec formaliter dici poteſt filius. Cujus rei hæc cauſa datur, quia intellectus, ùt Theologi docent, eſt potentia aſſimilativa: Undè, quando Verbum per intellectum procedit, ex ipſo ſuo procedendi modo eſt imago PATRIS, & ùt talis procedit: Voluntas autem non eſt potentia aſſimilativa, undè etiam SPIRITUS S. qui per illam procedit ſicut imago, neque talis vi ſuæ proceſſionis eſſe poteſt: Cùm verò *ex vi ſuæ proceſſionis* Verbum ſit imago PATRIS: cúmque SPIRITUS S. talis imago non ſit, nec eſſe poſſit, ideò ſolum Verbum, quod eſt imago PATRIS, & in quo omnes perfectiones PATRIS tanquàm in imagine Ejus repræſentantur, hac ipſa de cauſa, quòd ſit tam exacta imago ſui æterni PATRIS, eſt, vocaríque debet legitimus filius.

S. Chryſoſt. homil. de Elia.

Huc reſpexit aureum Chriſtianæ eloquentiæ flumen, S. Joannes Chryſoſtomus, quando in Eliſeo ſpiritum Eliæ conſiderans dixit, duos tunc fuiſſe Elias eodem tempore: *Erat duplex Elias ille, & ſursùm Elias, & deorsùm Elias.* Unus in aëre alter in terra: unus in polo, alter in ſolo: unus in curru igneo, & alter in ſpiritu Eliæ: unus Elias tanquàm pater, & alter Elias repræſentatus in illo tanquàm filius; cùm enim Eliſeus ad vivum referret ſpiritum Eliæ, tanta æquivocatio Patrem inter, & filium exorta eſt, ut oculi duos Elias viderent: Unum Eliam, quem tanquàm patrem exhibebat filius, & alium Eliam, qui tanquàm filius repræſentabatur in Patre: *Et ſursùm Elias & deorsùm Elias.*

Cùm itáque modus procedendi ſit efficaciſſima ratio filios legitimos probandi, placet paulisper depingere modum procedendi, qui teſti-

teſtimonium perhibebit, noſtræ Excalceatæ Religionis alumnos eſſe legitimos filios mei magni Patriarchæ: *Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.* Pacifici, ait Increata Veritas, gaudebunt glorioſô titulô filiorum DEI. Aſt quínam ſunt illi felices? Reſpondet S. Hilarius: *Qui injurias facilè condonant, ac remittunt.* Sed cùm mea Religio nihil habuerit, quod remitteret, ejus procedendi modus hac ratione declarari non poterit. Alteri proindè viæ inſiſtam, neceſſe eſt, quam mihi ſupralaudatus S. Joannes Chryſoſtomus, atque cum illo Euthymius, & Theophilactus complanaverunt: *Tanto nomine filii DEI dicuntur, qui CHRISTUM filium DEI naturalem imitantur.* Sed in quo conſiſtit hæc imitatio? Doctor Angelicus dicit, eam conſiſtere in officio: *Qui habent officium filii DEI*: Omnes autem nôrunt, officium filii DEI fuiſſe, mundum ſuâ vitâ ædificare, eúmque à captivitate diaboli redimere: Hæc itáque imitatio glorioſa eſt teſſera noſtri ſancti Inſtituti.

Matth. 5.v.9.

S. Chryſoſ. Euthym. Theoph. apud Sylv. tom. 2. in Evang. q. 28. D. Thom. apud Sylv. ubi ſup.

Antequàm hæc ſacra Reformatio in mundum prodiviſſet, duo in hoc mundo novi mundi detecti ſunt, alter Orientalis, qui extremas Aſiæ plagas occupat, alter occidentalis, qui hodie ſub nomine Americæ claret: uterque repletus erat novis hominibûs, novis nationibûs, novis denique terris, quæ magìs in ſuis climatibus differebant, quàm homines in colore faciei. Ad has itáque barbaras, & à vera fide alienas nationes convertendas vaſtiſſima ac immenſa propemodùm maria perſulcant Patres Redemptores, ſui S. Fundatoris ſpiritu impulſi, atque in hunc finem ad inſtar frondoſæ, & proceræ arboris ſuos ramos in aſſiduis fundationibus per totum mundum diffundunt, ex quibus in hoc ſolo aureo ſexennio, quod nobis tantas glorias peperit, duodecim ſurrexerunt. Si oculos in Africam, Chriſtiano nomini infenſiſſimam regionem, convertamus, videbimus pauperes captivos illorum operâ à graviſſimo vinculorum, & catenarum pondere abſolvi, atque à triſtiſſima ſervitute ereptos deſideratiſſimæ libertati reſtitui. Multa millia jam numerantur, quæ ab hiſce flagrantibus pectoribus, & vivis, ut ità loquar, amoris Veſuviis ex obſcuriſſimorum ergaſtulorum caligine, & præſentiſſimis Chriſtianæ fidei ejurandæ periculis redempta fuerunt. Quô ſolô, licèt alia deeſſent, ſe vivas probaverunt imagines SSS. TRINITATIS, & fideles DEI Filii imitatores, qui Ejus charitatem,



Digitized by Google

quam in Redemptione humani generis oſtendit, tam ſolicitè æmulantur: *Qui habent officium Filii DEI.*

Hoc legitimorum filiorum ſignum ſequitur ex juſtitia hæreditas, ſive proprietas Corporis mei S. Patriarchæ; legitimis namque filiis, ùt jura docent, debetur ex integro patrimonium. Hæc juſtitia in ipſa lege naturæ fundatur, quæ etiam filium, nondum natum, paternorum bonorum hæredem inſtituit, cui ſolus filii titulus ſufficit, ut ad hanc fortunam admittatur; quamvìs enim Philoſophia eos ùt diverſa individua conſideret, jura tamen illos ceu unum quid intuentur. Adeò denique ſtricta eſt lex paternarum pietatum, ut ſolìs exaggerationibûs, apertam impoſſibilitatem referentibûs, explicari valeat.

Petiit quondam Eliſeus ab Elia, ut ſibi geminatum ſuum ſpiritum largiretur: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Hæc petitio erat de materia impoſſibili; nam cùm ipſe Elias duos ſpiritus non haberet, quomodò daret, quô carebat. Dedit tamen, ídque, ſi S. Ambroſio credimus, proptereà, quia Eliſeus eum in modo petendi ad hoc obligavit. Elias alioquin erat Magiſter Eliſei, qui tamen nunc, cùm ſpiritum duplicem ab ipſo efflagitaret, non eſt uſus nomine Magiſtri, ſed Patris: *Pater mi!* Cur autem ei nomen mutavit? quia ejus hæreditatem captavit. Obligatio Magiſtri erga diſcipulum eſt, ut eum omnia doceat, quæcunque ſcit: Obligatio patris erga filium eſt, ut ei plura largiatur, quàm filius petit. Impoſſibile videbatur, quod Eliſeus poſtulabat, & ideò ad agnomentum Patris confugit; dixerit enim intra ſe, ſi eum Patrem appellitavero, neceſſitatem ei imponam mihi plus dandi, quàm ſit poſſibile. *O hæreditas pretioſa*, exclamat hic S. Ambroſius, *In qua plùs hæredi relinquitur, quàm habetur: plùs conſequitur, qui accipit, quàm poſſideret, qui largitur.*

4. Reg. 2. v. 9.

S. Ambroſ. Serm. 87. tom. 4. fol. 904.

Conſideremus nunc modum, quô Eliſeus ad hanc hæreditatem pervenire poſtulavit: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Exaudivit Elias hanc ſupplicationem, pollicitus, ſe daturum, quod petebatur: *Erit tibi, quod petiſti.* Ubi obſervatu dignum eſt, Eliſeum non per viam ſupplicationis hanc gratiam prehensâſſe, ſed eam, tamquàm jure ſibi debitam, requiſiviſſe: *Non ait*, ùt doctus Sylveira ſcribit: *Obſecro, ut detur mihi ſpiritus tuus duplex, ſed fiat mihi.* Aſt in quo fundavit hanc ſuam juſtitiam?

Sylv. tom. 2. in Evang. l. 4. q. 11.

Digitized by Google

tiam? In titulo hæreditatis, reſpondet Cajetanus: *Petit Eliſeus ſuccedere in ſpiritu Eliæ, jure primogeniti, quod eſt præferri cæteris filiis, ſicut excellenter primogenitus ſuccedit in bonis paternis.* Eliſeus erat filius legitimus ſpiritûs Eliæ: *Pater mi!* hôc titulô erectus poſtulavit tam grande donum non per viam gratiæ, ſed per viam juſtitiæ. Quod ex jure habetur, modô quôdam excellentiſſimô poſſidetur: cùm verò Eliſeus jus ad illum ſpiritum haberet, nec ſuo jure privari vellet, ideò ejus poſſeſſionem ex juſtitia popoſcit, quia proprietas illius pignoris ad eum ex jure pertinebat. Cajet. hîc apud Sylv. ubi ſup.

In hoc jure filiorum fundati ſolicitavimus proprietatem corporis noſtri Sancti Patriarchæ, quod nobis ex juſtitia debebatur, quamvìs noſtra ſupplicatione nîl nisì gratiam quæſiviſſe videremur; eô ipsô enim, quòd filii ſimus, effecti ſumus hæredes tam pretioſi unionis: *Si autem filii, & hæredes.* Adjudicata nobis tandem fuit proprietas hujus piæ hæreditatis: licèt verò omnes Trinitarii ſint filii magni hujus Patriarchæ, ſacrum tamen corpus ejus ibi perpetuam ſedem elegit, ubi ſub forma Depoſiti aliquamdiu aſſervatum fuerat.

*Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Diviniſſimus Redemptor noſter in duro crucis lectulo expiravit, cúmque ultimum jam efflâſſet anhelitum, auſus eſt temerarius quidam miles ſacratiſſimum latus ejus infeſto mucrone petere, & transverberare. Ex vetuſta, & recepta Eccleſiæ traditione, in S. Iſidoro fundata, conſtat, audacem illum militem fuiſſe Longinum centurionem, multo jam tempore unius oculi lumine privatum, ſed tunc demùm illuminatum, cùm aliquot guttulæ pretioſiſſimi illius ſanguinis, qui ex hoc Divinitatis ſacrario eruperat, in ejus faciem cecidiſſent. Audiatur S. Iſidorus: *Lanceâ latus Salvatoris aperuit, & gutta ſanguinis CHRISTI, cùm eſſet alterô oculô privatus, illuminatus eſt extra, & intus lumine fidei.* Docet præthereà Drogo Oſtienſis, hunc Longinum fuiſſe illum militem, cui inconſutilis tunica noſtri cœleſtis Salvatoris in ſortem obtigit, quem etiam prętioſiſſimum theſaurum in vita ſua poſſedit, & poſt mortem ſuam reliquit: *Quis eſt iſte unus militum?* ait ſupra citatus Drogo, *niſi fortè ille, qui tunicam tuam inconſutilem accepit.* Quis non miretur, DEI filium huic militi protervo tam pretioſum Iſidor. hîc. Drog. Oſtien. de paſſ. Chriſt.

 pignus

pignus dediſſe ? Sed hæc admiratio citò evaneſcet, ſi conſideremus, hoc donum myſticum fuiſſe; cùm enim CHRISTUS tertia die erat à morte reſurrecturus, non decuiſſet, ut materiales Reliquias ſuorum ſacratiſſimorum oſſium, & carnis mundo relinqueret: hìc autem mihi ſermo eſt de Corpore CHRISTI ſub propriis ſpeciebus, non verò ſub Euchariſticis panis, & vini, quæ ſunt ſpecies alienæ: *Sub aliena ſpecie occultatum*, ùt ſcribit Doctor Angelicus. Hæc tunica inconſutilis fuit pretioſiſſima Reliquia, quam ejus amor mundo relinquere potuiſſet. Centurio ille jam acceperat poſſeſſionem, ultimarum ſanguinis ſtillularum, quas Incarnatus DEUS ex ſuo adorando latere effudit: Habeat itaque etiam ſibi, dixerit ſuprema Majeſtas, miles iſte meam tunicam; cùm enim hæc ſit pretioſiſſima Reliquia, quam à mea morte relinquo, cúmque miles iſte jam inceperit meum ſanguinem poſſidere, fiat dominus hujus nobiliſſimæ Reliquiæ, qui factus eſt poſſeſſor meæ purpuræ.

D. Thom. Opuſc de Eucharis.

Pretioſiſſima Reliquia, quam Sanctus Patriarcha meus mundo reliquit, & quâ pretioſiorem relinquere non potuit, eſt ſacrum corpus ejus. Hoc ex ſecreta Divinæ Providentiæ diſpoſitione venit ad ejus filios Diſcalceatos, quos etiam Dominos hujus venerabilis pignoris conſtituit, quia illud primitùs ſub forma Depoſiti acceperunt. Non dividatur hæc Reliquia, dixerit Sanctus Pater meus, ſed ſit tota illius, qui eam conſequi novit; cùm enim jam inceperit illam poſſidere ex gratia, meretur ut illam habeat per hæreditatem ex juſtitia.

Apud veteres uſitato more receptum fuit, ut eorum oſſa frangerentur, qui crucis ſuppliciô afficiebantur. Hanc conſuetudinem Altiſſimus DEUS in ſuo unigenito filio locum habere non permiſit, quia ejus oſſa, quæ tot injuriis fuerunt expoſita, integra, & intacta ſervari voluit. Si licet Divina ſcrutari judicia, cauſam fortaiſis hujus Divinæ ordinationis ex antiqua narratione eruemus; nam qui res Ægyptiorum literis ſunt executi, ſcribunt, oſſa apud illos hieroglyphicum fuiſſe propagationis, & hæreditatis filiorum. Ità hoc comprobat cultus profanus. Dixerit proindè Diviniſſimus Redemptor noſter: Totum corpus ſit campus omnigenarum injuriarum! nullum membrum ſit ab ictibus immune. Totum hoc meæ inclinationi blanditur: Equidem & ipſa oſſa parem ſubire ſortem deberent, quia conſuetum eſt, ut maleficis ea in cruce frangantur, ſed ego diſponam, ut lex iſta diſpenſetur; nam cùm oſſa ſint hæreditas filiorum, nemo ea tangere præſumat, quia illa abſque diviſione,

Digitized by Google

ne, & diminutione poſſidere debent, qui anxiis ſuis deſideriis ſibi jus ad tam pretioſam hæreditatem fundaverunt. Textus iſte tam egregiè rei, de qua tractamus, convenit, ac ſi ad meum propoſitum factus fuiſſet, ut proindè ſupervacaneo labore me conficerem, ſi ejus applicationi immorari vellem. Gaudeamus igitur hiſce ſacris oſſibûs, tamquàm filii, & hæredes.

## PUNCTUM III.

IN hoc puncto oſtendam, hoc S. Corpus nobis in præmium noſtræ ſolicitudinis datum fuiſſe; cùm enim ardentiſſimìs deſideriìs ad poſſeſſionem hujus S. pignoris anhelaremus, Capitulum S. Petri in eum ſtatum redactum eſt, in quo ſunt conſtituti executores teſtamentorum, & filii ſecundogeniti. Barboſa de Reliquiis, in hæreditate relictis, ità loquitur: *Reliquiæ in bonis nullius ſunt.* Ex præſcripto juris, ut proindè eorum diviſio ſit in arbitrio executorum ultimæ voluntatis, qui cùm Reliquias æqua lance cum reliquis bonis partiri nequeant, illi filio eas attribuunt, qui ad Majoratum jus nullum habet, & alioquin à bonis fortunæ parcè eſt inſtructus, atque adeò à natura propemodùm ad ſtatum Eccleſiaſticum deſtinatus: Iſti itáque, quin alios filios parùm pios, aut irreligioſos credant, hunc tamen multò devotiorem judicant, ídque hac ſolùm de cauſa, ut ei Reliquias attribuere queant. Hôc modô filius ſecundogenitus poſſeſſionem ſacrarum Reliquiarum init, earúmque proprietatem ſuſcipit, quin has ei frater natu major tollere poſſit; cunctìs námque hæredibûs profitentibûs, quòd nullus eorum Reliquias habeat: *Reliquiæ in bonis nullius ſunt*, frater aliquis, natu minor, in medium progreditur, dicítque, has ſibi datas fuiſſe.

Barb. Collect. Bull. ſum. Pont. & Conſt.

Producamus omnes, quotquot prætenſionem aliquam ad ſacratiſſimum corpus incarnati DEI formare potuerunt. Inter hos primas ſibi partes vendicat Ejus virginea Mater MARIA, quæ in ſuum favorem allegat, quòd Eum ſua propria carne veſtierit: *De qua natus eſt JESUS.* S. Joannes Apoſtolus ſe præ reliquis DEI Filio in deliciis fuiſſe aſſerit: *Quem diligebat JESUS. Qui & recubuit ſuper pectus Ejus. Cui relevata ſunt ſecreta cœleſtia.* Magdalena dicit, quòd jam olim pedes Ejus obtinuerit, quibûs nunc pro mantiſſa totum corpus accedere deberet: *Lacry-*

Matth. 1. v. 16.

Joan 13. v. 23. Eccleſ. in officio. Joan. 19. v. 26. Luc. 7. v. 38.

*Lacrymis cæpit rigare pedes Ejus.* Addit prætereà, ſe Ejus operâ à maledicorum linguis defenſam fuiſſe: neque tacet, quàm ſolicitè Eum poſt mortem quæſierit, ut Ejus corpus ſurriperet, quod
Joann. 20. v. 15. ſibi deberi arbitrabatur: *Ego eum tollam*: Milites proteſtantur, bona illius, qui publicâ judicis ſententiâ morti addictus fuit, ad ſe pertinere, cùmque Ejus veſtimenta jam diviſerint, & de Ejus tunica ſortiti fuerint, mordicùs propugnant, etiam hanc ſacram Reliquiam in ſuum jus eſſe devolutam. Ad extremum prodit quoque Joſeph ab Arimathæa, qui dicit, ſe novum ſepulchrum habere, lapidi inciſum, in quo aliquando Angeli conſederunt.

Conſideratis omnibûs argumentis, quæ ſinguli in ſuum favorem produxerunt, reſpondeo cum Juriſconſulto, Matrem, diſcipulum, amantem Magdalenam, & veſtes CHRISTI fuiſſe bona ejusdem, ſed quia *Reliquiæ in bonis nullius ſunt;* nemo iſtorum hoc ſacrum corpus jure ſibi vendicare poteſt. Et ſi Joſepho titulum aliquem id poſſidendi conquirere voluerimus, nullum alium in-
Marc. 15. v. 45. veniemus, niſi quòd Joſeph dicat: Mihi illud datum fuit: *Donavit Corpus JESU,* quæ reſponſio adeò aptè ad meum propoſitum venit, ut nemo dubitare poſſit, eam ex Evangelio depromptam fuiſſe.

Hoc ſacrum corpus ideò ſolùm nobis datum fuit, quia illud petivimus. Non eo inficiàs, quòd ejus conſecutio nobis magnis conſtiterit ſolicitudinibûs, præmium tamen fuit limitatis meritis noſtris multò magis, & auctiùs, utpote qui hoc impigro labore noſtro tantum bonum impetravimus, ſanctóque noſtro ſplendidiſſimum in Hiſpania triumphum conciliavimus. Totum ſermonem meum ad colophonem perducam, Textu quodam ab Iſaia Propheta mutuato. Vidit entheus iſte vates in quodam mentis raptu ſolium ma-
Iſai. 6. v. 1. & 2. gnificentiſſimi ſchematis, à terra ſublimatum: *Solium excelſum, & elevatum*, quod ſex alis ſeraphicis, ceu exquiſitiſſimis quibûsdam periſtromatibûs tectum erat, & velatum: *Stabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri.* Ipſe quoque Ezechiel Propheta vidit in quadam ecſtaſi currum triumphalem à quatuor cherubinis, venuſtiſſima plumarum varietate exornatis, conductum:
Ezech. 1. v. 23. *Pennæ eorum rectæ alterius ad alterum.* Quamvis autem illi Seraphini fuerint, quos Iſaias in throno, & illi, quos Ezechiel currum ductantes vidit, Cherubini, ex communi tamen Interpretum ſen-

Digitized by Google

ſententia utraque viſio in intellectu myſtico unam, eandemque rem ſignificat, aut potiùs una eadémque viſio eſt. Ubi tamen obſervo, quòd Majeſtas throni viſa ſit in curru triumphans, utpote cui iidem Cherubini triumphum accinuerunt: ***Cherubin quoque, qui non ceſſant clamare.*** Sed cui tam feſtivæ acclamationes conſecratæ fuerunt? Corpori cuidam, quod in illo curru triumphali vehebatur, ùt ait Ezechiel, qui advertit, quòd Cherubini ſua corpora occultaverint: ***Unumquodque duabûs alîs velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur.*** Eccleſ. in Præfat. Miſſæ. Ezech. 1. v. 23.

Conſideremus nunc hujus Textûs myſteria. Majeſtaticum illud ſolium. ùt dictum manet, fuit currus triumphalis, in quo vehebatur Corpus mei Sancti Patriarchæ; nam quemadmodùm illud corpus, quod Cherubini ambitioſo famulatu comitabantur, tribûs vicibûs ſanctum proclamatum fuit: ***Sanctus, Sanctus, Sanctus,*** Iſai. 6. v. 3. ìtà quóque corpus mei S. Parentis ab Eccleſia Catholica tribûs vicibûs ſanctum declaratùm fuit, nempe in ejus Canonizatione ab Urbano IV. P. M. peracta, deindè in aſſertione ejus cultûs immemorabilis, ac denique quando identitas hujus glorioſi corporis literis Apoſtolicis comprobata fuit: neceſſarium eſt itáque, ut hodie tam ſplendidâ pompâ, & apparatu honoretur.

Plùs: Audita voce illius cœleſtis epinicii omnes commoti fuerunt: ***Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis.*** Vox illa fuit tantæ potentiæ, ut ejus repercuſſu poſtes, & cardines templi contremuerint: Ipſa quóque vox triumphi mei S. Patriarchæ fuit adeò potens, ut echo ejus intrà anguſtias unius templi contineri nequiverit, ſed in totam urbem penetraverit, imò & populos, multis paraſangis ab hac civitate diſſitos, commoverit. Quis autem fuit cauſa illius commotionis, cujus Iſaias meminit? Sonora vox illius clamavit: ***A voce clamantis.*** Aſt quid? Nónne Cherubini hunc clamorem excitaverant? Ità ſe res habet. Cur igitur una tantùm vox audita fuit, cùm tamen multi Cherubini conclamaverint? Hic latet myſterium; licèt enim multi commoti ſint, ſola nihilominùs vox mei glorioſi Patriarchæ audita fuit, pro majori ejus cultu, & honore. Verſ. 4.

Veteres ad perpetuandam heroum ſuorum memoriam paſſim erigebant arcus triumphales, in quibus lapides multiplicibûs ſcalpri ictibûs tunſi, & torti Martiam victorum fortitudinem, & virtutem prædicabant: Præſens autem triumphus erit Sancto Patriarchæ meo



Digitized by Google

arcus triumphalis, ex cujus glorioſo decore ventura ſæcula ejus cultum agnoſcent. Abſalon, ut toti poſteritati innoteſceret, nomen ſuum pro perenni mnemoſyno præcelſo obeliſco inſculpi juſſit, quia filiis carebat, qui genus ſuum propagarent, & continua ſucceſſione
1. Reg. 18. v. 18. immortale redderent: *Hoc erit monimentum nominis mei, quia non habeo filium.* Aſt Excalceati filii mei S. Patris æternitati ejus memoriam transſcribent.

Næ tu nimis felix es fortunata Hiſpania, quæ in tuo gremio poſſides tam Divinum pignus, quod pretioſiſſimum eſt cimelium, quô tuorum Catholicorum Monarcharum diadema ornatur, & hujus Regni firmiſſima columna, quâ ejus proſperitas ſuſtentatur; nam cùm tempus ſit maximus tyrannus omnium Imperiorum, ad conſpectum iſtius theſauri funeſtum ſceptrum ſuum ad hanc Monarchiam extendere non præſumet; univerſalis enim plurium regnorum ruina ſerviet huic regno pro gloria: quia fugitiva temporum momenta eludet, monſtrabitque ſe curſum tenuiſſe ad inſtar æternitatis pro fama, non verò ad inſtar temporis pro ruina. Glorietur itáque hæc nobilis, & coronata civitas, quòd in ſe, ceu concha quadam, inæſtimabilis unio iſte aſſervetur; licèt enim jam priùs obtinuerit unum S. Franciſcum Borgiam, immortale ornamentum Nobilitatis, & unum S. Iſidorum, paratiſſimum Agricolarum refugium, in hoc tamen corpore mei Sancti collecta inveniet, quæ diviſa in aliis veneratur: quia Sanctus iſte Patriarcha eſt ſplendor nobilitatis, utpote qui ex clariſſima proſapia oriundus fuit: eſt refugium agricolarum, utpote cujus interceſſione arentia arva fœcundis imbribûs crebriùs irrigata fuerunt: eſt denique perpetuus, & fidiſſimus protector omnium aulicorum; vix enim aliud ſperari valet, quàm ut ſanctus noſter tam religioſo cultui, & flagranti erga ſe pietati frequentiſſimis prodigiis largè reſpondeat.

Fruere tu quóque tantâ gloriâ mea S. Mater Religio, Pelagus virtutum, Oceane ſapientiæ, ſchola perfectionis, ſpeculum religioſæ vitæ, centrum profundiſſimæ humilitatis, & ardentiſſimæ charitatis, Arx, & murus fidei, horizon plurium ſiderum, quàm in cœlo ſtellæ numerantur. Gaude per indeſinentia æternitatis ſæcula ſplendicantibûs hîſce aſtrîs tuis, quæ te ſuis cathorthomatis nobilitant, & coronant. Floreant perenni virore laureæ tuæ, & multiplicentur per omnia ſæcula palmæ, ac coronæ, quas mereris. Lætare ô animatum cœlum, tot angelis exornatum, quot Religioſos numeras. Gaude glorioſa Eccleſiæ filia, innumeris compedibûs,
&

& vinculis redimita, quæ licèt ex ſe ſint ferrea, undique tamen tuæ redemptricis charitatis aurô ſunt vermiculata. Exulta de tam inſigni triumphô, quem tua indefeſſa ſolicitudine, & ſumptuoſo labore tuo magno Patriarchæ conciliâſti. Gloriare de poſſeſſione ejus S. Corporis, quod conſecuta es ſinè periculo illud denuò amittendi, quia id obtinuiſti per gratuitam donationem, tuáque ſolicitudine obligationibus amici ſatisfeciſti: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis.* Impetrâſti illud tamquàm hæreditatem ex juſtitia: *Si autem filii, & hæredes*, ac denique pro corona tuæ excellentiæ; generosô ſiquidem animô ad hunc finem enitendo, ſemper in cœpto tuo molimine perſeverâſti, donec pro corona laborum tuorum hoc ſacro corpore donata fueris: *Qui perſeveraverit usque in finem.*

Tu autem, mi dulciſſime Pater! cujus ſublimia merita nobis tam glorioſum triumphum pepererunt, ſuſcipe à tuis Excalceatis filiis hos ſubmiſſos cultus, & debitas gratiarum actiones, quas tamquàm victimas ſui erga te affectus, in altari ſuæ Devotionis offerunt, cúmque jam ex duplici titulo noſter ſis, tum quia in vita tua pater noſter fuiſti, tum quia nunc exanime corpus tuum poſſidemus: Reſarci nunc iſtis applauſibus, quidquid injuria temporum tibi ex publica veneratione abſtulit! Recipe hunc publicum cultum, quem tibi mea Diſcalceata Religio reſtituit, tamquàm tributum gratitudinis: cúmque nunc ſacro tuo corpore, tamquàm re propria gaudeamus, extende potentiam brachii tui, ut tibi debeamus tot gratias, quot tibi honores impendimus. Mereantur tot anxiæ ſolicitudines tuo triumpho aſſerendo intentæ gratam vicem tui cordis, & ſi, ut Caſſiodorus inquit: *Glorioſis magis placent præconia, quàm tributa*, totum honorem, quem tuis filiis conciliâſti, ex integro tibi in holocauſtum refundunt. Hoc tributum tibi ſubjectis, & devotis cordibûs offerimus, ut ſolemnitatibûs iſtis, non tam ob ſuperbum apparatum, quàm ob tui nominis fulgorem conſpicuis delinitus impetres huic nobiliſſimo, & graviſſimo Auditorio, quod ad augendam tui triumphi magnificentiam confluxit, lumen pro intellectu, ardorem pro corde, ac devotionem pro pectore, cunctíſque exorare digneris ſubſidium Divinæ gratiæ, ut tecum gaudeamus in æternitate gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.* Caſſiod. Var.

Finis hujus ſermonis dedit initium communi applauſui, qui tanto Eccleſiaſtæ debebatur; certum eſt enim, quòd plurimorum attentionem captaverit, ut proindè ei jure illa Plinii verba aptari po-



Digitized by Google

Plin. l. 8. Epiſt. 20. tuiſſent: *Sermo eſt copioſus, verus, varius, dulcis, & qui repugnantes quoque ducat, & compellat.*

Poſtquàm deindè ſol aureas ſuas quadrigas Heſperiis undis immerſiſſet, amœniſſima muſica totum veſpertini temporis ſpatium occupavit. Quamprimùm autem ingruentes noctis umbræ operariis locum fecerunt, ut, quæ ſequentis diei ſolemnitas requirebat, liberè peragere poſſent, præparata fuit magna, capáxque exedra in ſimilitudinem cujusdam theatri, in qua conſeſſuræ erant Religioſæ Communitates, quæ nos craſtina luce ſuâ præſentiâ erant honoraturæ, in qua meæ Excalceatæ Religioni Trinitariæ incumbebat ſolemni feſtivitate ſuum Sanctum Patriarcham venerari.

# CAPUT XIV.

## *Deſcriptio ſeptima Feſtivitatis, quæ celebrata fuit decimâ Maji, die Dominica.*

AUſpicato fulgore reſplenduerunt luces dominicæ diei, viſúmque eſt nobis, ac ſi ſol conſuetum ſuum ortum antevertiſſet, ſuóſque ſplendores ſolitô citiùs evibrâſſet, ut proindè etiam de hac die

Joſue. 6. certô modô dici potuerit, quod in libro Joſue legitur: *Non fuit anteà, nec poſteà tam longa dies*, quòd nunquàm conſpecta ſit dies majoris claritatis. Illud contigit, quia ſol in medio Zodiaco rapidum ſuum curſum ſtitit: iſtud autem, quia ſol nunquàm blandiùs & illuſtriùs ſuos radios evibravit, quàm in hac ſua die propria, quæ à dominio ſolis, cui ſubeſt, priſcis dies ſolis, nobis verò Dominica dicitur.

Omnia ſolis ſimilitudinem referebant, quæcunque in noſtro templo ſplendebant. Solis, quia auricomus iſte planeta eſt clariſſimum ſymbolum SSS. TRINITATIS: Solis, quia fuit feſtivitas mei

Lauret. Allegor. verbô: Sol. glorioſi Patriarchæ; quòd ſi enim Lauretus dicat, ſolem eſſe hieroglyphicum pietatis, & miſericordiæ: *Sol eſt pietas, quæ illuminat omnia aſtra*, quis neget meum S. Patriarcham ſolem eſſe, de quo conſtat, eum fuiſſe ſedem totius pietatis, quin ſit aliquis inventus, ad quem ejus influxus ſe non extendiſſet: *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.*

Vidimus pariter coruſcum ſolis jubar in templo noſtro effuſum, quod evibrabant in illa majeſtatica exedra tot ſapientiſſimi

Præ-

Digitized by Google

Prælati, & Magiſtri in tam doctis, religioſiſſimisque Communitatibus. Dilectus Evangeliſta ſolem humili pœnitentiæ veſte amictum conſpexit: *Sol factus eſt tamquàm ſaccus cilicinus.* Nemo Apocal. 6. v. 12. itáque miretur, tot ſolibûs radiantibûs claritatem hodiernæ diei adeò magnam fuiſſe.

Horâ nonâ ante meridiem cœperunt ad noſtram Eccleſiam confluere præfati Magiſtri, & Prælati, quibus noſtra Communitas ad templi limen obvia facta eos inter feſtivum muſicorum inſtrumentorum applauſum excepit. Impletâ exedrâ datum fuit principium incruento ſacrificio, quod multùm Reverendus P. Fr. Ignatius à Conceptione, noſtræ Provinciæ, quæ à Conceptione nomen habet, & Caſtellam veterem cum Arragonia in ſe complectitur, actualis Provincialis immolavit.

Res ipſa poſcebat, ut aures tam gravis, & docti Auditorii fæcundus quidam, & copioſus Orator demulceret. Talis fuit multùm Reverendus P. Fr. Franciſcus à SSS. Sacramento, actualis Theologiæ Lector in noſtro Collegio Complutenſi, qui tot applauſus ſibi peperit, quot ejus conceptus fuerunt.
Oſtendat hoc ipſa ejus Concio, quæ nunc ſequitur.

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam ſeptima die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, dixit multùm Reverendus P. Fr. Franciſcus à SSS. Sacramento, actualis Theologiæ Lector in noſtro Collegio Univerſitatis Complutenſis.*

Hanc feſtivitatem noſtra Excalceata Religio Trinitaria inſtituit, cui Religioſæ Communitates interfuerunt.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Matth. cap.* 10.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. *Joann. cap.* 16.

Capitulum Baſilicæ Vaticanæ . . . . ſuum plenarium præſtitit aſſenſum . . . . ut corpus, aut oſſa S. JOANNIS de Matha perpetuò colantur in Eccleſia Conventûs Madritenſis PP. Excalceatorum SSS. TRINITATIS. *Ex Decret. Rom.*

## SALUTATIO.

SIcut dulcis eſt illa tyrannis, quando bonum ob ſuam multitudinem animum irritat, ità quoque grata eſt illa crudelitas, quando mens inſolitæ cujuſdam felicitatis eventu cruciatùr. Hiſce verbis auſpicatus eſt heſternus Orator ſermonis ſui exordium, cui admirationem movit rara, & peregrina hæc feſtivitas. Nec deerat

erat ei, ut candidè, quod verum eſt, fatear, cauſa admirationis; ſcopus enim tam ſplendidæ ſolemnitatis eſt adeò peregrinus, ut ſicut ejus peculiaris raritas eſt maxima felicitas meæ Exalceatæ Familiæ Trinitariæ, ità ſola ejus conſideratio animum dulci admiratione ſuſpendit. Hoc tam magnifico apparatu, & concurſu hujus doctiſſimi, ac religioſiſſimi Auditorii hodie continuantur feſtivi cultus, quibûs mea Religio Trinitaria celebrat memorandam illam donationem, quâ Capitulum Vaticanum nobis contulit corpus mei S. Patriarchæ, ut in hoc Altari publicæ Fidelium venerationi exponeretur. Hæc donatio eſt ſcopus tam inſignium feſtivitatum, quarum objectum cùm ſit adeò ſublime, nemo mihi prudenter vitio vertere poterit, ſi tenui, & jejunâ ſuadâ meâ ejus dignitatem non aſſequar, cujus vel ſola conſideratio motus animæ ſuſpendit.

O quàm amabilia ſunt tabernacula tua! Exclamavit quondam Rex Prophetarum, DEUM alloquens: ***Quàm dilecta tabernacula Tua Domine virtutum.*** Tanta certè eorum eſt majeſtas, & elegantia, ut ſola ejus recordatio mihi ſenſus ſuaviter abripiat: ***Concupiſcit, & deficit anima mea*** id eſt, ùt Eminentiſſimus Cajetanus exponit: ***Conſumpta eſt anima mea ab operationibus:*** Locutus eſt autem hìc David in ſenſu literali de templo Hieroſolymitano, in quo Salomon filius ejus, & caput gentis Hebrææ collocavit Arcam veteris Teſtamenti, quæ figura fuit corporis Diviniſſimi Redemptoris noſtri, ùt Tertullianus affirmat:

**Pſalm. 83. v. 1.**

**Cajet. in Pſalm. 83. v. 3.**

*Arca ſub exemplo corpus venerabile CHRISTI*
*Oſtendit - - - -*

**Lib. 4. cont. Marcion. cap. 3.**

In ſenſu verò myſtico locutus eſt de templis Eccleſiæ Catholicæ, in quibus Verbum Divinum, noſtra carne veſtitum, tamquàm in ſolio ſuo reſidet, ità teſtatus eſt S. Joannes Chryſoſtomus, quando dixit: ***Tabernaculum DEI eſt Eccleſia, in qua habitat Verbum caro factum.*** Amoveamus cortinas ab iſtis umbris, ut videre poſſimus myſterium, quod regio Vati tantam movit admirationem.

**S. Chryſoſt. in Pſal. 114. Collat. in 1. Reg. c. 16.**

David exundante quodam gaudii ſenſu celebrat gloriam, & majeſtatem illius templi, in quo, ſpiritu Prophetiæ edoctus, prænoverat, fore: ut myſtica quædam avis gratum habitaculum ſit in-

Lorin. in Pſalm. 83. v. 4.

inventura : *Etenim paſſer invenit ſibi domum*, vel ùt Lorinus explicat : *Eccleſiam.* Hæc avis, quam S. Auguſtinus, & S. Gregorius *Redemptricem* appellitant, ſanctus verò Hieronymus (a) *Unicam* nominat, & cui Verſio Paraphraſtica nomen columbæ imponit (a) eſt dulciſſimus Redemptor noſter JESUS CHRISTUS, qui columbæ ſinceritate ornatus ſuâ prudentiâ dilectos pullos ſuos, ùt S. Ambroſius ſcribit, (b) à lupis defendit : *Dominus infudit prudentiam .... nè pullos ſuos incurſet lupus.* Quod ſi nunc ſcire voluerimus, quid myſtica illa avis, Dominus noſter JESUS in templo collocaverit, ut illud gloriâ repleret, reſpondebit nobis Lorinus, ſacras Reliquias ſui adorandi Corporis, quibûs templum tantâ gloriâ, & majeſtate replevit, ut David ex ejus contemplatione totus ſit in lætitiæ jubila reſolutus, & dulciſſima admiratione ſuſpenſus : *Concupiſcit, & deficit anima mea.*

S. Aug. l. 50. hom. 33. in Joan. Paſſer Salvatorem ſignificat S. Gregor. 19. Moral. c. 16. & 24. Paſſer Redemptorem ſignificat.

(a) Apud Lorin. in Pſal. 83.

(a) Ibidem.

(b) S. Ambr. l. 6. Hex. cap. 4.

Totam iſtam pulchritudinem, & venuſtatem video hodie ad hoc templum Trinitarium tranſlatam, in cujus magnificentiſſimo Altari verum corpus Diviniſſimi Redemptoris noſtri in hoc, ad oculorum invidiam elaborato, tabernaculo habitat. Video pariter in hoc ſplendido throno miri operis Arcam, in qua aſſervatur corpus mei S. Patriarchæ, Redemptoris adeò ſimilis CHRISTO, ut S. Evangelium eos æquiparare videatur : *Ecce Ego.* Video corpus Avis redemptricis, & myſticæ, quæ columbæ ſimplicitate, ac ſerpentis prudentiâ liberavit multas animas, & innumerabiles captivos à faucibus luporum : *Mitto vos in medio luporum . . . . Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*

Si itàque ſolæ umbræ Davidem in ſtuporem dare poterant, nemo miretur : quòd levidenſe meum ingeniolum in admirationem rapiat ipſa rei veritas ? David ſolam imaginem vidit futuri Redemptoris : Ego autem reapſe conſpicio in templo collocatum Redemptorem Divinum, & corpus cujusdam Redemptoris humani. Si ibi concurrentes circumſtantiæ gloriam auxerunt, ùt Cajetanus obſervat : *Amabilia ſunt ex quinque capitibus*, hìc quòque magis plauſibilem feſtivitatem efficiunt. Quodſi enim ibi Salomon Princeps, & caput illius populi expenſis innumerarum ſolicitudinum, & fatigationum, quas David in Pſalmo 131. diu antè prædixerat, in templo Metropolis Judaicæ (Hieroſolymam intelligo) Arcam veteris Teſtamenti, typum Divini Corporis noſtri cæleſtis Redemptoris collocavit.

Cajet. in Pſalm. 83.

Si dedero ſomnum oculis meis &c. Pſal. 131.

Ho-

Digitized by Google

Hodie alter Salomon in ſapientia, & ingenio Pater, & caput totius meæ Excalceatæ Religionis Trinitariæ, Reverendiſſimus Noſter P. Generalis, ( cujus eminentes prærogativæ, ac dotes non egent impolitis verbis meis pro ſuo encomio, utpote qui meritorum dignitate famæ præconia pridem tranſcendit, ) expenſis haud inferiorum ſolicitudinum, & curarum collocat in hoc templo urbis Madritenſis, quæ ſedes eſt, & metropolis Regum Catholicorum ſacras Reliquias cujusdam Redemptoris humani, & glorioſi imitatoris Redemptoris Divini. Si ad feſtivitatem Salomonis magna hominum turba confluxit, ***Amabilia ſunt . . . . ex concurrentibus ad domum.*** Hodie nobilis, & religioſiſſima hæc concio in iſto templo convenit, ut ſuâ præſentiâ, & devotione noſtram ſolemnitatem redderet illuſtriorem. **Cajet. ibid.**

Si ad illam feſtivitatem celebrandam omnes tribus Iſraël, ùt David teſtatur, congregatæ fuerunt: ***Illuc enim aſcenderunt Tribus Domini***, vel ùt alii legunt cum S. Joanne Chryſoſtomo: ***Illuc enim aſcenderunt ſceptra, & virgæ***, id eſt: tales perſonæ, quæ faſces magiſtratûs in illo populo gerebant, ut vero DEO debitas gratias pro tanto beneficio perſolverent, Hodie ex peculiari DEI diſpoſitione in iſto religioſiſſimo Conventu omnes Prælati totius meæ Excalceatæ Religionis Trinitariæ ſunt congregati, ut SSS. TRINITATI ferventiſſimas gratiarum actiones rependant, pro hoc ſingulari beneficio, quòd in diebus noſtris videamus Corpus mei S. Patriarchæ in his aris collocatum. **Pſalm. 121. v. 4.** **S. Joann. Chryſoſt. hom. 22. ex variis in Matth.**

Niſì cum Origene dicere velimus, nomine illarum Tribuum ſignificatas fuiſſe ſacras Religiones Catholicæ Eccleſiæ: ***Tribus deſignare poſſunt Ordines futuros in Reſurrectione.*** Sed nè hæc quidem circumſtantia huic celeberrimæ collocationi deſit; nam in hac graviſſima exedra venerantur oculi mei omnes iſtas ſacras, & religioſas Familias, quæ in hanc Eccleſiam convolârunt, ut ſociatis precibûs, & votis nos adjuvarent gratias agere pro tanta felicitate æterno PATRI Luminum, à cujus largitate omne donum perfectum ad nos deſcendit, ùt hodiernum Evangelium indicat. **Orig. homil. 17. ſup. Num. apud Lauret. verbô: Tribus.**

Quod ſi tamen ibi etiam comparuerunt multi Doctores, & Magiſtri, qui gloriam illius collocationis prædicarent: ***Erunt enim Doctores***, ait Purpura Cajetani, ***præditi virtutibûs, docentes non ſolùm verbô, ſed vitâ, & exemplô.*** Multos quóque Magi- **Cajet. ubi ſup.**

giſtros, & inſignes Oratores in hac ſolemnitate ſuſpicio, in quorum ordinem mea tenuitas hodie tantùm ex obedientia intrat, idque ſub nomine diſcipuli. Non tamen prorsùs animum deſpondeo; Pſalm. 83. v. 8. hunc námque mihi erigit David verbis ejusdem Pſalmi: ***Etenim benedictionem dabit Legislator.*** Quis eſt iſte legislator nisì dulciſſimus Dominus noſter JESUS CHRISTUS? Iſte me ſua Divina benedictione impertietur: Cùm verò hæc benedictio, ùt Lorinus Lorin. in Pſalm. 130. v. 8. explicat, ſit ipſa gratia: ***Benedictionem dare, eſt gratiam implendæ legis impendere***, ſpe lactor minimè dubia, fore, ut Divina Majeſtas intellectum meum lumine ſupernæ gratiæ illuſtret. Hanc ut conſequar, Virgineam illam gratiarum auroram verbis ſanctiſſimi Archangeli Gabrielis ſalutabo: ***Ave MARIA.***

Ecce ego mitto vos . . . . Dabitur enim vobis.... ſpiritus Patris veſtri. *Matth.* 10.

Caro mea verè eſt cibus. *Joan. cap.* 6.

Capitulum Baſilicæ Vaticanæ ſuum plenarium præſtitit aſſenſum &c. *Ex Decret. Rom.*

# INTRODUCTIO.

SEries hodierni Evangelii, ſi mea mihi non imponat opinio, eſt accuratiſſima quædam delineatio noſtræ feſtivitatis. Id ego nunc liquidiùs oſtendam. Vobis, diſcipulis meis, ait Majeſtas Incarnati DEI, Donatio obtingat, quæ nobis magnam in hoc mundo exiſtimationem pariet: ***Dabitur enim vobis.*** Aſt quænam eſt iſta donatio? Hanc nobis declarat Evangelicus calamus S. Matthæi: ***Spiritus Patris veſtri.*** Eſt noſter pater in ſpiritu. Et ut mentem meam clariùs aperiam, credo, quòd hæc Donatio ſpiritualis patris ſive patris in ſpiritu facta fuerit quibusdam Religioſis, & quantùm conjicere poſſum, Trinitariis Excalceatis; hæc námque gratia col- S. Bernard. in Apol. ad Guil. Abb. S. Chryſoſt. homil. 3. contra vitup. vilata eſt Apoſtolis, qui ùt mellifluus Claræ Vallis Abbas, cum S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, aliisque Eccleſiæ Patribus docet, fuerunt veri Religioſi. Non ſolùm autem Religioſi fuerunt, ſed etiam Trinitarii, ſive filii ſanctiſſimæ TRINITATIS; quod ſi enim S. Petrus filius SPIRITUS SANCTI nominatus fuit: ***Bar-jona, id eſt:***

Digitized by Google

*eſt: filius columbæ*, ùt S. Hieronymus interpretatur (a) quia hæc Divina Perſona ei myſterium Incarnationis revelavit: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi.* (b) Cæteris Apoſtolis, ùt S. Auguſtinus teſtatur (c) hoc abſconditum myſterium Beatiſſima TRINITAS revelavit, quando eos in mundum miſit, ut Evangelium prædicarent, & genus humanum in nomine trium Divinarum Perſonarum baptizarent: *TRINITATIS myſterium abſconditum nunc primò auditur: Baptizantes eos in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS S.* Cùm verò de iiſdem Apoſtolis S. Lucas notatum reliquerit, illis peculiari CHRISTI præcepto calceorum uſum interdictum fuiſſe: *Nolite portare calceos*, evadit conſectaneum, hanc Donationem factam fuiſſe non ſolùm viris Religioſis, ſed inſuper Trinitariis Excalceatis.

Nónne hoc idem prorsùs eſt, quod hodierna feſtivitate celebramus? Nonne ſcopus præſentis ſolemnitatis eſt Donatio, quâ meæ Excalceatæ Familiæ Trinitariæ ſacrum Corpus ſui Patris collatum fuit, qui cùm illud tot jejuniis, flagellis, ciliciis, aliiſque auſteritatibûs extenuaverit, effecit, ut ſpeciem potiùs cujusdam ſpiritûs, quam corporis præſeferret? *Dabitur enim vobis . . . . Spiritus Patris veſtri.* Nemo id in controverſiam revocare poterit, cùm hoc cunctorum oculis obverſetur, & Decretum Capituli Vaticani id apertiſſimè teſtetur: *Capitulum Baſilicæ Vaticanæ ſuum plenarium præſtitit aſſenſum . . . . ut Corpus, aut oſſa S. JOANNIS perpetuò colantur in Eccleſia Conventûs Madritenſis Excalceatorum SSS. TRINITATIS.* Hac veritate ità præmiſſa, quæro nunc: Quid eſt Donatio? Reſpondet ſcholarum Angelus: *Datio liberalis, & irredibilis.* Eſt actio, quâ dominium alicujus rei liberaliter in alterum transfertur. Atque hôc modô Capitulum S. Petri in meam Excalceatam Familiam Trinitariam tranſtulit dominium, quod priùs obtinuit in Corpus mei Sancti Patriarchæ.

Ubi tamen notandum eſt, quòd juxta leges, & ex mente Juris-conſultorum in dominio vero reperiantur tres actus diſtincti, qui, ùt Jovelinus docet, poſſunt ab invicem ſeparari, & tribus diverſis perſonis adaptari. Primus eſt actus poſſeſſionis, ſecundus proprietatis, Tertius uſus-fructus: Cùm verò tota Hiſpania, & præprimis hæc urbs regia ſuis epiſtolis, ad Apoſtolicam ſedem datis, magnum

tus monaſt. S. Iſidor. l. 2. de Offic. Eccl. c. 5. apud Peirin. to. 5.

(a) S. Hieron. in Matth. c. 16.

(b) Matth. 16. v. 17.

(c) S. Auguſt. l. 2. de Trinit. apud Sylvei. in Evang. to. 5. l. 9. cap. 9. q. 9.

Luc. 10.

1. p. q. 38. art. 2. & in 1. diſt. 28. q. 1. art. 2.



Digitized by Google

momentum attulerit, ut mea Excalceata Familia declarationem Identitatis hujus ſacri Corporis obtineret, hæc, ut tantæ benevolentiæ gratam vicem rependat, hodie cum Hiſpania, & cum hac urbe regia gratiam dividit, quam ex liberalitate Capituli Vaticani conſecuta fuit. Atque in hunc finem reſignat Hiſpaniæ Poſſeſſionem, huic nobiliſſimæ civitati uſum-fructum, ſibi verò ſolam duntaxat proprietatem hujus S. Corporis retinet. Hiſpaniæ aſſignat poſſeſſionem, ut eam tantô cimeliô illuſtriorem reddat: Huic coronatæ urbi uſum-fructum, ut tota utilitas in eam redundet: Ipſa autem mea Religio Trinitaria proprietatem tam pretioſi theſauri ſibi reſervat. Hiſce verbis detexi ideam mei hodierni ſermonis, quem in hæc tria puncta dividere placuit.

# PUNCTUM I.

## *Poſſeſſio.*

PRimus dominii in rem aliquam propriam actus, eſt poſſeſſio. Hanc, ùt ex legibus conſtat, Juriſconſulti ità definiunt: *Quemadmodùm ff de acquirenda poſſeſſione rei corporalis detentio corporis, & animi, juriſque adminiculô.* Hoc primum eſt jus, quô res, quæ poſſidetur, retineri, & conſervari poteſt. Atque hoc jus, ſi cauſa ritè penetretur, ad Hiſpaniam pertinet; puriſſimum ſiquidem aurum corporis mei S. Patriarchæ detectum fuit in ejus miniaria. Latebat occultum in venis hujus terræ, donec menſe Septembri anni præteriti ejus pretium, & valor per quandam declarationem pontificiam in lucem productus fuiſſet. Quamobrem cùm hæc terra ſit terra Hiſpaniæ, ad Hiſpaniam quóque ſpectet, neceſſe eſt, quidquid in ea inventum fuit, ùt conſtat ex legibus Decretorum: *De rerum diviſione §. Theſaurus.* Et ex lege unica: *Codex de theſauris lib.* 10. Et ex lege: *Si is qui ff. de acquirendo rerum dominio.*

In legeQuemadmodùm ff. de acquirenda poſſeſſione.

Gaudeat igitur Hiſpania poſſeſſione rei adeò pretioſæ, quæ in ejus miniariis detecta fuit, utpote quam ei leges juris attribuunt. Gaudeat, inquam, quia poſſeſſio tam nobilis, & inſignis theſauri ejus nativæ nobilitati majus addet decus, & ſplendorem. Maximus ſplendor alicujus regni eſt, ſi ejus monarcha multos ſub ditione ſua habeat nobiles vaſallos. Ideò Romanorum Imperator pro oſtenta-



Digitized by Google

tione ſuæ magnificentiæ tribûs coronís ſuum caput cingit, ut ſignificet, non eſſe alium in hoc mundo Dominum, qui in multitudine nobilium vaſallorum ſit ſibi æqualis, nec ſimilis in magnificentia. Hodie augetur ſplendor, & nobilitas Hiſpaniæ, quia ſub ſuo nunc habet dominio corpus mei Sancti Patriarchæ, qui nobiliſſimus fuit non ſolùm ob avitam ſanguinis claritatem, quâ principes Hiſpaniæ familias attigit, ùt in ejus vita refertur, verùm etiam ob heroicas ſuas, & ſingulares virtutes, quibûs promeruit, ut fieret unus ex illuſtriſſimis Patriarchis Catholicæ Eccleſiæ: Maximis itàque acceſſionibûs ornatur nobilitas Nationis Hiſpanicæ, quæ in ſuo Gremio poſſidet Corpus hujus nobiliſſimi Redemptoris. P. Andrade in vit. S. Joan. de Mat. cap. 1. N. Melchior à SPIRITU S. l. 1. c. 2. N. 16.

Non eſt alia ſub cœlo Natio tam nobilis, & illuſtris, ùt S. Mater noſtra Eccleſia per os Angelici Doctoris loquitur, quàm illa, quæ fidem Catholicam profitetur: *Non eſt alia Natio tam grandis.* Sed in quo conſiſtit nobilitas, & granditas tam illuſtris Nationis? In eo, quòd corpus cujusdam Redemptoris ſemper ſecum habeat: *DEUS noſter adeſt nobis*: Loquitur autem de hoc admirabili, & Divino Sacramento, quaſi diceret: Grandis quidem, & illuſtris ſemper fuit hæc Natio ob nobilitatem ſanguinis, aſt poſtquàm ejus Redemptor illam poſſeſſione Reliquiarum ſui ſacratiſſimi Corporis ditavit: *Accipite .... hoc eſt corpus meum*, tot incrementis ejus nobilitas aucta fuit, ut ei nulla alia Natio comparari poſſit: *Non eſt alia Natio tam grandis.* Grandis quidem, & valdè illuſtris fuit Hiſpania, antequàm corpus hujus S. Redemptoris, & glorioſiſſimi Patriarchæ mei in ſua poteſtate habuiſſet, ſed poſtquàm ejus poſſeſſionem felici ſorte obtinuit, meritò gloriari poteſt, ſplendorem ſuæ nobilitatis adeò excreviſſe, ut nulla alia Natio ei comparari poſſit: *Non eſt alia Natio tam grandis .... adeſt nobis.* Eccleſ. in Offic. Corp. Chriſt. Matth. 26. v. 27.

Ratio hujus ſatis eſt obvia; hodie námque Hiſpania poſſeſſionem inivit Corporis cujusdam Illuſtriſſimi Redemptoris Trinitarii: Hodie itàque ſummo ſplendore circumfunditur; talia ſiquidem cimelia ſuos poſſeſſores illuſtrant. Quærunt Theologi cum Doctore Angelico in tertia parte, quæſtione, & articulo primo, an DEO convenerit Incarnatio Verbi Divini? Omnes conſonis ſuffragiis affirmativam ſententiam propugnant, hac nixi ratione, quòd altiſſimus DEUS per Incarnationis myſterium oſtenderit granditatem ſuorum attributorum, atque hôc pactô promeritus fuerit, ut ſe

 homi-

Digitized by Google

homines majoribûs laudibûs celebrarent. Libet id clariùs oſtendere & rationem Theologorum meo propoſito conformare. Dico itáque, Myſterium Incarnationis conveniens fuit Verbò Divino; ejus namque operâ infinita DEI ſapientia modum invenit, quô ſuam magnitudinem augeret. Ità teſtatur Luſcinia Claravallenſis, cujus hæc ſunt verba: *CHRISTUS cùm per naturam Divinitatis non haberet, quô creſceret, invenit.* Neque aliud pro hoc fine medium elegit, quàm aſſumptionem, ſive poſſeſſionem cujusdam corporis unius Redemptoris Trinitarii, quia erat corpus unius Perſonæ ex SSS. TRINITATE. Atque hoc medium adeò aptum erat ad augendam magnitudinem Divinam, ut, licèt Verbum priùs etiam fuerit infinitæ granditatis, accipiendo tamen poſſeſſionem illius ſacri Corporis, multò majorem pro noſtro loquendi modulo acquiſierit, & ad ſublimiorem quendam magnitudinis gradum aſcenderit: *Cùm per naturam Divinitatis non haberet, quô creſceret, invenit.*

S. Bernard. homil.

O felix Hiſpania! Ad quantam aſcendiſti magnitudinem obtenta poſſeſſione Corporis mei ſancti Patriarchæ! Si ipſe DEUS, cujus magnitudo eſt infinita, major apparet, dum Corpus unius Trinitarii Redemptoris poſſidet, quantis non incrementis tuam granditatem augebit, corpus mei Patriarchæ, & Redemptoris, quod in tua nunc poteſtate habes, cúmque certum ſit, Majeſtatem, & granditatem eſſe conjunctam rebus, quæ poſſidentur, evadit conſectaneum, majeſtatem tuam eſſe valdè magnam, dum corpus mei Sancti Patriarchæ poſſides.

Sexta die univerſalis hujus mundi architecturæ creavit omnipotens DEUS protoparentem noſtrum, & videtur, ac ſi poſſeſſione rei tam pretioſæ majorem etiam confeſtim honorem, & exiſtimationem conſecutus fuiſſet; priusquàm enim homo conderetur, DEUS ſimpliciter DEUS in S. Scriptura nominatur: *Dixit DEUS: fiat lux:* & quamvìs eſſet Dominus totius Univerſi, nullibi tamen alius honoris titulus ei additus fuit, ùt patet ex toto primo capite Libri Geneſis: Aſt quamprimùm hominis productio deſcribitur, illicò etiam tam admirabili artifici Domini nomen adjicitur: *Formavit igitur Dominus DEUS hominem*, in quem locum eloquentiſſimus Tertullianus ità commentatur: *Dominus cognominatur, qui retrò DEUS tantùm:* nec immeritò; habere ſiquidem

Gen. 1. v. 3.

Gen. 2. v. 7.

Tertull. lib de Reſurrect.

Digitized by Google

dem ſub ſuo dominio tam illuſtrem vaſallum, DEO maximam exiſtimationem conciliat: undè licèt in prioribus diebus ſimpliciter DEUS vocatus fuerit, absque alia honoris præfatione: *Dixit DEUS*, aſt obtenta poſſeſſione Adami confeſtim ei Domini titulus additur, qui deindè etiam per totum caput ſecundum frequentiùs iteratur: *Dominus DEUS.* Adam Pater erat, & fundator humani generis: tanti autem fecit DEUS poſſeſſionem hujus hominis, ut, quamvìs priùs magnus fuerit, nunc tamen novô honoris titulô ſe illuſtret: *Dominus DEUS.*

Textus iſte eſt adeò perſpicuus, ut tam religioſo, doctóque Auditorio injuriam irrogarem, ſi in ejus applicatione tempus conſumere vellem. Hoc ſolùm itáque dico, quod ſi DEO tantum honorem conciliavit poſſeſſio Adami, quantam gloriam conferet Hiſpaniæ poſſeſſio mei Sancti Patriarchæ? Si omnipotenti DEO, cujus immenſa eſt magnitudo, Domini titulum peperit poſſeſſio unius hominis, qui ſe voluntariô peccatô conſpurcavit, quantum non ſplendorem pariet Hiſpaniæ poſſeſſio tam illuſtris ſancti, cujus heroicas virtutes nè culpa quidem originalis obfuſcare potuit?

Quod ſi tu autem, mi glorioſe Pater! ex peculiari DEI providentia in Hiſpaniam veniſti, ut eam poſſeſſione tui S. Corporis nobilitares, & radiis tuorum prodigiorum illuſtrares, cur tanto tempore delituiſti? Cur te noſtro conſpectui ſubduxiſti? Cur tuas ſacras Reliquias per ſexaginta ſex annos à noſtris oculis abſcondiſti? Forſitan ut Hiſpanos de tua ſanctitate certiores redderes? Fieri potuit, ut hæc mens tua fuerit, cùm & ipſa S. Scriptura ſanctos abſconditorum nomine denotet; nam ubi editio vulgata habet: *Cogitaverunt adversùs ſanctos tuos*, legit Originale Hebræum: *Adversùs abſconditos tuos*; nam ſolitudinem amare, & latebras quærere, eſt, ùt ingenioſus Mendoza ſcribit, ſanctum eſſe. Pſalm. 82. Mendoz. in Reg. cap.10. N. 11. §. 11.

Levidenſe tamen meum ingeniolum aliam cauſam, aut potiùs myſterium hujus tam diuturnæ latebræ detexit. Glorioſiſſimus Patriarcha meus non ſolùm ſanctus fuit, ſed etiam Doctor Eminens imò, & Doctor cœleſtis: Similes autem Doctores, quando beneficia erogare intendunt, ſuas quidem luces in prodigiis, quæ operantur, oſtendunt, ſed perſonas ſuas abſcondunt, eáſque à noſtro conſpectu ſubſtrahunt: Cùm verò & ipſe quoque meus S. Patriarcha in Hiſpaniam venerit, ut eam ſuis beneficiis ditaret, frequentiſſimis miraculis, & continuatis beneficiis ſuum ſplendorem oſten-

Digitized by Google

oſtendit, ſed eodem ſimul tempore ſuam perſonam occultavit, ſacrúmque corpus ſuum oculis noſtris ſubduxit.

Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra:* Hiſce verbis Increata ſapientia Doctoribus ſuæ Eccleſiæ præcepit, ut ſplendorem ſuæ lucis hominibus palàm ob oculos ponerent. Ingenioſum eſt iſtud præceptum; non enim dixit: Sic debetis vos Doctores lucere, ſed dixit: ſic debet ſplendere *Lux veſtra.* Lucidum, ùt logici dicunt, eſt quoddam concretum ex ſplendore, & perſona, ſive, ut eorum terminis utar, ex materia, & forma. Lux in hoc concreto partes abſtracti obtinet, quia ſolam formam ſignificat, & exprimit, ſinè manifeſtatione perſonæ, ſive materiæ, quæ illam evibrat. Ex hac doctrina, quæ in ſcholis pro re certiſſima venditatur, eruitur diſcrimen, quod inter Doctores cœli, & inter Magiſtros hujus mundi intercedit; iſti enim, quando nobis ſuîs lucibûs favent, ſuas etiam perſonas manifeſtant, ut homines eas videant: Aſt Doctores cœli, quando mortalibus beneficia conferunt, lucem quidem ſuorum prodigiorum oſtendunt, ſemetipſos autem abſcondunt, ſuáque corpora noſtris aſpectibus ſubducunt: *Sic luceat lux veſtra.*

Glorioſiſſimus Patriarcha meus fuit Doctor cœleſtis; quatenus enim hunc Gradum in Univerſitate Pariſienſi admitteret, neceſſarium fuit, ut ipſe Princeps Apoſtolorum de cœlo deſcenderet, eique hoc in DEI nomine præciperet, quemadmodùm in ejus vitâ refertur: ac propterea, quando in Hiſpaniam venit, ut eam ſuis beneficiis locupletaret, ſuam perſonam abſcondit, id eſt: Sacrum corpus ſuum celavit, ſuáſque duntaxat luces per repetita prodigia manifeſtavit. Sanctiſſimus hicce Doctor totus lux fuit: *Vos eſtis lux*, ſed novit ille tam ingenioſam diviſionem inter ſuam lucem, ſuúmque ſacrum corpus inducere, ut, licèt lucem ejus prolixè conſpexerimus, perſonam tamen, de qua prodierat, minimè viderimus: *Sic luceat lux veſtra.* Nemo tamen plùs æquo miretur; Lux námque mei ſancti Patriarchæ eſt lux cujusdam Redemptoris Trinitarii, ſuppeditata à Redemptore Divino: hæ autem Trinitariæ luces peculiari quadam ratione tali lucendi modô ab aliis luminibus differunt.

Diviniſſimus Redemptor noſter de cœlo deſcendit, ut ſuis beneficiis mundum inundaret: Scribit autem S. Evangeliſta Joannes, Eum adeò latuiſſe, ut nemo Illum cognoverit: *In mundo*

Joan. 1. v. 10.

*erat*

Digitized by Google

*erat . . . . & mundus Eum non cognovit.* Ubi ſimul notandum eſt, hunc cœleſtem Redemptorem fuiſſe tam conſpicuam, & coruſcam lucem, ut omnem latè terrarum orbem ſui ſplendoris jubare illuſtraverit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem,* ait idem ſacer Scriptor. Hi Textus ſibi invicem è diametro adverſari videntur, cùm in bona Philoſophia lux illuminare nequeat, quin ab illis videatur, quos fulgoris ſui claritate perfundit; ideò námque cæcos non illuminat, quia oculi eorum lucis radios non percipiunt. Quod ſi igitur CHRISTUS eſt lux tam magna, & diffuſa: *Quæ illuminat omnem hominem,* cur dixit aquila Evangeliſtarum: *Mundus eum non cognovit?*

Ratio hujus eſt: quia erat lux cujuſdam Redemptoris, & Doctoris cœleſtis, erat lux cujuſdam Sancti Trinitarii, & Divini: hujuſcemodi autem luces, quamvìs ſuis prodigiis mundum illuminent, ſuas tamen perſonas, ſive corpora ſolicitè abſcondunt, ùt ex allato Textu clarè colligitur; dilectus enim diſcipulus non dixit: *Et mundus eam non cognovit, ſed eum,* quibûs verbis S. Evangeliſta magno acumine perſonam à luce diſtinxit, & quamvìs de luce dixerit, eam hominum oculis expoſitam fuiſſe, id tamen de perſona negavit; maxima ſiquidem excellentia hujus Divini, & Trinitarii Redemptoris conſiſtit in eo, quòd, licèt mundum ſuo ſacratiſſimo corpore ditaverit, eúmque luce ſuorum prodigiorum illuſtraverit: *Illuminat,* ſuam tamen perſonam tam cautè celaverit, ut nemo in ejus cognitionem pervenerit: *Mundus eum non cognovit.*

Ipſe quóque meus S. Patriarcha lux fuit, quæ tantam cum CHRISTO ſimilitudinem habuit, ut ſacrum Evangelium illos æquiparare videatur: *Ecce ego.* Ac proptereà, quamvìs in Hiſpaniam venerit, ut eam ſua luce illuſtraret, ſuóque ſacro corpore nobilitaret, illud tamen ſexaginta circiter, & ſex annis abſcondere voluit, ſolámque lucem prodigiorum ſuorum Hiſpanis oſtendit: *Illuminat,* quin aliquis cognoſceret corpus illud, à quo tanta beneficia emanaverant: *Non cognovit.* Maxima CHRISTO excellentia in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod Doctor Angelicus appellat: *Miraculorum ab ipſo factorum maximum,* hæc eſt, quòd ejus Diviniſſimum corpus adeò ſit ab oculis noſtris abſconditum, ut S. Eccleſia de eo dicat: *Quod non capis, quod non vides,* cùm tamen interea In ſeq. Miſſ.

tereà lux ejus clariſſimè ſplendeat in noſtris animabus: *Pane vitæ, & intellectûs.* Ad eundem planè modum voluit altiſſimus DEUS, quando corpus mei S. Patriarchæ tamdiu latere permiſit, Hiſpaniæ ſignificare, quanti pretii, & excellentiæ ſit theſaurus, quô ejus dominia ditavit.

Et ſicut columna, quæ populum electum per deſertum deduxit, mira magnitudine refulſit: *Sanctis autem tuis maxima erat lux*, quia uno eodémque tempore & nubes, & ignis erat: ignis, ut ſuo fulgore gentem hebræam illuminaret: nubes, ut ſe ab eorum oculis abſconderet, ità quóque meus glorioſus Patriarcha ſexaginta circiter, & ſex annis nubes, & ignis fuit: nubes, ut ſacrum corpus ſuum celaret: ignis, ut ſuo ſplendore omnes Hiſpanos illuminaret; eſt enim lux immenſæ magnitudinis: *Lux maxima.* Cùm verò mea Excalceata Familia efflictim deſideraret, ut Natio Hiſpanica propriis oculis intueri poſſet theſaurum, quem poſſidebat, enixiſſimis ſuis precibûs, & irremiſsis laboribûs effecit, ut Summus Pontifex ejus pretium declaraverit, & Capitulum S. Petri illius dominium in nos tranſcripſerit, quatenùs in iſto altari omnium Hiſpanorum oculis expoſita eſſet hæc inæſtimabilis margarita, cujus poſſeſſione eorum dignitas tantopere augetur, & nobilitatur, licèt ejus proprietas peculiariter ad meam Religionem Trinitariam pertineat.

Sapient. 18. v. 1.

# PUNCTUM II.

## *Proprietas.*

SEcundum hodierni ſermonis mei punctum oſtendet, quòd meæ Excalceatæ Familiæ Trinitariæ collata ſit proprietas harum ſacrarum Reliquiarum, ut ejus operâ diteſcat. Hunc actum aſſignant Juriſconſulti in Dominio directo. Eſt autem Proprietas ex mente Bartoli *in leg. Si quis §. Differentia ff. de acquirenda poſſeſſione: Jus perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur.* Quòd autem mea Diſcalceata Religio hoc jure gaudeat, nemo facilè in controverſiam vocaverit, cùm Vaticanum Capitulum per Donationem in nos tranſtulerit dominium, quod in hoc ſacrum corpus habebat: Undè etiam Juriſconſulti aſſeveranter propugnant, donationem nihil eſſe aliud, quàm transferre dominium rei alicujus in

in alterum: *Donatio transfert dominium rei donatæ in donatarium*, qui etiam docent, quòd omne dominium directum proprietatem includat.

His accedit, quòd, quantùm conjicere licet, mea S. Religio certô quôdam modô jam obtinuerit iſtud dominium. Adducam rationem, quâ, ut hoc crederem, perſuaſus ſum. Corpus mei S. Patriarchæ ab humanis oculis remotum, multisque ſigillis obſignatum ſexaginta circiter ſex annis ſub vigili cuſtodia aſſervatum fuit. Ex quo infertur, illud intereà quoddam captivitatis genus toleràſſe. Doctor Seraphicus de Incarnato DEO loquens, ait, eum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe captivum: *Ecce! quem totus mundus capere non poteſt, captivus noſter eſt*: Hæc autem captivitas, ſi quid meo judicio tribuitur, in eo conſiſtit, quòd hoc Diviniſſimum Corpus oculis noſtris ſubductum ſub candido illo ſacramentalium ſpecierum velamine velut in quadam cuſtodia exiſtat. Nec deſunt ei ſua ſigilla, utpote de quo S. Joannes ſcribit: *Hunc enim PATER ſignavit DEUS.* Quæ verba doctus Barradas ità exponit: *PATER ſignavit FILIUM, hoc eſt, divina ſigilla FILIO appoſuit*: Clariùs autem Cajetanus: *Hunc, id eſt, panem ſigillavit DEUS.* Conſimili etiam ratione Corpus mei S. Patriarchæ captivum fuit, donec illud mea Excalceata Religio menſe Septembri anni elapſi ex diuturna hac cuſtodia produxiſſet, ídque priſtino cultui reſtituiſſet, & omnes ei honorum demonſtrationes exhibuiſſet, quæ Sanctorum Corporibus in hoc mundo exhiberi conſueverunt. Ergò redemit illud! Hæc illatio ſatìs eſt clara, & in doctrina S. Pauli fundata.

S. Bonavent.

Joann. 6. v. 28.

Barrad. to. 2. in Evangel. l. 3. c. 3.

Cajet. in Joann.

*Gemimus*, ait Doctor gentium, *expectantes redemptionem corporis noſtri.* Quaſi diceret: aſſiduis gemitibûs conficior, donec conſequar redemptionem mei Corporis. Quid tu dicis Vas electionis! Nónne fide ſanctum eſt, quòd DEI Filius nos omnes in ligno crucis redemerit? Affirmat hoc S. Paulus, addit tamen aliam adhuc redemptionem deeſſe; ibi ſiquidem redempti fuimus de captivitate animæ: Reſtat proindè etiamnum redemptio corporum, quæ in eorum glorificatione conſiſtit, ùt Gorranus, S. Joannis Chryſoſtomi veſtigia ſecutus, aſſerit: *Hic petit gloriam corporis.* Duplex eſt autem gloria, ùt Cornelius à Lapide docet, quâ corpora Sanctorum perfruuntur; prima eſt perfecta, & con-

Rom. 8.

Gorr. in Epiſt. ad Rom.

A Lap. in Ep. ad Rom.

 ſum-

Digitized by Google

ſummata, quam in cœlo obtinebunt: altera eſt inchoata, & imperfecta, quam in hoc mundo, à mortis, & peccatorum vinculis exempti recipiunt, illa nimirùm veneratio, & cultus, quem fideles corporibus Sanctorum impendere ſolent. Cùm itáque mea Excalceata Familia identitatem hujus S. Corporis evicerit, eidemque publici cultûs gloriam longô poſtliminiô reſtituerit, evadit conſectaneum, quòd illud etiam juxta allegatum Textum Sancti Pauli redemerit: *Redemptionem Corporis.*

Quod ſi autem mea Trinitaria Religio hoc S. Corpus redemit, jam ejus poſſeſſionem inivit. *Redemi te:* Dixerat quondam altiſſimus DEUS de Jacob Patriarcha, per Iſaiam Prophetam. Sed quid ſequitur ex Redemptione? Hoc S. ſcriptura immediatè ſubdit: *Meus es tu.* Sequitur, quòd tu ſis meus. Sed undè infertur, quòd ſit Ejus? Ex antecedente Redemptionis: *Redemi te;* Redemptor enim quoddam dominium proprietatis acquirit in captivos, quos redemit: *Meus es tu.* Mea Redemptrix Familia ſacrum hoc corpus è captivitate, in qua per ſexaginta ſex annos aſſervatum fuit, denuò in lucem produxit, eique libertatem priſtini cultûs reſtituit, ut proindè theſaurum, quem inſtar depoſiti aliquamdiu retinuit, deindè etiam tamquàm rem propriam poſſidere cœperit, idque multò majori jure, quàm ſi ejus per naturam fuiſſet, cùm jus ejus poſſeſſionis fundetur in amore, quô eum redemit: magìs autem cuivis eſt proprium, quod ex impulſu charitatis redimit, quàm quod ejus eſt per naturam.

Pſalm. 109. Audiamus regium Vatem: *Dixit Dominus, Domino meo.* Quis eſt iſte Dominus, qui dixiſſe ſcribitur? Et quis eſt ille Dominus, ad quem dixit? Eſt PATER æternus, ait Lorinus, unigenitum ſuum Filium alloquens. In hoc Textu David æternum PATREM appellat ſimpliciter Dominum: *Dominus.* CHRISTUM autem nominat Dominum ſuum: *Domino meo.* Sed quid? Nónne æternus PATER æqualiter eſt Dominus Davidis, ac FILIUS? Hoc certè ex verbis Davidis apertè non colligitur, cujus rei talis mihi ratio occurrit: Sceptriger Propheta cœleſti PATRI debebat beneficium creationis; huic námque Divinæ Perſonæ creatio attribuitur: *PATREM omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.* Debebat DEI Filio beneficium Redemptionis, ùt ipſe diſertis verbis teſtatus eſt: *Qui redemiſti David ſervum tuum.* Exiſtimavit itá-

Lor. in hunc Pſalm.

Symbol. Nicæn.

Pſalm. 143.

Digitized by Google

itáque David, ſe, licèt eſſet ſervus PATRIS, majori tamen jure eſſe ſubditum FILII; PATRIS námque ſolùm erat, quia ab eo eſſentiam naturæ accepit, ſed FILII erat ex titulo Redemptionis, quâ eum de captivitate liberavit. Ac propterea æternum PATREM ſimpliciter Dominum nuncupavit: *Dixit Dominus*, Filium verò Dominum ſuum: *Domino meo.* Scilicet in opinione Davidis majus jus ad poſſeſſionem alicujus rei habet ille, qui eam ex amore redimit, quàm ille, ad quem ex natura pertinet.

Ratio hujus ſatis eſt obvia; illud enim, quod alicui per naturam proprium eſt, poteſt à jure proprietatis excidere, quia poſſeſſori eripi valet. Atque in hunc modum omnipotens DEUS Adamo abſtulit coſtam, quæ erat ejus per naturam. Sed id, quod ex amoris titulo poſſidetur, nullis viribûs tolli poteſt. *Dura ſicut infernus æmulatio*, ait Salomon in ſacro Epithalamio. Amor eſt adeó fortis, ſicut infernus. Cujus rei cauſa ex dictis facilè colligitur. Domini mei! nulla datur potentia, quæ aliquid ex inferno eripere queat, quod ſemel eò intravit; infernus enim redemptionem non admittit: *In inferno nulla eſt Redemptio*, ut proindè ille, qui ſemel inferno in prædam ceſſit, per omnem æternitatem in ejus poteſtate ſit permanſurus. Id autem, quod in inferno eſt violentia, eſt natura in amore redimente: Undè etiam, quidquid conſequitur, tam firmiter retinet, ut ejus proprietatem ſibi nunquam eripi patiatur: *Dura ſicut infernus æmulatio .... Non eſt Redemptio.* Ac propterea dixi, quòd corpus mei S. Patriarchæ, rẹ penitiùs inſpecta, jam proprium fuerit meæ Excalceatæ Religioni, quæ tam flagranti amore illud ex captivitate produxit: Cùm verò proprietas rei adeò pretioſæ ſit maxima gloria meæ Trinitariæ Familiæ, ideò aſſeverare non dubito, eam hujus theſauri poſſeſſione ſummis divitiis auctam fuiſſe.

Cantic. 8.

Eccleſ. in Offic. Def.

Omnes divitias cœleſtes poſuit SSS. TRINITAS in ligno Crucis, ait Doctor mellifluus: *Ditavit trophæum crucis conſummatio Dominicæ Paſſionis.* Cujus facti talis mihi cauſa occurrit. Diviniſſimus Redemptor noſter mortuus eſt in ligno S. Crucis, atque adeò ei proprietatem harum ſacratiſſimarum Reliquiarum contulit, quas in illo dimiſit: Harum autem poſſeſſione Crux adeò ditata fuit, ut omnes cœli divitias obtinuerit: *Ditavit trophæum Crucis.* Hodie ex Donatione Capituli Vaticani conſecuta eſt mea

S. Bernard. Serm. 1. in die Paſchæ.



Digitized by Google

Excalceata Familia proprietatem Corporis ſui ſanctiſſimi Patriarchæ, qui & ipſe Redemptor fuit : Undè ſicut lignum S. Crucis à Corpore Divini Redemptoris omnigenarum Divitiarum acceſſionem percepit, ità mea Religio Trinitaria corpore hujus Redemptoris humani ſummis divitiis locupletata fuit.

Nunc tandem intelligo diverſitatem ſtyli, qua uſi fuerunt SS. Evangeliſtæ, de Joſepho ab Arimathæa loquentes. S. Matthæus affirmat, eum virum fuiſſe valde potentem, & opulentum : *Venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph.* Aſt S. Lucas eum duntaxat de vitæ integritate commendat : *Qui erat vir bonus, & juſtus :* Alter eum celebrat ùt divitem, & potentem, alter ùt juſtum, & ſanctum, quæ ſanè epitheta communiter exiguam inter ſeſe affinitatem habent ; potentia námque, & divitiæ plerúmque ſunt ſanctitatis tineæ, & ſorrices. Quomodò itáque dixerunt, hunc virum & juſtum, & divitem fuiſſe? Quia Corpus Divini Redemptoris accepit, ait gloria, & immortale decus Præſulum Mediolanenſium : *Et meritò dives hoc loco dicitur, ubi Corpus ſuſcepit CHRISTI.*

Math. 25. Luc. 23. S. Ambroſ. in Luc. c. 23.

Juſtus erat Joſeph, quando juxta S. Lucam Pontium Pilatum acceſſit, atque ab eo Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI poſtulavit : *Vir bonus, & juſtus petiit Corpus JESU.* Sed quamprimùm ex dono Præſidis Divinas illas Reliquias accepit : *Donavit corpus Joſeph*, ut ſcribit S. Matthæus, factus eſt dominus maximarum divitiarum : *Et meritò dives hoc loco dicitur, ubi corpus ſuſcepit CHRISTI*, utpote qui cum ipſo corpore cœleſtis Redemptoris ineffabiles theſauros adeptus eſt : *Accepit ipſummet Divinitatis theſaurum.* Verba ſunt S. Epiphanii. Hodie celebrat mea S. Religio Trinitaria Donationem, qua ei Eminentiſſimus Cardinalis Albanus, Præſes Capituli Vaticani contulit Corpus ſui S. Patriarchæ, qui & ipſe Redemptor fuit Divino valdè ſimilis : *Ecce ego.* Quodſi autem Joſeph adeò dives evaſit obtento Corpore illius Redemptoris Divini, mea quoque S. Religio ſe impendiò locupletatam gratulatur poſſeſſione corporis hujus Redemptoris humani.

Epiph. Orat. de ſepult. Chriſt.

Neque mirum ; nam ùt ex Oraculo Davidis conſtat, gloria & divitiæ idem prorsùs ſignificant : *Gloria, & divitiæ in domo ejus.* In quem locum Phœnix ingeniorum ità commentatur : *Ipſa*

Pſal. 111.

*Ipſa ejus gloria, ipſæ ejus divitiæ.* Gloria eſt maxima opulentia. Ac propterea docent Theologi, Beatitudinem eſſe ſtatum quendam perfectum, omnium bonorum cumulum in ſe complectentem: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* vel, ùt S. Auguſtinus loquitur: *Beatus eſt, qui habet omnia, quæ vult.* Notetur autem, maximam gloriam filiorum ex mente Salomonis eſſe parentes: *Gloria filiorum, patres eorum.* Mea itàque Excalceata Religio, quæ hodie obtinuit proprietatem, & poſſeſſionem ſui glorioſi Patris, ac Patriarchæ, ſimul etiam conſecuta fuit maximam ſuam gloriam, & cum illa inæſtimabiles divitias: *Ipſa ejus gloria, ipſæ ejus divitiæ.* S. Auguſt. hic. Boη. l. 3. de Cav. S Aug. l. 15. de Trinit. cap. 11 Proverb. 1.

Unde ſi infiniti cujusdam amoris eſt argumentum, quòd omnipotens DEUS ſe totum beatis largiatur: Si immenſæ charitatis indicium eſt, quòd CHRISTUS ſacratiſſimum Corpus ſuum hominibus donaverit, ùt angelus ſcholarum loquitur: *Ergo majus ſignum dilectionis eſt, quòd corpus ſuum CHRISTUS tradidit nobis in cibum.* Ad eundem etiam modum amor, quem ſanctiſſimus Patriarcha meus hodie erga ſuos Diſcalceatos filios oſtendit, quibus ſuum corpus contulit, valde magnus, & ineffabilis cenſendus eſt. Nemo tamen miretur; amor enim, ſi fides eſt Philoſophis, in ſimilitudine fundatur. Amor Narciſſi fuit ardentiſſimus, quia objectum, quod dilexit, fuit ei ſimillimum. Sed miſſa faciamus figmenta, quando ſuppetunt veritatis documenta: Amor, quo æternus PATER ſuum unigenitum FILIUM diligit, eſt infinitus, ùt docent Theologi, idque hac de cauſa, quòd inter has duas Perſonas Divinas infinita quædam ſimilitudo intercedat: Sunt unus DEUS in duabus Perſonis: Duæ Perſonalitates in una natura Divina: Cùm verò tam magna ſimilitudo inter eos vigeat, ideò tam immenſus eſt amor eorum, D. Thom. Quodli. 5. q. 3. art. 9.

Mea Excalceata Familia haud immeritò dici poteſt vivum quoddam ſpeculum, in quo relucent virtutes mei S. Patriarchæ, utputà candor ejus puritatis, ſplendor ejus humilitatis, rigor ejus pœnitentiæ, idem eſto de aliis ejus virtutibus judicium. Præterea mordicùs retinet auſteritatem vitæ, in Regula primitiva expreſſam, quam idem meus glorioſus Pater ſervavit, ſuisque filiis Trinitariis ſervandam reliquit. Hanc veritatem ipſe glorioſiſſimus meus Patriarcha teſtatus eſt, quando, in forma pellucidi ſolis, infinitos radios de ſe evibrantis, apparens, dixit, his radiis deſignari viros eminen- N. Fr. Melchior in vita S. Joan. de Matha. l. 3. c. 4.

Digitized by Google

eminentiſſimæ ſanctitatis, qui tunc temporis inter ejus Excalceatos filios vivebant: Cùm autem inter radios, & ſolem tanta intercedat ſimilitudo, voluit ſanctiſſimus Pater noſter innuere, quàm immodico amore ſuam Excalceatam Familiam proſequatur, quæ in vitæ auſteritate procedit ſicut vera ejus filia pro immortali ſui S. Parentis corona.

In myſterio SSS. TRINITATIS Verbum vocatur Filius, ùt fides docet, cujus rei cauſam (præter alias, quas non ſinè ingenii commendatione præcedentis diei Concionator adduxit) talem Theologi aſſignant, quia Verbum Divinum in ſuo modo procedendi eſt exactiſſima quædam imago PATRIS æterni: undè & S. Baſilius ſcripſit: *Totum PATREM in ſe ipſo habet FILIUS, ut imago genita.* Et Doctor gentium illud appellavit, imaginem PATRIS æterni, & figuram ejus ſubſtantiæ: *Cùm ſit . . . . figura ſubſtantiæ ejus.* Hunc itáque tam nobilem Filium, cùm PATER æternus mundo revelare conſtituiſſet, dixit per Iſaiam: *Revelabitur gloria Domini*, quòd Verbum Divinum ſit ejus gloria; Filius enim, qui in ſuo modo procedendi tam accuratam imaginem refert ſui æterni PATRIS, eſt ejus immortalis corona gloriæ.

Baſil. apud Cornel. in Sap. c. 6. v. 26.

Iſaiæ. c. 40.

Veni nunc, mi dulciſſime Pater! recipe coronam, quam tibi in ſuo procedendi modo gratanter offert tua Excalceata Familia! Fac tantùm, ut hæc imago ſit perpetua, ut tua vita inter nos perennet: Amor facit, ut amantium vita tranſeat in vitam dilectorum, effice, ut hæc myſtica transmutatio, & ſacra quædam metempſychoſis ſemper inter nos permaneat. Tota felicitas noſtra conſiſtit in eo, ut cum S. Apoſtolo Paulo dicas: *Vivo ego, jam non ego.* Vivo poſt mortem! quia immortali vitâ perfruor in vita meæ Excalceatæ Familiæ, in qua vitæ meæ ſanctitas ad vivum expreſſa relucet: Cúmque amor bonorum communionem inducat, ei libens, volénsque proprietatem mei corporis reſigno, cujus poſſeſſionem dedi Hiſpaniæ, & uſumfructum huic coronatæ urbi Madritenſi.

Ad Galat. c. 2.

# PUNCTUM III.

## *Uſusfructus.*

Hiſce verbis tertium hodierni ſermonis mei punctum attigi, in quo oſtendam, qualiter mea Excalceata Familia tertium directi

ſti dominii actum, qui in uſufructu conſiſtit, huic nobiliſſimæ urbi cedat, ut eum in ſuam utilitatem convertat. Dominium utile, ſive uſusfructus, ùt docent Juriſconſulti, & lex prima *ff. de Uſufructu, eſt jus utendi, fruendi rebûs alienîs ſalvâ earum ſubſtantiâ.* Eſt jus fructum capiendi ex aliena ſubſtantia. Quòd autem jus iſtud ad hanc civitatem pertineat, ſatìs clareſcit, ſi motivum penetretur; epiſtolæ ſiquidem, quas noſtri Reges Catholici, & hæc coronata civitas in favorem meæ S. Religionis ad Summum Pontificem exarârunt, effecerunt, ut Declaratio Identitatis hujus S. Corporis faciliùs ſuccederet, atque adeò ſacrum hoc corpus publicam venerationem citiùs reciperet, ut proindè ei ex juſtitia uſusfructus deberi videatur.

His accedit, quòd Capitulum Vaticanum in ſuo decreto diſertîs verbîs præcipiat, ut hæ ſacræ Reliquiæ: *Perpetuò colantur in Eccleſia Conventûs Madritenſis eorundem.* Ex quo infertur, uſumfructum peculiariter ad Madritenſes pertinere: In aulis hujus mundi ſolemne eſt, ut illi majoribûs favoribûs perfruantur, qui Principibus ſunt propiores, partim quia tales majoribûs favoribûs digni cenſentur, partim quia alios ùt plurimùm nobilitate, aliisque dotibûs ſuperant, ùt dicit gloſſa *in lege Senatoris filium ff. de Senatoribus.* Et lex prima *Cod. de præpoſitis laborum*, ad quam etiam conſuetudinem ex mente Maldonati CHRISTUS reſpexit, quando de SS. Angelis dixit: *Semper vident faciem PATRIS mei, ſumptâ enim*, ait ſupra citatus ſcriptor, *ab aulæ conſuetudine metaphorâ:* Satìs autem conſtat, Madriti maximam partem nobilitatis Hiſpanicæ verſari: Certum eſt pariter, hujus urbis incolas mei S. Patris corpori eſſe viciniores, ut proindè absque controverſia iſtis præcipuè uſusfructus debeatur, quos meus Sanctus majoribûs favoribûs dignatur.

**Ex Decret. Rom.**

**Matth. 8. Maldon hic.**

Totum humanum genus innumeros percepit favores à Diviniſſimo Redemptore noſtro: ille tamen, qui ſpecialem uſumfructum poſt Sereniſſimam Angelorum Reginam MARIAM obtinuit, fuit S. Joannes Evangeliſta; huic enim in opinione multorum Sanctorum ſuperna pietas rarô privilegiô conceſſit, ut à communi mortis tributo exemptus eſſet: Accepit in cuſtodiam pretioſiſſimam orbis terrarum margaritam, ſacratiſſimam videlicet DEI Matrem MARIAM, &

**SS. Hypol. Doroth. Damaſc. & alii apud Sylveir. in Evang. to. 5. l. 9. c. 8. q. 16.**



Digitized by Google

Joann. 19. & deſignatus eſt filius cœleſtis Imperatricis: ***Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.*** Tot denique favores huic felici Apoſtolo collati fuerunt, ut eum Salomon Hiſpaniæ, Phœnicem Sanctorum appellitet. Et nè quidquam illi deeſſet, CHRISTUS eum titulô dilecti diſcipuli honoravit: ***Quem diligebat JESUS.*** Sed ô Domine! ſi de cœlo deſcendiſti, ut toti humano generi benefaceres, cur S. Joanni Evangeliſtæ præcipuos favores contuliſti?

Abulenſis in Matth. c. 4. q. 110. Inter Apoſtolos Chriſto unicus erat Joan.

Quia S. Joannes præ aliis ſemper corpori ſui Divini Magiſtri fuit vicinior; in cœna ſiquidem: ***Recubuit ſupra pectus JESU.*** In monte autem Calvariæ, in quo hæ Divinæ Reliquiæ exaltatæ fuerunt, idem S. Joannes nè lato quidem ungue ab eis receſſit: ***Cùm vidiſſet JESUS Matrem, & diſcipulum, quem diligebat.*** Cùm autem S. Joannes Divinis illis Reliquiis adeò propinquus fuerit, ideò præ cæteris aliis uſumfructum majorum beneficiorum percepit. Diviniſſimus Redemptor noſter fuit quidem univerſalis omnium hominum benefactor, aſt S. Joannes ſacratiſſimis Reliquiis ejus adorandi Corporis propiùs ſemper adhæſit: Factus eſt itàque peculiaris uſufructuarius, majoréſque favores, & beneficia reportavit, quia huic ſacroſancto corpori vicinior fuit: ***Recubuit ſuper pectus JESU. Quem diligebat JESUS.***

Joann. 21.

Joann. 19.

Corpus mei S. Patriarchæ ex peculiari DEI diſpoſitione in Hiſpaniam venit, ut eam ſuis beneficiis locupletaret. Omnes itàque Hiſpani has gratias prætendere poſſunt, Madrito tamen jus manet ad ſingularem uſumfructum, quia has ſacras Reliquias in ſuo gremio fovet, & ſi rectè conjicio, ipſa translatio earum ad hanc civitatem ſignum eſt minimè obſcurum, incolas hujus urbis Sancto noſtro præ cæteris Hiſpaniæ populis in deliciis fuiſſe, utpote in quorum ſocietate ad nos pervenit: ***Recubuit ſuper pectus . . . quem diligebat JESUS.*** O Felix Madritum! ô felices incolas hujus urbis! ô quàm beatos vos eſſe conſidero, qui intra muros veſtros tam propinquum protectorem veſtrûm poſſidetis. Hoc ſacrum corpus ſerviet vobis ab hac die pro ſcuto contra terrores Divinæ Juſtitiæ; glorioſus ſiquidem Patriarcha meus, tamquàm pius pater, ſuis precibûs DEI manus ligabit, nè, ſicut noſtris delictis promeremur, in nos animadvertere poſſit.

Sacra Scriptura duarum ficuum meminit, quarum alteram ſcribit floruiſſe *ſecùs viam*, alteram verò ait fuiſſe: ***Plantatam in***

Digitized by Google

*in vinea.* Utramque CHRISTI Majeſtas morti addixerat, vibrato in alteram maledictionis fulmine: *Nunquàm ex te fructus naſcatur.* Et pronuntiatâ in alteram exciſionis ſententiâ: *Succidite illam.* Notandum eſt autem, quòd ſupplicium utrique intentatum in una executioni mandatum, in altera verò dilatum fuerit; ficus enim ſecùs viam plantata: *Areſacta eſt continuò:* alia autem in ſuo virore permanſit. Rem miram! ſi ambæ juſtè condemnatæ fuerunt, cur altera ſupplicium evaſit? Quia homo ille, qui in vinea pro ejus cuſtodia morabatur, ſua interceſſione prolatam ſententiam ſuſpendit: *Domine dimitte illam:* preces autem Sanctorum, qui nos comitantur, nobíſque aſſiſtunt, tantæ ſunt efficaciæ, ut Divinam vindictam ſufflaminent, promeritáſque pœnas avertant.

Marc. 11.

Commentemur pauliſper in allegatam parabolam, quatenùs conceptus meus clariùs eluceſcat. Vinea, ùt SS. Expoſitores ſcribunt, fuit figura populi electi, cui DEUS paternos favores exhibuit: *Plantavit vineam, id eſt, populum electum,* ait doctus Sylveira. Maceria, qua hæc vinea circumdata fuit, typum geſſit Sanctorum, qui ad inſtar firmiſſimorum mœnium eum defendunt, & protegunt, ùt aureum Chriſtianæ eloquentiæ flumen, S. Joannes Chryſoſtomus teſtatur: *Sepem ſignificare cuſtodiam juſtorum, qui tamquàm murus facti ſunt populo.* Turris, qui in ea aſſurrexit, deſignavit templum Religionis ab ipſo DEO extructum, in quo omnia virtutum genera reſplendere voluit: *Ædificavit in ea turrim, id eſt, templum à PATRE æterno ædificatum, ex cujus religione omnium bonorum fontes redundant.* Et in hoc templo, ait Origines, habitavit Redemptor Divinus, ut hunc populum defenderet. Ità hanc parabolam Sylveira exponit.

Sylv. in Evang. to. 4. l. 6. c. 43. q. 2.

S. Chryſoſt. in opere imperfecto homil. 40.

D. Cyrill. Hier. & alii apud Sylv. ubi ſup.

Orig. homil. 19. in Matth.

Arbitror autem, totam hanc exegeſim applicari poſſe huic nobiliſſimæ civitati, quam inhabitat populus à DEO electus pro majori ejus gloria propaganda, & quæ velut cor quoddam eſt noſtræ ſalvificæ fidei, ùt teſtatur glorioſus titulus Catholici, quô noſtri Reges ornantur: Urbs, cujus ſpirituales muri ſunt multa Corpora Sanctorum, qui eam protegunt, ac defendunt, & in qua ſplendet ſacrum Templum meæ Trinitariæ Familiæ, quæ peculiaris ſtructura eſt Divinarum manuum, ùt conſtat ex Oraculo Innocentii III., qui in confirmatione meæ S. Religionis his verbis uſus fuit: *Hic eſt*



Digitized by Google

*Ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, ſed à ſolo ſummo DEO.* In cujus cœleſti Inſtituto refulgent omnes virtutes, quibûs cæteræ Religiones nobilitantur, ùt Urbanus VIII. P.M. dixit: *In quo ferè omnia Inſtituta, quaſi per compendium exercentur.* Pro majori autem ejus cuſtodia venit hodie meus glorioſus Patriarcha, ut tamquàm pius pater hunc populum electum defendat, & tamquàm benigniſſimus Redemptor eum à rigore Divinæ Juſtitiæ præſervet: *Domine! dimitte illam.*

O térque, quatérque beati incolæ hujus urbis Madritenſis! ô quàm felices eſtis, dum in medio veſtrûm piiſſimum quendam patrem, & Redemptorem habetis, qui vos cuſtodiet, ac defendet. Totum Amaltheæ cornu hodie ſuper ædes veſtras effuſum fuit, quia in meo S. Patriarcha obtinetis potentiſſimum protectorem animarum veſtrarum! Nolite ingrati eſſe tam magno benefactori; gratitudo ſiquidem eſt propria virtus honoratorum virorum, ut proindè à tam nobilibus animis vix aliud ſperandum ſit. Grati itáque eſtote, ſi hujus Sancti beneficia experiri velitis: *Qui manducat meam carnem . . . . habet vitam æternam.* Dixit quondam Increata Veritas: Qui fructus mei Corporis percipit, vitam æternam poſſidebit. Hæc verba ùt primùm in auribus quorundam inſonuerunt, illicò vociferari cœperunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* O quàm dura verba! Sed qualem duritiem homines iſti invenire potuerunt in verbis adeò blandis, & ſuavibus? Ergóne res ſit dura, quòd CHRISTUS eis tantum favorem præſtare velit?

Joann. 6.

Ego id declarabo: Nulla erat durities in verbis CHRISTI, ſed illud, quod ex eis deducitur, ùt ingenioſus Mendoza obſervat, eis ſupra modum durum videbatur; retrogradi námque diſcipuli illi ità ſunt ratiocinati: Sanctus iſte Redemptor ſuum corpus nobis dare conſtituit, ut illud nobiſcum habeamus, & ex eo fructus, id eſt, vitam animarum noſtrarum, & conductum ad æternam gloriam decerpamus. Ex quo infertur, Eum ex juſtitia talem à nobis gratitudinem efflagitaturum, quæ tam immenſo beneficio æqualis ſit: Atque hoc demùm, dixerunt illi, eſt impendiò durum: *Durus eſt hic ſermo.* Sed licèt hoc durum eſſe videatur, adeò tamen eſt neceſſarium, ut ex mente S. Auguſtini aut favor non ſit admittendus, aut ei debita gratitudine reſpondendum: Et ideò re-

Mendoza in lib. 1. Reg. c. 15. n. 1. §. 9.

S. Auguſt. in Soliloq. c. 18.

Digitized by Google

recusârunt diſcipuli oblatum beneficium, quia talis obligatio eis viſa eſt longè duriſſima: *Durus eſt hic ſermo.* Aſt incolæ hujus nobiliſſimæ civitatis gratanter receperunt corpus mei S. Patriarchæ, deſiderántque favorum ejus participes fieri: Arbitror autem illos obligationem indè emanantem haud gravatè admiſſuros, & gratitudinem inter res duras minimè computaturos; animis enim adeò generoſis nihil ſuaviùs videtur, quàm gratam vicem rependere pro uſufructu tam benefici, & prodigioſi corporis.

Gloriare itáque nobiliſſima civitas de tanta felicitate tua! Quòd ſi enim Roma jure ſe circumſpicit ob ſacras Reliquias duorum Apoſtolorum, Patrum, & Propagatorum Religionis Chriſtianæ, ſanctorum nimirùm Petri, & Pauli, quas ſinu ſuo complectitur: Tu quóque gaudes Corpore mei glorioſi Patriarchæ, Patris, & Fundatoris meæ Religionis Trinitariæ, & veri Apoſtoli Dalmatiæ. Si cœlum ſplendicante ſolis jubare non tam decorè ornatur, quàm Roma hiſce ſacris Reliquiis, ùt S. Joannes Chryſoſtomus aſſeverat: Magna pariter tua eſſe debet pulchritudo ô regia civitas, quæ corpus tam nobilis ſancti poſſides.

D. Leo Serm. 1. in Natal SS. Apoſt Petri, & Pauli.

S. Chryſoſt. hom. 32. in Ep. ad Rom.

Gloriare ter felix Hiſpania; hodie ſiquidem augmentum tuæ gloriæ accipis, tuámque nobilitatem magis extollis; quòd ſi enim præſentia Jacobi Ægyptiis innumera bona conciliavit, quanta non adferet bona Hiſpaniæ præſentia mei glorioſi Patriarchæ? Si tota Tribus Gad tantum honorem conſecuta fuit, quia corpus Redemptoris Moyſis intra ſuos terminos ſepultum habere promeruit. O quantum honorem ſibi jam noſtra Hiſpania polliceri poterit, quæ corpus tam inſignis Redemptoris in hoc ſplendido throno ſepultum aſſervat.

Mendoz. l. 1. Reg. cap. 3. n. 21. annot. 7. ſect. 2.

Vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus. Deut. 33. v. 21. Ad quæ Lyranait: iſte Doctor fuit Moyſes ſepultus in ſorte Gad, & hoc ceſſit ad magnum honorem illius.

Gloriare denique mea Excalceata, & Trinitaria Familia, quæ tam pretioſô cimeliô ditaris! Si Putiphar à DEO ſexcentis felicitatibûs ditatus fuit, quia Patriarcham Joſeph in ſua domo habuit, quantis non inundabitur bonis mea Trinitaria Familia, quæ corpus ſui S. Patriarchæ poſſidet? Si Arca Teſtamenti, quæ ſymbolum fuit Corporis Divini Redemptoris, tantis benedictionibûs cumulavit Obededom, cur ſibi non etiam mea Excalceata Familia innumeras benedictiones polliceatur ob hanc magnificam Arcam, in qua corpus iſtius Redemptoris humani continetur?

Gen 39 v. 5.

Exultet Hiſpania, quia hodie ejus ſplendor, & nobilitas latiùs excrevit! Lætetur hæc coronata civitas, quia ejus felicitas nunc ma-

2. Reg c. 6. Benedixit

magis effloreſcet! Gaudeat mea ſacra Religio, quia hodie cum angelis dicere poteſt ad Hiſpanos: *Venite, & videte locum, ubi poſitus* eſt Redemptor! Tu autem, mi glorioſe Patriarcha manifeſta nunc Hiſpanis tuam pietatem, ac patrocinium, eiſque plurimos favores exhibere non deſine! Impetra nobis à ſanctiſſima TRINITATE lucem pro intellectu, fervorem pro voluntate, felicitatem pro noſtris operibus, ut Altiſſimo DEO in hac vita fideliter ſerviamus, ac deindè ad tuam beatiſſimam Societatem in æterna gloria perveniamus: *Ad quam nos perducat &c.*

Dominus Obededom, & omnem domum ejus. Marc. 16.

Tam copioſus, politus, & ornatus ſermo univerſalem approbationem totius Auditorii reportavit, ut proindè de hoc adeò diſerto Eccleſiaſte jure dici potuerit, quod eloquentiſſimus Caſſiodorus ad alium quondam ſcripſit: *Nihil præſtabiliùs videtur, quàm poſſe tenere dicendo hominum mentes, allicere voluntates, impellere, quò velit, undè autem velit, ducere.*

Aurel. Caſſiod. l. 6. cap. 4.

Veſpera, & nox, quantùm ad muſicam, illuminationes, & campanarum ſonitum attinet, nihil à prioribus diebus diſtinctum habuerunt. Totum diſcrimen conſiſtebat in permutatione theatri, ſive exedræ ad inſtar theatri efformatæ, quæ pro ſequentis diei feſtivitate præparabatur, quam nobiliſſima, & devotiſſima Confraternitas JESUS Nazareni Captivi, & Redempti ſuæ pietati ſacram eſſe voluit.

# CAPUT XV.

## *Deſcriptio octava Feſtivitatis, quæ celebrata fuit undecimâ Maji, die Lunæ.*

Dies Lunæ fuit ſecunda dies in illo mirifico opere, quo omnipotens DEUS cœlum, terrámque creavit: Hæc autem dies lunæ nobis fuit dies octava noſtrarum Feſtivitatum. Hac die ſapientiſſimus orbis univerſi Architectus ſpectabile illud ſtellarum theatrum, quod cœlum appellavit, diviniſſimis manibûs ſuis condidit: *Opera manuum tuarum ſunt cœli:* Iſti autem, ùt regius Pſaltes teſtatur, ſonorô præconiô DEI magnificentiam prædicant: *Cœli enarrant gloriam DEI.* In Illuſtriſſima, piiſſima, & nobiliſſima confraternitate JESUS Nazareni clariſſima relucet cœlorum effigies.

Pſalm. 101. Pſalm. 18.

Digitized by Google

gies. Hæc prodigioſa imago capta quondam, & indigniſſimis contumeliîs à Mauris affecta fuit, pro cujus injuriîs reſarciendis formatum fuit cœlum hujus Congregationis, in qua ſinguli ſodales ad inſtar ſcintillantium ſtellarum refulgent; non tam ob avitam plurimorum nobilitatem, cùm plerique, huic Confraternitati inſerti, Ducum, Principum, & Marchionum titulô glorientur, quàm ob indefeſſum ſuum ſtudium, quô illata JESU Nazareno opprobria novís ſemper honorum demonſtrationibûs antiquare, & abolere ſatagunt. Gaudens itáque confluxit ad celebrandam gloriam mei S. Patriarchæ, tamquàm Patris, & Fundatoris illius Religioſæ Familiæ, cujus operâ imago Diviniſſimi Redemptoris noſtri ab ignominioſiſſima captivitate redempta fuit.

Horâ conſtitutâ Eccleſiam noſtram hæc nobiliſſima Confraternitas longo ordine eſt ingreſſa, cujus vexillum unus è numero Conſiliariorum portavit. Impletâ exedrâ datum eſt initium incruento ſacrificio, quod inter exquiſitiſſimos phonaſcorum modulos decantavit Multùm Reverendus P. F. Franciſcus à S. Jacobo, Miniſter noſtri Collegii Cæſar-Auguſtani. Finitô Evengeliô eloquentiſſimam ſuadam ſuam expromere cœpit Orator hujus diei, Multùm Reverendus P. F. Franciſcus à S. Felice Valeſio, qui ſuo munere tanta dexteritate functus fuit, ut intra breve unius horæ ſpatium exquiſitiſſimas dotes ſuas luculentiſſimè prodiderit. Concio ejus, quæ nunc ſequitur, huic rei teſtimonium perhibebit.

CON-

Digitized by Google

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam Octava die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum, peroravit multùm R. P. Fr. Franciſcus à S. FELICE Valeſio, Lector actualis SS. Theologiæ in noſtro Collegio Complutenſi.*

Hæc feſtivitas ære Nobiliſſimæ Confraternitatis JESUS Nazareni peracta fuit.

## T H E M A.

Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. *Matth. cap.* 10. *v.* 16.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. *Joann. cap.* 16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6. *v.* 56.

## S A L U T A T I O.

P*Oſt nubila Phœbus*, vetus ait proverbium. Poſt diſcuſſam gravis alicujus tempeſtatis caliginem ſol rutilis ſuis radiis lætiùs promicat. Unica interdum nubes ſplendores intercipit, quamvis autem hôc pactô videatur ejus elegantiam obſcurare, reápſe tamen ei majorem gloriam conciliat, quia fulgor ejus hoc quaſi repagulô cohibitus ſuos radios deindè efficaciùs diffundit, ità, ut ſuo jubare omnes in admirationem rapiat.

Id ſanè videre licuit temporibus Nehemiæ, quando reſtauratô templô Hieroſolymitano ſol auream ſuam lucem tam blandè
2. Mach. 1. per totum illud hemis-phærium diſperſit: *Ità ut omnes mirarentur.*
v. 22. Sed priùs tamen pellucida claritas ejus atrô triſtium nubium ſpariò obducta fuit: *Qui priùs erat in nubilo*, ac propterea tot ſer-

Digitized by Google

fermè de ſe prodigia exhibuit, quot radios evibravit, cùm tempus inſtaret, ut hoc ignobile peplum ab ejus rutilante facie amoveretur: *Tempus affuit, quô ſol refulſit .... ità, ut omnes mirarentur.*

Ipſum quóque corpus mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha ſol eſt. Hoc teſtatur ejus Hiſtoria, in qua legimus, faciem ejus recèns ex utero materno progreſſi, ad inſtar ſolis effulſiſſe: *Eminebant in vultu naſcentis clara muneris futuri indicia, erumpentis vivi luminis radii .... puerum in ſolem adulto.* Hujus præfulgidi ſolis claritatem intercepit una nubes, quæ licèt ex amoris vaporibus condenſata fuerit, Eum tamen longo tempore debitæ venerationis ſplendore privavit. Venit nunc tempus, quô hæc caliginoſa nubes diſſiparetur: *Tempus affuit,* & confeſtim hoc auricomum ſidus, quod ſub hoc nubilo delituerat: *Qui priùs erat in nubilo,* immenſam vim fulgidiſſimorum radiorum è cœlo hujus Eccleſiæ effudit. Macedo in Vita S. P. N. JOANN. de Mat. cap. 1. fol. 2.

Meritò proindè meus glorioſus Patriarcha cum regio Propheta dicere poteſt: *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto.* Feciſti Domine! aut potiùs permiſiſti, ut oſſa mea aliquamdiu occultarentur, nullum tamen eorum ſemper abſconditum manſit: *Non eſt occultatum os meum;* omnia enim nunc in hoc magnifico throno collocata videntur. Delituêre quidem aliquo tempore, motus námque, quos prima nubes excitavit, ea in diverſa loca detruſerunt, jámque de eorum ſplendore penitùs actum eſſe videbatur ob pertinacem furorem continuæ tempeſtatis contra illa excitatæ, ſed diverſum prorsùs evenit, cùm hæc ipſa turbulenta tempeſtas in cauſa fuerit, ut eorum fulgor glorioſiùs nunc emicaret. Pſalm. 138. v. 15.

Eximiam quandam imaginem, aut typum viciſſitudinum, quibûs Arca, corpus mei S. Parentis continens, jactata fuit, invenio in Arca Diluvii. Præceperat omnipotens DEUS ſervo ſuo Noë, ut Arcam fabricaret, cujus operâ ipſe cum tota ſua familia ſalvaretur. Nec tergiverſatus eſt Noë, ſed impigro labore Arcam perfecit, quæ aliquamdiu in eo loco permanſit, ubi conſtructa fuerat. Cœpit deindè cœlum reſeratis cataractis tota undarum flumina non tam depluere, quàm evomere, quibûs dietim increſcentibûs Arca procelloſis fluctuum vorticibûs ità jactata fuit, ut priorem ſtationem Gen. 6. & 7.



Digitized by Google

ſuam retinere nequiverit, ſed neceſſe habuerit in diverſa loca commigrare: *Ità, quòd Arca moveretur, fluctuando per diverſas partes aquarum inundantium*, ait doctiſſimus Alphonſus Toſtatus. Ità periclitabatur Arca ſatis longo tempore in diverſis ſcopulis, donec detumeſcentibûs aquis ipſi fluctus, qui excidium ei illaturi videbantur, ipſam in ſummam altitudinem extulerint, & ſuper celſiſſimos Armeniæ montes collocaverint: *Requievit Arca ſuper montes Armeniæ.*

Abulenſ. hic fol. mihi 131. F.

Geneſ. 8.

Idipſum prorsùs contigit felici Arcæ, quæ corpus mei glorioſi Patriarchæ claudebat. Perſtitit hæc multis annis Romæ, in qua urbe meus dilectus Pater è vita exivit. Inundaverunt deindè aquæ diverſorum eventuum, quorum vorticibûs agitata, & in diverſa loca translata fuit, ùt omnes paſſim nôrunt. Surrexerunt deindè tam impetuoſi difficultatum fluctus adversùs ejus cultum, ut viri etiam cordatiſſimi naufragium metuerent, tam rabido furore contradictionum fluctus Declarationem ejus identitatis aſſiliebant, ut ejus venerationis occaſus tam vicinus videretur, quàm propè oppoſitionum undæ inſtabant, de quibus haud invenuſtè illud Ovidii diſtichum uſurpari potuiſſet.

*Navita ſolicitus jam ventos horret iniquos*
*Et propè tam lethum, quàm propè cernit aquam.*

Ad eundem planè modum jactata fuit hæc felix Arca, ſacræque Reliquiæ in ea contentæ, quarum cultus longo tempore inter maxima pericula fluctuabat. Placuit tandem Altiſſimo, ut hæc tempeſtas remitteret, quam è veſtigio ſubſecuta fuit declaratio Identitatis. Perſeverante hâc malaciâ iidem fluctus, qui rabido priùs furore contra hanc Arcam inſurrexerant, nobis ſummam felicitatem noſtram advexerunt, ipſi verò Arcæ requiem conciliârunt, eámque in maximam altitudinem extulerunt: *Requievitque Arca ſuper montes*; hanc enim jam poſſident tamquàm rem propriam Hiſpania, hæc regia Civitas, ac denique mea Excalceata Religio, quæ profectò ſunt montes adeò magni, ut cum altiſſimis hujus mundi de ſublimitate certent.

Quæret nunc aliquis, quomodò factum ſit, quòd hæc felix Arca inter tanta pericula naufragium evaſerit, & inter tot fluctus absque ullo damno ad tam majeſtaticum thronum eluctata fuerit? Pla-

Digitized by Google

Placet mihi hæc interrogatio, ut tantò clariùs proportio, aut ſimilitudo utriusque Arcæ eluceſcat. Huic itáque, ut reſpondeam aliam interrogationem movebo; quæro enim, quomodò factum fuerit, quòd Arca Noë exitialibûs Diluvii fluctibûs undique quaſſata, & impetita inter tot minaces ſcopulos citra ullum damnum ad altiſſimos Armeniæ montes pervenerit? Res eſt ſanè mirabilis, ait ſupra citatus Abulenſis: *Mirabile fuit.* Aſt quamvìs eventus iſte ſit valdè mirabilis, talis tamen prudenter ſperari potuit, quia, ùt docet Phœnix ingeniorum S. Auguſtinus, Divina Providentia motus fluctuum gubernavit, ac propterea Arca illa nullum in hac decumana tempeſtate detrimentum ſuſtinuit. Hæc ratio propoſitæ interrogationi abundè ſatisfacit. Sed cur voluit Divina Providentia tam peculiari ſolicitudine hanc Arcam curare? Modò utriusque Arcæ ſimilitudo evidentiùs cognoſcetur, meúmque propoſitum magis illuſtrabitur. Vehebat hæc Arca, ait Jacobus Edeſſenus, inſignes quasdam Reliquias, utpote cui Noë intulit oſſa Proto-parentis noſtri Adami, quem Beatiſſima TRINITAS conſtituit Patrem, & Magiſtrum cujusdam Familiæ, per totum mundum diffundendæ: *Faciamus hominem . . . . & præſit.* Ideò Arca non periit, quamvìs omnes fluctus in ejus exitium conſpiraverint. Ideò Divina Providentia eam ab omni damno conſervavit, & ſatagea gubernatione ad ſummam altitudinem extulit: *Requievit Arca ſuper montes*; Arca enim, quæ repoſitorium eſt tam ſacrorum oſſium, meretur, ut iiſdem fluctibûs, quibûs impugnatur, ad ſummam celſitudinem, & eminentiſſimum thronum provehatur.

Abul. ubi ſup.

S. Auguſt. l. 15. de Civit. DEI.

Jacob Edeſſ. apud Barceph. l. 1. c. 14.

Gen. 1. v. 26.

Aptiſſima hæc eſt reſponſio ad propoſitam interrogationem: Feliciſſima hæc arca absque ullo detrimento aſcendit ad celſiſſimum honoris thronum, licèt immanes difficultatum fluctus ejus naufragium ſemper urgerent; cùm enim in illa conſervarentur ſacratiſſimæ Reliquiæ, ſive oſſa mei dilecti Patriarchæ, quem Beatiſſima TRINITAS conſtituit Patrem, & Magiſtrum tam diffuſæ Familiæ, neceſſarium erat, ut Divina Providentia motus fluctuum gubernaret, quatenùs eam ſuo impulſu non ſubmergerent, ſed ad ſublimiſſimum locum elevarent.

Satìs nunc conſtat, quàm bellè hæ duæ Arcæ inter ſe colludant: Ego tamen accuratiorem quandam ſimilitudinem in parilitate eventuum inter illas detexi. Arca Noë, teſte Alphonſo Toſtato, menſe Martii ſuper montes Armeniæ requievit. Et ô rem miram!

Abul. in c. 8. Gen. fol. mihi 135. q. 3.



Digitized by Google

ram! Hoc ipſo menſe requievit etiam pro nobis Arca, quæ Corpus mei S. Patriarchæ continet; hoc ſiquidem menſe pervenit ad Hiſpaniam Donatio, quæ nobis ſacrum hoc corpus in proprietatem dedit. Hoc menſe felici conſecuti ſumus maximam felicitatem

Cant. 2. v. 11. noſtram, ut proindè cum ſponſo in Canticis dicere potuerimus, tranſiiſſe jam rigidam hyemem noſtrorum deſideriorum, & inquietarum anxietatum: *Jam hyems tranſiit*, evanuiſſe etiam omnes triſtitiæ pluvias, quæ animas noſtras moleſtabant: *Imber abiit, & receſſit*, & amœniſſimam quandam veris temperiem terris noſtris ſupervenisse:

Ibid. v. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra.*

Ab eo ſtatim tempore avidis votis concupivimus ſolemnem cultum his S. Reliquiis exhibere, quatenùs nos DEO pro tanto beneficio gratos monſtraremus. Id ipſum fecit Noë, poſtquàm Arca aliquamdiu quieviſſet; turbulentum ſiquidem tempus ei non permiſit, ùt hoc priùs præſtaret, ſed ſerenato jam aëre, rebúsque omnibûs ad ſacrificium ritè præparatis, convocavit totam ſuam familiam, tamquàm unicus Pater, & ſupremum caput illius: Ad eundem planè modum noſtrum nobiliſſimum caput, noſter unicus, & generalis Pater, cui Alexandri cedunt in pervincendis rebus impoſſibilibus, quamvìs ei æquales ſint in nomine, congregavit ſuos filios, ut omnipotenti DEO pro tanto beneficio debitas gratias perſolverent, eidémque incruentum ſacrificium in hoc admirabili Sacramento offerrent.

Familia Noë erat nobiliſſima quædam Confraternitas, ſive

Hugo Card. in c. 8. Gen. ſuper verſ. Odoratus eſt. congregatio, in qua Noë, ſi quæ fides Eminentiſſimo Hugoni, typum gerebat JESUS Nazareni: *Ibi Noë, hic Jacob, per utrumque CHRISTUS*, qui ſe tunc in ſupremis Armeniæ montibus conſtitutum vidit, poſtquàm aliquo tempore in Arca incluſus, & quaſi captivus latuiſſet. Noë proindè ſymbolum fuit imaginis JESUS Nazareni, quæ poſt ſuam captivitatem ad ſummam altitudinem ſublimata fuit: ut proindè Familia Noë conſtituerit quandam confraternitatem, ſive Congregationem imaginis JESU, in eminente throno poſt ærumnabilem captivitatem collocatæ. Hæc aſtitit ſacrificio à Noë poſt obtentam Arcæ requiem celebrato, & hæc eadem hodiernæ ſolemnitati noſtræ intereſt; dulci ſiquidem violentiâ à noſtro unico Superiore, ac Patre attracta ſe adjunxit meæ Trinitariæ Familiæ Excalceatæ pro augendo ſplendore harum Feſtivitatum, quibûs celebratur quies Arcæ, pretioſas Reliquias mei glorioſi Patriarchæ felici

ſinu

Digitized by Google

ſimu complectentis, Nobiliſſima Confraternitas, ſive Congregatio JESUS Nazareni, olim quidem capti, deindè autem à noſtris Religioſis redempti, & in hoc majeſtatico throno collocati, conſpirat cum mea Excalceata Religione Trinitaria in venerationem S. P. N. JOANNIS de Matha; alios námque honorare habet pro ornamento ſuæ nobilitatis. Attraxit eam noſter Superior, & Pater, quia voluit ad inſtar Noë Divinæ Majeſtati ſplendidiſſimum cultum deferre, ad quod flagrantiſſimô zelô ſuô impulſus fuit, qui ejus præcordia adeò obſedit, ut nullis expenſis parceret. Sed quid mirum, ſi ſuam Religionem videt ſumma felicitate ditatam, & Reliquiis hujus S. Corporis maximas mundi urbes honoratas.

Decollato S. Joanne Baptiſta ſacrum ejus Corpus Hieroſolymîs permanſit. Diſcipuli ejus indignè ferentes, ſe tantô theſaurô privari, regem adierunt, atque ab eodem licentiam ſacrum hoc corpus aſportandi efflagitârunt, & obtinuerunt. Cæterùm quamvis rex illis S. Corpus donaverit., ſibi tamen inſignem Reliquiam retinuit; quam, ùt Nicephorus ſcribit, in ſuo palatio aſſervavit. Diſcipuli itáque gaudiô offertiſſimi ſacrum Corpus illicò acceperunt, illudque ſuis ſumptibûs Samariam tranſtulerunt, in qua urbe juxta S. Hieronymum, & Iſidorum idipſum honorifico ſepulchro incluſerunt. Aſt quomodò diſcipuli tantopere lætari potuerunt, quando rex unam inſignem Reliquiam hujus S. Corporis pro ſe reſervavit? Quia hoc, reſpondet Sylveira, ex peculiari DEI diſpoſitione proceſſit, ut à corpore tam magni Sancti plura loca honorem, & protectionem mutuarent: ***Altâ Providentiâ dividitur Corpus à capite, ut multis eſſet in auxilium, patrocinium, ac defenſionem.*** Ac propterea diſcipuli S. Joannis Baptiſtæ tantis gaudiis inceſſerunt, tantósque ſumptus in fabricam ſepulchri profuderunt; neque enim eis difficile eſſe poterat tot expenſas erogare, quando videbant ſuum Magiſtrum tantâ gloriâ auctum fuiſſe.

Niceph. l. 10. c. 13.

S. Hieron. in Epitaph D. Paulæ, & in Prol. Abdiæ. Proph. D. Iſidorus in lib. de PP. nov. & vet. Teſtamenti.

Sylv. tom. 3. in Evang. q. 14. N. 87.

Sacra mea Religio corpus ſui dilecti Patris, & Magiſtri conſecuta eſt quidem à Capitulo Vaticano, cui illud ex donatione Summi Pontificis obtigit, hac tamen conditione adjecta, ut inſignem aliquam hujus S. Corporis Reliquiam Romam transmitteret? *Et ut ad ejusdem Baſilicæ Capitulum ab iisdem Religioſis ſtatim ac fieri poterit, transmittatur inſignis Reliquia ex oſſibus S. JOANNIS, ut una ejus pars collocetur in Eccleſia S. Thomæ* de

Decr. Capit. pro Donat. Corp. S. P. N. JOANN. de Math.

*de Formis, & reliquum in Baſilica Vaticana.* Cùm verò mea S. Religio, ejúſque nobiliſſimum Caput, ſatìs ſciret, totum hoc cedere in gloriam ſui S. Patriarchæ, idque ex peculiari diſpoſitione Divinæ Providentiæ, ut ſacris hiſce Reliquiis tam inſignes civitates honorarentur, ideò propenſiſſima voluntate huic S. Corpori tam magnificum ſepulchrum condidit, &, ut ſe cœlo gratam monſtraret, nullis ſumptibus pepercit, non ignorans, quòd ſingularibus beneficiis debeantur ſingulares gratiæ: *Ave MARIA.*

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, *Matth. ùt ſup.*

# INTRODUCTIO.

IN hodierno Evangelio noſtro occurrit quædam Donatio, à CHRISTO facta; Diviniſſimus námque Redemptor noſter mittit in eo ſuos diſcipulos, & Apoſtolos, ut prædicationis lumine orbem terrarum illuſtrarent, *Ecce ego mitto vos*, quod idem erat ex mente S. Pauli Apoſtoli, ac eos mundo donâſſe: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos.* Ex omni juſta donatione proprietas in illos redundat, qui rem datam accipiunt, ut proindè illi, ad quos Apoſtoli miſſi fuerunt, eos tamquàm rem propriam conſideraverint. Exploremus nunc, quínam ſint illi, ad quos CHRISTUS ſuos Apoſtolos miſit, ut ſciamus, quibúſnam proprietas in Apoſtolos competat. Miſit ſua Majeſtas Apoſtolos ad urbes, & ad regna: *Ad præſides, & ad Reges ducemini*, peculiariter tamen eos miſit ad ſingularem quandam Familiam, quæ ad ipſam magis pertinebat, nempe ad Judæos, qui ex eadem cum CHRISTO proſapia erant oriundi: *In viam gentium nè abieritis.... ſed ite ad oves domûs Iſraël.*

Ad Ephef. 4. v. 11.

Matth. ubi ſup. v. 18.

Ibid. v. 5. & 6.

Hoc continet Textus hodierni Evangelii, & id ipſum evenit cum corpore mei glorioſi Patriarchæ; iſtud enim vi cujuſdam Donationis Hiſpania, hæc regia civitas, peculiariter tamen mea S. Religio tamquàm rem propriam aſpiciunt.

Sed cùm magna inter res proprias inveniatur diverſitas, ſupereſt, ut inveſtigemus, quale proprium ſit corpus mei S. Patriarchæ? Ego, ſi quid meo judicio tribuitur, dicere non dubito, illud eſſe proprium logicum in toto rigore, ſivè in quarto modo, *quod*, ut Philoſophi loquuntur, *convenit omni, ſoli, & ſemper.*

Sic Comm. Phil. cum

At-

Digitized by Google

Atque hoc prorsùs locum habet in corpore mei S. Patriarchæ, iſtud enim proprium eſt toti huic Regno, adeóque omnibus Hiſpanis: Inter civitates autem ſpecialiter ſoli Madrito, & jure adhuc magìs particulari ſemper meæ S. Religioni. Porphyr. de Prædicabilibus.

Detegamus uberiùs naturam proprii, ut hæc veritas clariùs elucefcat. Proprium eſt individuus ſodalis Eſſentiæ, quæ inſeparabilitas fundatur in prædicatis rei, cui aliquid proprium eſt; hæc námque prædicata Eſſentiæ irreſolutis vinculis ſuas ſibi proprietates alligant: Undè, ut hoc Corpus mei S. Patriarchæ rigidè loquendo proprietas dici poſſit, neceſſarium eſt: ut dentur aliqua prædicata, quibus hæc proprietas debeatur: Dantur ſanè, nec deſunt hæc Prædicata. Hiſpania ſiquidem allegat originem, quam S. meo Patriarchæ dedit, hæc regia civitas peculiare devotionis ſtudium, quô eum coluit, mea verò S. Religio in ſuum favorem producit titulum filiæ ſingulariter dilectæ. Atque hæc inſignia prædicata nobis jus fundant, ad proprietatem hujus Sacri Corporis.

Hæc eſt idea mei hodierni ſermonis, quem iisdem verbis inſiſtendo in tria puncta dividam. Primum oſtendet, quòd Corpori mei S. Patriarchæ conveniat primum prædicatum proprii logici, cùm totum regnum Hiſpaniæ ejus proprietatem ſibi vendicet ex titulo Originis: *Convenit omni.* Secundum declarabit, quòd Madrito hæc proprietas ſpecialiter debeatur, ob ſpecialem, quâ noſtrum ſanctum proſequitur, devotionem: *Convenit ſoli.* Tertium manifeſtabit, quòd Corpori mei S. Patriarchæ congruat tertium prædicatum proprii logici, quia mea S. Religio jus habet ad illud ſemper poſſidendum, eò, quòd hoc ſit corpus ſui Patris, & Magiſtri: *Convenit ſemper.*

# PUNCTUM I.

PRimum punctum eſt, quòd Corpori mei S. Patriarchæ competat primum prædicatum proprii logici, utpote quod totum Hiſpaniæ Regnum tanquàm rem propriam conſiderat, quia indè originem duxit: *Convenit omni.* Quòd autem S. Pater meus originem ex Hiſpania traxerit, teſtantur nonnulli probatæ fidei hiſtoriographi; cùm enim Falcone in Provincia natus ſit, quæ regio tunc temporis Hiſpanicæ Monarchiæ unita fuit, evadit conſectaneum, eum origine ad Hiſpanos pertinere. Hôc ità præmiſsô probandum N. P. Melch. à Spirit. S. in vita S. P. N. JOAN. c. 7.

nunc

nunc reſtat, quòd ex hoc titulo proprietas Corporis mei S. Patriarchæ toti Hiſpaniæ debeatur. Iſtud ego ſequenti diſcurſu evincere intendo.

Phil. comm. in explic. definit generat. vivent. traditæ ab Ariſt. & D. Thom. ſcilicet: origo viventis à vivente à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ.

Philoſophi conſonis docent ſuffragiis, corpora viventium componi ex ſubſtantia Progenitorum: Hæc autem ſubſtantia, ſcribit Magiſter ſententiarum (a) ſemper perſeverat, utpote quam calor naturalis: quamvis alias partes conſummat, intactam relinquit: Sacrum itàque corpus mei dilecti Patris componitur ex ſubſtantia Progenitorum ejus, & perſeveravit in ſubſtantia Hiſpaniæ: Ex quo infertur, quòd totum hoc regnum eum, ùt rem propriam conſiderare poſſit, & debeat, quia ab illo, tanquàm ab immediato ſuo principio deſcendit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Dixerat quondam Proto-parens noſter de ſua dilecta conjuge loquens. Condiderat ſupremus Artifex primos parentes noſtros, initiô à viro ſumptô, quô creato, etiam mulierem produxit, & poſtquàm illam formâſſet, *adduxit eam ad Adam*, quam ubi Adam conſpexit, illicò oſſa ſuæ conjugis in proprietatem recepit, eáque ſua oſſa appellavit: *Nunc os ex oſſibus meis.*

(a) Magiſt. in 2. diſtinct. 30.

Gen. 2. v. 23.

Mirabilis loquendi formula, ſi Adam in præterito locutus fuiſſet, nemo non ejus mentem perſpexiſſet; coſta enim, ex qua Eva prodiit, priùs corpori Adami unita fuit: nunc autem dum hæc coſta, & cætera oſſa aliud corpus conſtituunt, quo jure Adam illa inter oſſa ſua computare potuit? Ego credo, eum hac eadem ratione iſtud aſſeruiſſe, cujus rei ſatìs clara mihi ratio occurrit; nam cùm Adam ſuam coſtam in diſtincta quadam perſona videret, protinùs ipſi in mentem venit, hanc perſonam ab ſe originem ſumpſiſſe, ſuámque ſubſtantiam etiamnum in illa perſeverare: cognovit, hoc corpus de ſua ſubſtantia tanquàm de primo, & immediato ſuo principio compoſitum fuiſſe, ac propterea dixit, hæc oſſa eſſe propria ſua oſſa! *Hoc nunc os ex oſſibus meis;* non enim poterat ea aliter, quàm propria oſſa intueri, qui ſciebat, ſe eſſe principium, & originem illorum.

Hac luce radiante facilè intelliguntur quædam verba S. Auguſtini. Magnum hoc Eccleſiæ Luminare de CHRISTO loquens ait, carnem ejus fuiſſe carnem ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ. *Caro CHRISTI, Caro MARIÆ eſt*, hæc námque diviniſſima caro formata fuit de puriſſima ſubſtantia Virgineæ Matris: Ideò dixit S. Auguſtinus carnem CHRISTI eſſe carnem hujus illibatæ Virginis; hæc

S. Auguſt. Serm. de Aſſumpt. B. V. M. c. 4.

hæc enim, cùm fuerit principium illius, non poterat eam non conſiderare tamquàm rem propriam.

Feliciſſimum Hiſpaniæ regnum Corpori mei Sancti Patriarchæ principium & originem dedit; nam cùm nobiliſſimos ejus progenitores produxerit, eorum ſanguinem illi communicavit, qui ab ipſis deſcendit. Conſectaneum proindè evadit, ut totum regnum corpus hujus Sancti tamquàm rem propriam aſpiciat: Neceſſe eſt, ut ejus proprietate nunc gaudeat, cui olim ſubſtantiam ſuppeditavit.

Defuncto Saule, ejúſque filiô corpora illorum in terra Galaad ſepulta fuerunt, quæ deindè poſt aliquot tempus David exhumavit, eáque in terram Benjamin tranſtulit? *Abiit David, & tulit oſſa Saul, & oſſa Jonathæ filii ejus à viris Jabes Galaad.* Quòd ſi autem hæc oſſa jam fuerunt tumulata, & quidem in loco valdè amœno, ùt Abulenſis teſtatum reliquit: *In nemore Jabes Galaad.* Cur ea David effodit, eíſque in terra Benjamin tam magnificum ſepulchrum extruxit? Hujus facti ſatis claram cauſam ſuggerit idem Abulenſis; ait enim principes iſtos non ex terra Galaad, ſed ex terra Benjamin oriundos fuiſſe, utpote quorum progenitores in Gabaath, urbe Tribûs Benjamin, conſederant: *Saul autem, & Jonathas, erant extra terram ſuam . . . . erat enim civitas illorum Gabaath, de qua proavi eorum fuerant, & ibi ſepulti erant.* Idcircò David tantô ſtudiô corpora eorum in terram Benjamin tranſtulit, eíſque in urbe Gabaath, eodem authore ſuffragante, ſplendidiſſimum ſepulchrum condidit; nam cùm principes iſti ex hac terra originem duxerint, judicavit prudentiſſimè David, huic quoque terræ mortua eorum corpora deberi.

2. Reg. 21. v. 12.

Abul. hic q. 32.

Abul. ibid.

Plùs: Translatio iſtorum oſſium ex terra aliena in terram propriam, ait ſupra laudatus ſcriptor, ideò inſtituta fuit, ut majori honore excolerentur: *David volens honorare Saulem, & Jonatham voluit ducere eos in ſepulchrum Patrum ſuorum.* Ergóne Jonathæ, ac Sauli probro fuit, quòd eorum corpora in terra Benjamin non requieverint? Ità ſe res habet; probroſum eſt enim cuivis Principi à juſtitia deflectere: terra verò Benjamin, tamquàm patria horum principum tantum ad eorum corpora jus habebat, ut juſtitia violata fuiſſet, ſi illorum poſſeſſionem non impetrâſſet.

Atque ob hanc cauſam arbitror, à Davide, & non ab alio, oſſa Jonathæ tunc portata fuiſſe, cujus rei talis mihi ratio in men-



Digitized by Google

1. Reg. 18. v. 1. tem venit: *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David*: undè, cùm David corpus Jonathæ portaret, anima Jonathæ corpus Davidis movebat. Solus itáque David corpus Jonathæ portet; eo námque portante ipſe Jonathas corpus ſuum terræ, undè originem mutuaverat, reſtituit, cui ex tot titulis ejus poſſeſſio debetur.

Sola mea Religio non ſinè peculiari DEI diſpoſitione eſt illa, quæ per donationem accepto corpore mei S. Patriarchæ, ejus poſſeſſionem Hiſpanicæ Monarchiæ tradit; cùm enim anima mei glorioſiſſimi Patris ſit multò tenaciore glutine ſuæ Religioni unita, quàm olim anima Jonathæ animæ Davidis, ideò hoc medium apprehendit, quô Hiſpaniæ debitum ſolveret. Ac proindè meus glorioſus Patriarcha per ſuam Religionem Hiſpaniæ reſtituit poſſeſſionem ſui ſacri Corporis, quæ ei jure debetur, quia ex ipſa originem duxit. Filii in locum parentum ſuccedunt, & obligationem paterni debiti perſolvendi contrahunt: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii.* (Pſal. 44. v. 18.) Soli itáque filii mei glorioſi Patriarchæ Hiſpaniæ poſſeſſionem ejus ſacri Corporis conſerant; hôc námque pactô meus S. Patriarcha Hiſpaniæ pleniſſimè perſolvit debitum, quô ei ob originem, ex ipſa ductam, obſtrictus manſit.

Jacobus Patriarcha morti vicinus filiis ſuis ſingillatim benedixit, eíſque præcepit, ut corpus ſuum in terram Chanaan transferrent, illúdque in Hebron tumularent: *Sepelite me in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi contra Mambre in terra Chanaan.* (Geneſ. 49. v. 29.) Id ipſum in alia quadam occaſione petiit à ſolo Joſeph, filio ſuo peculiariter dilecto, quem ut magìs ad hoc præſtandum obſtringeret, juramentum ab eo exegit: *Jura ergò mihi.* (Gen. 47. v. 31.) Quanta non egit ſolicitudine ſanctus iſte Patriarcha, ut corpus ſuum Ægypto efferretur! Quot non cautelas adhibuit, ut certus eſſet de ſua ſepultura in terra Chanaan! Sed cur iſtud? Quia Jacob indigena fuit hujus terræ, utpote cujus pater Iſaac in ea nativitatis exordium habuit, ùt facilè colligitur ex S. Auguſtino, qui ſcribit, (S. Auguſt. de Civ. DEI l. 16. c. 15.) Abraham totis jam ſexaginta quinque annís in terra Chanaan vixiſſe, quando Thare pater ejus in fata conceſſit. Abulenſis verò teſtatur, (Abul. in c. 11. Gen. q. 8. p. & 16.) Iſaac patrem Jacobi eo tempore, quô Thare mortuus eſt, trigeſimum quintum ætatis annum jam attigiſſe, ex quo infertur, ipſum natum fuiſſe, Abrahamo patre ejus in terra Chanaan exiſtente. Hæc itáque cauſa eſt, cur Jacob ibi ſepeliri voluerit! Ideò filios ſuos tantopere urſit, & impulit: Quaſi diceret: Cùm ego ſim

ex

Digitized by Google

ex Chanaan oriundus, huic terræ debetur corpus meum exanime, quo eam fruſtrari nolo: cùm verò illud propriis manibûs eò perferre nequeam, ideò omnem lapidem moveo, ut filii mei illud transferant; nam cùm illi in meas vices ſuccedant, eis quóque incumbit obligatio paternam voluntatem exequendi, quam ubi opere compleverint, debitum meum ritè perſolutum manebit.

Ad eundem planè modum etiam egit meus S. Patriarcha, qui filiorum ſuorum operâ uti voluit, ut regno Hiſpaniæ poſſeſſionem ſui corporis conferret. Nec metuo, fore, ut aliquis cavilletur, dicátque, hanc aſſertionem meam ex affectato amore procedere, ſi conſideretur, ex peculiari diſpoſitione Divinæ Providentiæ, & paterna ſolicitudine mei glorioſi Patriarchæ factum fuiſſe, quòd Corpus illius ab ejus filiis in hoc regnum transportatum fuerit, quòd mea Religio omnes difficultates pervicerit, quæ ejus venerationi adverſabantur, quòd declarationem ejus identitatis obtinuerit, ac denique donationem impetraverit. Quid autem mirum eſt, ſi hæc ità conſiderentur, quando perpenditur tanta obligatio mei S. Patriarchæ! Nihil ſanè mirum eſt, ſi de meo glorioſo Patre tanta ſolicitudo credatur, qui probè noverat, mortuum corpus ſuum Hiſpaniæ deberi.

***Ad locum, unde exeunt flumina revertuntur.*** Ait SPIRITUS S.; hæc enim, quando ab Oceano emergunt pro ſuo modo naſcuntur, & rursùs quando fluctus ſuos in mare evomunt, moriuntur, eò, quòd alveum ſuum, noménque amittant. Neceſſarium eſt autem, ut fluvios mortuos poſſideat, qui initium eorum nativitati dedit. Flumina moritura ad mare revertuntur, & naturali impulſu eò properant. Tantô ſcilicet debitô mari ſunt obligata, ut contra naturam eorum foret, ſi illud non perſolverent. Scilicet ex juſtitia debetur mari poſſeſſio mortuorum fluminum, quia eis principium, & originem dedit. **Eccleſiaſt. 1. v. 7.**

Ictu cujusdam lanceæ apertum fuit ſacratiſſimum latus Diviniſſimi Redemptoris noſtri, cujus adorandum, & amoris æſtu flammidum cor, quàmprimùm hoc oſtium vidit, illico tota gratiarum flumina profudit, ſanguine, & aqua indè emanante: ***Continuò exivit ſanguis, & aqua***, ut humanum genus innumeris favoribûs inundarent: Ubi tamen notandum eſt, ſanguinem, ùt S. Textus innuit, ante aquam egreſſum fuiſſe: ***Exivit ſanguis, & aqua***, quod etiam Doctor Eximius ſuô ſuffragiô comprobat: ***Intelligi poteſt,*** **Joann. 19. v. 34.** **Suarez to. 2. in part. 3.**

D. Thom. Diſp. 41. ſect. 1.

*teſt, priùs totum ſanguinem fluxiſſe; deindè verò aquam manâſſe.* Cùm igitur pretioſiſſimus iſte ſanguis mortuus fuerit ( utpote qui poſt mortem effuſus eſt ) quomodò tanta celeritate prorupit, ut aquam anteverteret? Mihi talis cauſa in mentem venit, quæ mirè ad propoſitum meum facit. Non eo inficiàs, aquam naturali propenſione ad ſuum centrum contendiſſe: ſanguis verò conſiderabat in hominibus ſuum principium, & originem: Ideò nobiliſſimus iſte ſanguis, quamvis mortuus fuerit, aquam velocitate prævertit, ut tantò citiùs hominibus ſe traderet; licèt enim aqua obligationem habeat ſeſe ſuo centro communicandi, magis tamen pretioſus hic ſanguis ſe obſtrictum putavit, ut ad illos tenderet, à quibus originem ſumpſit.

Cornel. in cap. 5. Geneſ. v. 5.

Tertull. l. 2. Carm. cont. Marcion. c.4.

Libet id clariùs exponere: Sancti Patres, quos refert Cornelius à Lapide, conſonis ſuffragiis docent primum parentem noſtrum Adamum, à quo totum humanum genus originem duxit, atque adeò ipſa quoque ſacratiſſima humanitas Domini noſtri JESU CHRISTI, ſub pede crucis ſepultum fuiſſe. Id ipſum præter alios diſertè fatetur Tertullianus ſequenti metro:

*Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum.*

D. Auguſt. Serm. 71. de Temp.

Ideò Diviniſſimus iſte ſanguis, etsì vitâ caruerit, aquam tamen fluendo prævenit, præcipitique rivulô ad illud ſepulchrum contendit, ùt S. Auguſtinus ſcribit: *Sanguis ille pretioſus etiam Corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur ſtillando contingere:* Maximam nimirùm obligationem agnovit ſe in illa terra ſepeliendi, in qua ſuum principium, & originem conſpexit. Tantum jus fundat defuncta maximorum virorum corpora poſſidendi, eorum progenitoribus originem dediſſe, atque hoc jus competit toti huic Regno, quantùm ad poſſeſſionem corporis mei S. Patriarchæ attinet, ex quo deducitur ei exactè convenire primum prædicatum proprii logici: *Convenit omni.*

## PUNCTUM II.

IN ſecundo puncto me oſtenſurum promiſi, quòd ſacro Corpori mei glorioſi Patriarchæ etiam congruat ſecundum prædicatum proprii logici, cùm ſoli Madrito peculiare jus ad ejus poſſeſſionem com-

competat, quia hæc civitas ſingulari devotionis ſuæ ſtudio id fuit promerita: ***Convenit ſoli.*** Nemini dubium, aut obſcurum eſt, beneficiis, & favoribûs voluntates captivari; nam ùt ait Publius Minutius: ***Beneficium accipere, eſt libertatem vendere.*** Ac propterea dixit togatiſſimus Seneca, ſapientibus perſuaſum eſſe, ſe beneficia accipere, quando dant: ***Qui accipere putavit beneficium, cùm daret.*** Scilicet ſapientes agnoſcunt, ſe dominatum alieni arbitrii obtinere, quando beneficia erogant. **Publ. Minut. apud. Poleanth. verbô: Benefic. fol. 154.**

Hactenùs arbitratus fueram, beneficia in ſolarum voluntatum captivitate acquieſcere, nunc autem cognoſco, quòd eorum virtute ipſa quoque corpora capiantur. Iſtud ſanè ex ſequenti Textu perſpicuè colligitur.

Decreverat Incarnatus DEUS defunctum Lazarum ad vitam revocare: contulit ſe itáque ad ejus ſepulchrum, quò cùm perveniſſet, mortuo præcepit, ut è monumento prodiret. Paruit actutùm Lazarus, exiitque in conſpectum hominum liber quidem à morte, non tamen à vinculis, quibûs toto corpore obligatus remanſerat. ***Ligatus pedes, & manus.... & facies ejus erat ligata.*** Quid itáque? Ergóne hoc corpus tot vinculis ligatum manere debuit, quando tam inſigne beneficium recepit? Cur non etiam à ligamentis abſolvitur, qui à morte abſolutus fuit? Non abſolvatur, ait CHRISTUS, ſed prodeat ligatus, dum vitam reſumit; nam qui tam grande beneficium accipit, ligatus maneat, neceſſe eſt. **Joann. 11. v. 44.**

Plùs: cùm CHRISTUS Lazarum reſuſcitâſſet, ei mandavit, ut è ſepulchro egrederetur: ***Lazare veni foràs.*** Supervacaneum hoc eſſe videtur præceptum, ſi enim Lazarus vitam recuperavit, ipſe ultrò conabitur è ſepulchro prodire. Sed malè ſum ratiocinatus, quia CHRISTUS Lazaro vitam reſtituendo ejus corpori maximum beneficium contulit, quod hôc pactò ex ſtatu oblivionis ad cognitionem omnium hominum tranſivit. Urgeatur itáque Divinò imperiò ad prodeundum; immenſum ſiquidem pondus tam peregrini favoris eum alioquin adeò compreſſiſſet, ut ſe ab illo loco movere non potuiſſet. **Ibid. v. 43.**

In hac nobiliſſima civitate meus S. Patriarcha maxima percepit beneficia, utpote cujus Corpori ſummi honores exhibiti fuerunt. In hac urbe (dum ex ſuo ſecreto penetrali prodit, in quo maximo dolore noſtro abſque omni cultu publico, quasi in terra oblivionis ſepultus fuit) ſacrum ejus Corpus maximo omnium ordi-



Digitized by Google

dinum concurſu celebratum, & ſummis honorum demonſtrationibus excultum fuit. Neceſſarium eſt igitur, ut hæc inclyta civitas corpus mei S. Patriarchæ poſſideat; tam profuſa námque obſequia non poterant non validiſſimis eum vinculis ligare. Neceſſarium eſt, ut maneat Madriti; vix enim poſſibile eſſe videtur, ut tanta piorum liberalitate obrutus ſe locô movere queat.

Joſias Rex Judæ Zelô Divini honoris ſuccenſus, ſtatuit omnes idololatriæ reliquias, quæ etiamnum tam Hieroſolymis, quàm extra hanc urbem remanſerant, ſtirpitus eradicare: Everſis proindè fanis, quæ in vicinia repererat: tranſivit ad civitatem Bethel, in qua præcipuum altare extabat. Hôc itáque in cineres redactô, cùm in adſito monte multa paſſim defunctorum ſepulchra cerneret, juſſit oſſa produci, eáque in hoc altari cremari. Audiens autem in uno eorum contineri cadaver ſancti cujusdam Prophetæ, illud violari vetuit, nec oſſa moveri permiſit: ***Dimittite eum, nemo commoveat oſſa ejus.*** Satis quidem intelligo, cur Rex Joſias oſſa illa cum aliis non combuſſerit, erant enim oſſa ſancti cujusdam Prophetæ, Joſias autem in ſolos idololatras graſſabatur: Iſtud verò demiror, quòd Joſias oſſa illa, cùm eſſent lipſana viri ſancti, & pii, non ſecum aſportaverit, aut non ſaltèm in alium locum tranſtulerit, ut à ſepulchris idololatrarum ſequeſtrarentur? Cur itáque hoc non fecit? Cur oſſa vel ſolùm moveri prohibuit? Haud difficulter cauſam divinabo.

(Sic Abul. in 4. Reg. c. 23. q. 12.) (4. Reg. 23. v. 18.)

Incolæ civitatis Bethel peculiaribûs obſequiis hunc Prophetam coluerant; nam præterquàm illum ceu ſanctum ſint venerati, ùt non obſcurè ex verbis Joſiæ deducitur: ***Sepulchrum eſt hominis DEI***, etiam ejus corpori viſendæ molis monumentum condiderunt, quod decore, & venuſtate præ cæteris eminebat, ùt doctiſſimus Lyrannus aſſeverat, qui ſcribit, Joſiam obſervata pulchritudine hujus ſepulchri potiſſimùm inductum fuiſſe, ut quæreret, cujusnam illud eſſet? Aſt ubi didicit, id eſſe monumentum ſancti cujusdam viri confeſtim edixit, nè quis corpus ejus moveret: ***Nemo commoveat oſſa ejus.*** Agnoverat enim piiſſimus Joſias, hanc civitatem tot tantisque obſequiis ſuis promeritam fuiſſe, ut ſanctum illud corpus perpetuò retineret. Nemo itáque, dixit juſtiſſimus Rex iſte, corpus Prophetæ ab hac urbe auferat, videtur enim contra rationem fore: ſi hoc ei tolleretur, quæ tam largâ munificentiâ ſuam erga illud devotionem comprobavit.

(Ibid. v. 17.) (Lyran. apud Abul. in 4. Reg. cap. 23. q. 31.)

Po-

Digitized by Google

Potuiſſet pietas illius, qui jus habuit ad repetendum corpus mei S. Patriarchæ præcipere, ut ab hac nobiliſſima urbe avelleretur, & ad ſe transferretur, quatenùs illud ſemper in ſuis manibus haberet: aut certè mandare potuiſſet, ut in alio loco reponeretur, in quo ipſe abſolutum ejus dominium obtineret. Sed contrarium uſuvenit; mandatum ſiquidem fuit, ut hoc ſacrum Corpus non amoveretur, ſed perpetuò in hoc loco perſeveraret: *Capitulum Baſilicæ Vaticanæ.... ſuum plenarium petitioni præſtitit aſſenſum, Patrésque Excalceatos Trinitarios abſolvit à quocunque onere reſtitutionis, & transportationis ad Eccleſiam S. Thomæ de Formis, ut Corpus, aut oſſa S. JOANNIS perpetuò colantur in memorata Eccleſia Conventûs Madritenſis eorundem.* Maneat, ait, Corpus S. JOANNIS de Matha Madriti; hoc enim ſua devota liberalitate ex juſtitia promeruit. Soli Madrito ejus poſſeſſio debetur, quia ſingularibûs obſequiis hunc ſanctum excoluit. Decret. ſup. cit.

Concionator ſextæ diei acutè obſervavit, ſanctam Mariam Magdalenam in ipſum CHRISTUM incidiſſe, cùm adorandum Ejus corpus quæreret, ſed quia Illum non agnoverat, enixis precibûs flagitâſſe, ut ſe ad indaginem hujus pretioſi corporis deducere vellet, quatenùs eò inventò illud tollere, ſempérque retinere poſſet: *Si tu ſuſtuliſti, dicito mihi, & ego eum tollam.* Mira ſanè confidentia hujus carneæ Seraphinæ, quâ ſibi corpus Regis cæleſtis vendicavit, cujus talis ratio mihi ad meum propoſitum occurrit. Cùm CHRISTUS Bethaniæ in domo Simonis Leproſi verſaretur, venit ad Illum Magdalena, Ejúsque Diviniſſimum Corpus pretioſis unguentis perunxit: *Acceſſit ad Eum mulier habens Alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Sed cùm nonnulli eſſent, quibûs hæc officioſa actio parùm probabatur, incarnatus DEUS, ut ſuam dilectam à malovolorum linguis tueretur, dixit, hoc ab ipſa factum fuiſſe in obſequium ſui corporis defuncti: *Ad ſepeliendum me fecit.* Hac anticipatione Seraphica Magdalena defuncto CHRISTI Corpori honorem impendit, alióſque obſequiis ſuperavit, ac propterea tam confidenter dixit, ſe ſacrum hoc corpus reſervaturam, quamprimùm illud inventura fuiſſet: *Ego eum tollam.* Non poterat enim non

Joan. 20. v. 15.

Matth. 26. v. 6.

Ibid. v. 12.

reti,

Digitized by Google

retinere hoc pretioſum corpus, quæ tam ſingularibûs obſequiis illud excoluit.

Declaremus fuſiùs amorem Magdalenæ, ut clariùs eluceſcat, quàm ſolidè ejus confidentia fundata fuerit. Vix ſacratiſſimum CHRISTI Corpus ſepulchrum ſuſcepit: dum protinùs Magdalena alios in ejus veneratione ſuperare contendit. Summô itáque diluculô aromatibûs inſtructa ad ejus ſepulchrum perrexit, ut nè ſol quidem gloriari poſſet, ſe radiorum ſuorum operâ ei priùs honorem detuliſſe. Sic illa proceſſit ſpe lactata minimè dubia, ſe votorum ſuorum compotem futuram. Sed omnia alia ei venerunt; nam poſtquàm ad ſepulchrum perveniſſet, vidit corpus ſui dilecti magiſtri jam non ampliùs adeſſe, quòd cùm ægerrimè ferret, ſtatuit illud indefeſsâ diligentiâ ubique perquirere. Lynceis proindè oculis ſemel; iterúmque vacuum monumentum inſpexit, ſed quòd hoc pacto dolores ejus magìs recrudeſcerent, obvios quosque de Corpore ſui dilecti interrogare cœpit. His illa curarum æſtibûs ſaucia mœſtam inquiſitionem ſuam produxit, atque hinc factum eſt, ait S. Gregorius Magnus, ut feliciter tandem invenerit, quod tam conſtante ſolicitudine quæſierat: *Perſeveravit, ut quæreret, undè contigit, ut inveniret.* Ideò dixit Magdalena: Ego illud reſervabo, ùtprimùm cognovero, ubinam lateat: *Dicito mihi, & ego eum tollam.* Debebatur ſiquidem tam piæ liberalitati, & liberali pietati poſſeſſio hujus pretioſiſſimi corporis, quam illa peculiaribûs honoris, & amoris demonſtrationibûs promerita fuerat.

S. Greg. homil. 5. in Evang.

Sola hæc nobiliſſima civitas ſingulari ratione Corpus mei dilecti Patriarchæ poſſidet. Arbitror autem hanc felicitatem ei deberi ob ſpeciale devotionis ſtudium, quô illum excoluit. Vix fama Madriti percrebuit, quòd Corpori mei glorioſi Patriarchæ publica veneratio decreta fuerit, dum protinùs tota civitas communi conſenſu in ejus venerationem conſpiravit, ſuáque univerſali lætitiâ maximum animabus noſtris gaudium conciliavit. Nondum ſol eo die, quô ſacrum ejus ſepulchrum manifeſtatum fuit, ſuo jubare noſtrum hemiſphærium plenè perfuderat, quando multi, ſui amoris incendiô impulſi, ad hanc Eccleſiam pro ejus veneratione convolârunt, & tenerrimis verborum formulis ſuorum cordium jubila expreſſerunt. Atque hic calor devotionis tamdiu in eis permanſit, donec neceſſitas poſtularet, ut hoc ſacrum Corpus denuò occultaretur, quatenùs in hoc Majeſtatico throno reponeretur. Quô factô illi ad

ad imitationem Beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ in querelas, amore plenas, proruperunt, pleriſque dicentibûs, & interrogantibûs: Ubi eſt corpus tam glorioſi Patriarchæ: *Dicito mihi.* Dicant nobis, in quo loco abſconditum fuerit; efflictim námque diſcupimus illud cernuè venerari. Conferatur itáque huic urbi nobiliſſimæ poſſeſſio Corporis mei S. Patriarchæ: *Ego eum tollam.* Utpote quæ ſingularibûs ſuis obſequiis, & flagrantiſſimo Devotionis ardore illam promerita fuit.

Hoc reportavit Madritum ex ſua pia, & profuſa liberalitate, de qua meritò dicere poteſt, eam ab ſe benè impenſam fuiſſe, quando ejus operâ tantam felicitatem conſecuta fuit, poſſeſſionem nimirùm ſive proprietatem corporis tam glorioſi Redemptoris.

Ut angeli Magdalenæ, aliarúmque ſanctarum mulierum, quæ luctiſonis lamentis deplorabant, quòd ſacratiſſimum CHRISTI Corpus invenire nequiverint, lacrymas reprimerent, dixerunt ad eas: *Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus.* CHRISTO autem in cœlos aſcendente, omnia immenſis jubilis perſonuerunt, ipſis etiam cœli januis commotis: *Attolite portas principes veſtras . . . . & introibit rex gloriæ;* quòd ſi enim grandis eſt cauſa lætitiæ ſepulchrum Divini Redemptoris habere, ſummæ felicitatis argumentum cenſeri debet, ejus corpus poſſidere. Gaudeat Roma, quæ ſepulchrum retinet, in quo corpus mei glorioſi Patriarchæ multo tempore delituit, convocétque devotorum corda ad illud videndum: *Venite, & videte locum, ubi poſitus erat.* Sed Madritum ſuam felicitatem multò magis ſuſpiciat, quòd nunc tamquàm rem propriam poſſideat Corpus tam glorioſi Redemptoris.

Matth. 28. v. 6.

Pſalm 23. v. 10.

Quæro nunc autem conformiter ad priora, cur cœlum accepit poſſeſſionem Corporis CHRISTI? Referam totum Aſcenſionis ſucceſſum pro majori præſentis materiæ claritate. Sacratiſſimum CHRISTI Corpus ſepultum fuit Hieroſolymis, atque in hac urbe religiosè cultum, utpote quod ſanctæ quædam mulieres, devotionis flammis ſuccenſæ, in ipſo monumento ſunt veneratæ: *Erat ibi Maria Magdalena cum altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.* Aſt poſtquàm Rex cœleſtis hócce ſuum deſeruiſſet ſepulchrum, nè à propriis quidem diſcipulis agnitus fuit, ùt ſatis colligitur ex ſermonibus illorum, qui in Emaus perrexerunt. Declarata deindè fuit identitas Corporis CHRISTI probatione ab ejus pretio-

Matth. 27. v. 61.

Luc. 24. v. 16.

ſiſſimis vulneribus petita, quam communis diſcipulorum veneratio

Joann. 20. v. 22. eſt ſubſecuta, qui ſuos affectus his verbis expreſſerunt: *Dominus meus, & DEUS meus.* Sed quando hæc identitas in cœlo de-

Pſalm. 23. v. 10. clarata fuit: *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.* Commotæ ſunt omnes cœleſtes virtutes, & in jubila reſolutæ, quibûs tanto triumpho applaudebant: ut proindè cœlites feſtivitatum ſplendore: & gaudiorum demonſtrationibûs alios omnes longè ſuperaverint. Erigatur igitur ſacratiſſimo CHRISTI Corpori thronus in cœlo; hoc ſiquidem meretur, ut perpetuam hujus adorandi Corporis poſſeſſionem ſuſcipiat.

Quivis, licèt parcè ſit ab intellectu inſtructus, facilè tamen in hoc facto umbram quandam præſentis feſtivitatis obſervabit. Corpus mei S. Patriarchæ Romæ ſepultum, & aliquamdiu religioſiſſimè honoratum fuit. Reliquit deindè hoc ſuum ſepulchrum, & evaſit quaſi ignotus non ſolùm inter exteros, ſed etiam inter nos, ejus diſcipulos, quia de identitate Corporis non conſtabat. Declarata deindè fuit hæc identitas, quam tota quidem Hiſpania gaudens excepit, ſed hæc imperialis civitas præcipuis honorum demonſtrationibûs celebravit, inſolitóque devotionis ſuæ fervore omnes in admirationem rapuit. Huic itáque nobiliſſimæ urbi debetur poſſeſſio Corporis mei S. Patriarchæ; hæc námque peculiaribûs ſuis obſequiis eam promerita fuit, effecitque, ut corpori mei glorioſi Patris congrueret ſecundum Prædicatum proprii Logici: *Convenit ſoli.*

# PUNCTUM III.

IN tertio puncto mihi eſt demonſtrandum, quòd Corpori mei S. Patriarchæ tertium quóque prædicatum proprii Logici conveniat; meæ námque S. Religioni, quæ illum ùt patrem, & magiſtrum conſiderat, debetur ejus ſempiterna poſſeſſio: *Convenit ſemper.* Amor ex mente S. Auguſtini eſt pondus immenſum, quod amantem

S. Auguſt. l. 11. de Civit. DEI. cap. 18. naturali impetu ad dilectum impellit: *Amor meus pondus meum, eò feror, quócunque feror.* Hoc amor præſtat, quando magnis flammis exardeſcit: quòd ſi autem & ipſe dilectus amet, ei debetur totus affectus, ejus ſiquidem dilectionis ignibus reſpondet in alia voluntate integrum amoris incendium: *Magnes amoris amor.* Debetur amanti dilecto totum pondus, quô amans ergà eum fertur: nam in legibus amoris neceſſaria eſt talis poſſeſſio amantis: Ille autem

tem ſolus maximum amorem erga alterum oſtendit, qui dilecti ſui præcepta ſervat, atque hôc ipsô innuit, quòd eum tamquàm patrem, & magiſtrum ſuum veneretur: talí verò debetur ſempiterna poſſeſſio dilecti, ùt ex quibusdam verbis Diviniſſimi Redemptoris noſtri perſpicuè colligitur.

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Qui me amat, ait Incarnatus DEUS, præcepta mea ſervabit, atque hac amoris ſui expreſſione DEUM ſibi adeò conciliabit, ut ego, & PATER meus æternus ad eum ſimus venturi, & cum illo permanſuri. Hiſce verbis oſtendit Increata Sapientia ſummum amoris teſtimonium eſſe, præcepta ſervare, quorum obſervatione non ſolùm teſtamur, quòd Divinum Redemptorem noſtrum pro Magiſtro agnoſcamus, ſed etiam DEUM ipſum adeò nobis conciliamus, ut perpetuam ſuæ Majeſtatis poſſeſſionem ſimus conſecuturi. Scilicet qui dilectum tamquàm Magiſtrum ſuum aſpicit, ei debetur ſempiterna illius poſſeſſio. Joann. 14. v. 23.

Mea S. Religio ardentiſſimo amore erga noſtrum glorioſiſſimum Patriarcham ſemper flagravit, & ab ejus voluntate pendere ſolita ipſius præcepta ad unguem obſervavit, atque hôc factô ſuis operibùs demonſtravit, quòd eum ùt Patrem, & Magiſtrum ſuſpiciat. Sola itáque mea S. Religio ſemper poſſideat ſuum dilectum Patriarcham, quæ ſui amoris indiciis jus ſibi acquiſivit ad perpetuam ejus poſſeſſionem. Habeat illa ſacrum ejus Corpus; decet enim, ut illa tali theſaurô potiatur, quæ eum reſpicit, & veneratur tamquàm ſuum dilectum Magiſtrum.

Cùm ſacratiſſimum CHRISTI Corpus etiamnum in ligno Crucis penderet, nobilis quidam Decurio generosâ audaciâ Pilatum acceſſit, illúdque ſibi donari poſtulavit: *Audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus JESU.* Nec repulſam tulit, ſed in ſua vota inclinatum Pilatum ſenſit, qui ei etiam confeſtim *donavit Corpus JESU.* Ego futurum putâſſem, ut ei Pilatus petitam gratiam aut præfractè negaret, aut certè nonniſì ægerrimè concederet, utpote qui infenſiſſimos CHRISTI hoſtes, Judæos, meritò timere debuiſſet, nè illi tali donatione exulcerati in ſe etiam inſurgerent. Aſt Pilatus immemor omnium periculorum, quæ indè emergere potuiſſent, Joſepho protinùs adorandas Reliquias contulit, quamprimùm ille has ab eo petiit: *Donavit.* Ratio hujus ex Marc. 15. v. 43. Ibid. v. 45.

S. Evangelio facilè eruitur; etenim, ùt S. Matthæus literis conſignavit, Matth. 27. v. 57. Joſeph *Diſcipulus erat JESU*, qui ejus Divina mandata exactiſſimè obſervare conſuevit: undè etiam agnomentô viri ſancti, & Luc. 23. v. 50. juſti cohoneſtatus fuit: *Vir bonus, & juſtus.* Ac propterea extemplò Corpus CHRISTI à Pilato obtinuit, quando ei pro hac gratia ſupplex factus fuit; videtur enim, quòd nè Pilatus quidem poſſit tali perſonæ negare donationem Corporis CHRISTI, quæ tamquàm verus diſcipulus cœleſtis Magiſtri flagrantiſſimum ſuum erga illum amorem tam accurata Divinorum mandatorum obſervatione declaravit.

Ipſa quóque mea S. Religio amante quadam confidentia Corpus mei glorioſi Patriarchæ ſibi donari flagitavit: quamvìs autem haud immeritò timere potuiſſet ſiniſtrum ſuæ petitionis effectum, faventiſſimis tamen zephyris ad portum deſideriorum ſuorum provecta fuit, illúdque poſt exiguum temporis intervallum in proprietatem recepit. Vix tamen aliud ſperari potuiſſet, cùm mea Excalceata Religio hunc glorioſum Sanctum tamquàm Magiſtrum ſuum revereatur. Quis verò tam juſtæ petitioni adverſari valuiſſet? Quomodò illum non ſemper poſſideret, cui felicitas obtigit hunc Sanctum pro Patre colendi?

Mortuus eſt Joſeph Patriarcha, ejúsque corpus, ùt S. Scriptura diſertè teſtatur, in Ægypto depoſitum: Geneſ. 50. v. 25. *Repoſitus eſt in loculo in Ægypto*, ac deindè primò Sichimis in terra Promiſſionis Joſ. 24. v. 32. ſepultum: *Oſſa quóque Joſeph . . . . ſepelierunt in Sichem.* Cujus facti talem cauſam Abulenſis aſſignat. Ait itáque magnum diſcrimen inter depoſitum, & ſepulchrum intercedere: Depoſitum quippe locus eſt, in quo corpus aliquod tantiſper aſſervatur, donec aliò transferatur: aſt ſepulchrum eſt fixa, & perpetua ſtatio corporis: Ideò corpus Joſephi fuit Sichimis ſepultum, quia in illa urbe ſemper permanere debebat: Abul. in c. 50. Gen. v. 25. *Quia Joſeph oſſa manere debebant in Sichem, dictum fuit, quòd ibi ſepultus eſt.* Sed nova ſtatim ſuccedit quæſtio! Interrogabit enim aliquis, nec immeritò, cur lipſana Joſephi ſemper in Sichem manere debuerint? Rationem nobis ſuppeditat liber Joſue, in quo hæc verba leguntur: Joſue cap. ult. *Sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Jacob . . . . & fuit in poſſeſſione filiorum Joſeph.* Sichem, in quo loco corpus Joſephi ſepulchrum obtinuit, urbs erat, quam filii

Digitized by Google

filii Joſephi tamquàm rem propriam poſſidebant. Ibi proindè ſemper permaneat corpus hujus Patriarchæ; nam cùm filiis ejus tam ſanctæ Reliquiæ debeantur, opus eſt, ut non alibi perpetua, ſtabilíque ſede ſubſiſtat, quàm in loco, qui proprietatis jure ad filios ejus pertinet. Tumuletur igitur corpus hujus Patriarchæ in tali loco, qui filiis ejus proprius eſt; filiis ſiquidem debetur, ut illud ſemper habeant.

Corpus mei glorioſi Patriarchæ ſub forma Depoſiti aliquamdiu in loco extraneo delituit: nunc verò in hoc majeſtatico throno ſuum perpetuum ſepulchrum obtinuit; cùm enim locus iſte filiis ejus proprius ſit, oportet, ut in eo jugiter permaneat. Sempiterna ejus poſſeſſio meæ S. Religioni adjudicata fuit! Sed quid mirum, ſi eum ùt Patrem, & Magiſtrum veneratur. Hæc ratio omnibus communis eſt, ex qua infertur, neceſſarium fuiſſe, ut eum aliqui ex ejus filiis poſſiderent.

*Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam!* Cant. 3. v.4. Exclamavit quondam ſacri amoris ignibûs ſuccenſa ſponſa. Quàm confidenter hæc ſponſa præſumit, ſe in perpetua ſui dilecti poſſeſſione permanſuram: Nemo tamen miretur, quia ſponſa conſideravit dilectum ſuum tamquàm ſponſum: *Veni ſponſe.* Cant.4. v.8. Aſpiciebat eum tamquàm Patrem: *Sic amica mea inter filias.* Cant. 2. v.2. Eúmque ceu Magiſtrum venerabatur, ob plurima documenta, quibûs ab illo erudita fuerat: Fieri autem aliud non potuit, quàm ut eum perpetim retineret, quem ſub his titulis conſiderabat.

Sed quæro nunc: Cur ſola ſponſa ſuum dilectum poſſidere debuit? Multæ ſiquidem erant, quæ ſponſum ùt patrem, & magiſtrum reverebantur: *Sic amica mea inter filias.* Putereà innumeræ aliæ reperiebantur, quæ ſingulari affectu ſponſum proſequebantur: *Adoleſcentularum non eſt numerus.* Cant.6. v.7. Sponſa erat inter omnes natu minor: *Soror noſtra parva.* Cant. 8. v.8. Cur itáque hæc ſola cunctis aliis ſponſum præripuit? Quid aliud reſpondere poſſum, niſì quod ſponſus dixit: *Una eſt columba mea.* Cant. 6. v.8. Quamvìs enim plures fuerint, quas ſponſus amore paterno dilexit, & quæ idcircò ſpem illum poſſidendi concipere poterant, ſponſa tamen ſuum dilectum adeò demereri novit, ut unicus magnes ejus amoris eſſe videretur: Hinc licèt inter reliquas fuerit natu minor, ipſa tamen præ cæteris ſempiternam ſui dilecti poſſeſſionem obtinuit.



Digitized by Google

Multi gloriantur nomine filiorum mei S. Patriarchæ, variíſque amoris indiciis teſtatum faciunt, quòd eum pro Patre, ac Magiſtro agnoſcant, ac proindè multi etiam fuerunt, qui blanda ſpe ejus S. Corpus poſſidendi ſe lactaverunt: Hujus tamen ſempiternam poſſeſſionem ſola mea Diſcalceata Familia impetravit, quæ fortaſſis ideò, quia filia natu minor eſt, totum Patris affectum rapuit. Gloriare igitur ô ſacra Religio, & mater mea de tanta felicitate tua! Inveniſti ùt ſponſa illum, ad quem tot ſuccensis amoris deſideriis anhelâſti: ***Inveni, quem diligit anima mea.*** Jam eum tamquàm rem propriam poſſides, quin illum unquam ſis dimiſſura: ***Tenui eum, nec dimittam.*** Amor enim tui Patris, & Patriarchæ fecit, ut ipſum ſemper poſſideres: ***Convenit ſemper.***

Jam ad finem deduxi propoſitum meum! in quo probare decrevi, Corpus mei S. Patriarchæ eſſe proprium logicum in rigore, ſive in quarto modo. Atque hoc eſt, quod ego tot allatís argumentís, & rationibûs evici; nam cùm ejus poſſeſſio debeatur toti Hiſpaniæ tamquàm fonti, ex quo originem duxit, deinde verò ſoli huic nobiliſſimæ civitati, quæ eum peculiari devotionis affectu coluit, ac denique meæ S. Religioni ſingulariter, id eſt, ſemper, eò, quòd ipſum tamquàm Patrem, & Magiſtrum veneretur, evadit conſectaneum, ut de Corpore mei S. Patriarchæ ex vero dicatur: ***Convenit omni, ſoli, & ſemper.*** In quibus verbis comprehenditur eſſentia metaphyſica proprii in rigore, ſive in quarto modo.

Supereſt duntaxat, mi glorioſe Pater, ut, cùm te nunc ceu rem propriam conſideremus, nos tamquàm tuos aſpicias, tuíſque precibûs impetres huic Monarchiæ deſideratiſſimam pacem, & quietem, huic nobiliſſimæ civitati maximam proſperitatem, huic Illuſtriſſimæ Confraternitati quotidiana virtutum incrementa, tuæ dilectæ Religioni cumulatiſſimam felicitatem, omnibus denique nobis copioſiſſima gratiæ auxilia, ut tecum aliquando gaudeamus in cœleſti gloria: ***Ad quam nos perducat Beatiſſima TRINITAS, &c.***

Tam facundo ſermone promeritus eſt Concionator noſter communem omnium applauſum, præcipuè cùm totum in ſe complecteretur, quod S. Cyprianus in aliquibus commendat, quando dicit, lucubrationes quaſdam interdum prodire, quæ propriâ ſuâ præ-

Digitized by Google

præſtantiâ ſuas laudes divulgant, licèt lingua lectoris, vel auditoris eas minimè pangat: ***Habent enim opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam etiam tacente linguâ legentis.*** S. Cyprian. in Matth. cap. 7.

Veſper in muſicam deſiit, datúſque fuit locus duobus theatris diſponendis tam pro ſenatu Eccleſiaſtico, quàm ſæculari, qui ea ſequenti, & ultima harum feſtivitatum die erat occupaturus, in qua hæc magna, imperialis, & coronata civitas Madritenſis, cui ſemper unitur doctum, & venerabile Capitulum Dominorum Parochorum, & Beneficiatorum hanc ſolemnem Novennam aureâ ſuâ clavî claudere decrevit.

# CAPUT XVI.

## *Deſcriptio nona Feſtivitatis, quæ celebrata fuit duodecimâ Maji, die Martis.*

Dies Martis, qui in duodecimam Maji inciderat, fuit ultimus dies harum pollucibilium feſtivitatum. Dies Martis in Creatione hujus mundi tertius extitit ordine, in quo omnipotens DEUS totum Univerſum novô ornamentô illuſtravit, terram producendo, fœcundiſſimum illud omnigenorum fructuum, florúmque gazophylacium, & ex qua ipſe quóque homo formandus erat. Citra ullam adulationis, vel exaggerationis notam aſſeverare audeo, quòd, licèt hæc regia civitas in omnes has feſtivitates influxerit, eáſque ſibi proprias quodammodò effecerit, hac tamen die tantâ magnificentiâ ſuæ devotioni litaverit, ut hodierna ſolemnitas eſſet complementum, & corona aliarum, atque adeò materia, è qua maximi honores ſunt formati.

Certum autem mihi videtur, hodiernam Feſtivitatem valdè exiguam, & ignobilem futuram fuiſſe, ſi tális princeps ad ejus ſplendorem augendum non concurriſſet, ejus námque adjutoriô ſurrexit, & coaluit tota pulchritudo, & ornatûs majeſtas, quæ tantis applauſibûs, & acclamationibûs excepta fuit: Undè, ſi inventus eſt, qui diceret, hortum voluptatis, ſive paradiſum terreſtrem fuiſſe totum terrarum orbem: ***Plantaverat autem DEUS paradiſum voluptatis,*** cur ego dicere non poſſem, hac regiâ, & majeſtaticâ præſentiâ ſtetiſſe maxima noſtra jubila, & lætitiam.

Muſi-

Digitized by Google

Muſica inſtrumenta gratiſſimô tinnitu ſuo haud obſcurè ſignificârunt, Dominos Senatores ad portam noſtræ Eccleſiæ jam perveniſſe, quibus occurrit tota noſtra religioſa Communitas, eóſque ad præparatas ſedes conduxit. Senatus ſæcularis illas occupavit, quæ altari erant proximæ, in reliquis verò Eccleſiaſtici reſederunt. Sacram Miſſæ lithurgiam cantavit unus ex Capitularibus Dominis, cui ingens multitudo neceſſariorum miniſtrorum aſſiſtebat. Hæc dies, ſive quia ultima fuit, ſive quia muſicorum chorus nobis ſingularem gratiam præſtare voluit, tam exquiſitâ ſymphoniâ perſonuit, ut ob phonaſcorum dulciſonos modulos, & muſicorum inſtrumentorum copiam quandam cœleſtis gloriæ imaginem referret. Finitô Evangeliô conſcendi pulpitum, cùm mihi ardua provincia in hac die concionandi fuerit demandata. Omnes abundè invenerunt, quod benignè ſupplerent. Præcipuus autem ſcopus meus, ad quem collimabam, fuit gratiarum actio, ùt ipſa Concio oſtendet, quam ſolùm appoſui, ut Superioribus meis morem gererem; major námque nota foret, ſi prorsùs deeſſet, quàm nauſea, quæ ex ejus impolita, horridáque facie concipi poteſt. Sed quid diutiùs moror? Prodeat itáque levidenſis Concio mea, quæ ſequentis eſt tenoris.

CON-

# CONCIO PANEGYRICA,

*Quam nona & ultima die Feſtivitatum, ob collocationem Corporis Noſtri glorioſi Patris Sancti*

# JOANNIS DE MATHA

*Celebratarum dixit P. Fr. Lucas à Purificatione Concionator, & Scriptor Generalis.*

Hanc Feſtivitatem adornavit Imperialis, & coronata civitas Madritenſis.

## THEMA.

Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. *Matth. cap.* 10. *v.* 16.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Joann. cap.* 6. *v.* 56.

Ut Corpus, aut oſſa S. JOANNIS de Matha perpetuò colantur in Eccleſia Fratrum Diſcalceatorum SSS. TRINITATIS, &c. *Ex Bulla Donationis.*

## SALUTATIO.

SI Divina Majeſtas duas illas quæſtiones, quas olim ſuo famulo Job propoſuit, hodie rursùs excitaret, dicerétque: *Nunquid . . . . oſtendiſti auroræ locum ſuum*, in quo tamquàm locô propriô rutilantis luminis ſui fulgorem ſpargit? Aut ſi interrogaret: *Ubi eras, cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii DEI?* Ubi degebas, quando aſtra matutina dulciſſimo concentu meam gloriam celebrabant? Si hodie, inquam, Divina Majeſtas has duas quæſtiones proponeret, & ego S. Jobi locò reſpondere deberem, præmiſſa priùs proteſtatione de imbecillitate mei intellectûs, dicerem: In hoc templo Patrum Trinitariorum Excalceatorum. Job. 38. v. 12.

Hìc enim locum ſuum habet puniceum auroræ jubar, quia Corpus mei S. Patris, & Patriarchæ poſſeſſionem ſui lucidiſſimi throni hic obtinuit. Hic eſt locus ille, in quo rutilantia aſtra matutina, Excalceati nimirùm Religioſi Trinitarii, tamquàm ***Filii DEI***, & peculiares filii Sanctiſſimæ TRINITATIS, ſpiritualibûs gaudiis delibuti in dulciſona cantica prorumpunt, divináſque laudes perſonant, eò, quòd felici ſorte poſſeſſionem Corporis ſui glorioſi Fundatoris conſecuti fuerint. Qui veritatem hujus reſponſionis clariùs videre deſiderat, notet mecum proprietatem lætitiæ.

***Oſtendiſti Auroræ locum ſuum?*** Túne fortaſſis, ait S. Scriptura Auroræ locum aſſignâſti, quem tamquàm proprium occupare deberet: Tecum autem, mea S. Religio, hìc loquitur. Aurora purpureis ſuis radiis tenebrarum caliginem diſſipat, ipſáſque umbras, & obſcuritates in cunas ſui ſplendoris convertit. Ad eundem modum res acta fuit cum Corpore tui glorioſi Patriarchæ, quod dum hodie ſub luce ſui novi cultûs, & in nova poſſeſſione hujus Trinitarii templi renaſcitur, tenebras oblivionis diſſipat, fugátque obſcuritates variarum ſuſpenſionum, imò & ipſas ſuſpenſiônes, & obſcuritates in cunas novi ſplendoris convertit, ex quibus fulgorem ſuum lætiùs effundit, dum locum illum, quem hactenùs ceu dubium, & peregrinum incoluerat, nunc tamquàm proprium occupat, ut ſibi in iſto cultus, laudes, debitæque venerationis obſequia deferantur.

Date veniam, ut aliis quibûsdam verbis S. Scripturæ præſentem materiam magìs elucidem: ***Juſtorum autem ſemita quaſi lux creſcit usque ad perfectum diem.*** Viæ juſtorum, ait SPIRITUS S. ad inſtar auroræ creſcunt, donec ad poſſeſſionem perfectæ diei veniant. Tales fuerunt viæ, & ſemitæ, per quas Corpus mei S. Patriarchæ ambulavit, ſemitæ nimirùm obſcuræ, viæ incertæ, & ſtationes dubiæ. Rursùs dico, fuerunt ſemitæ in noſtro conſpectu obſcuræ, ſicut jubar auroræ, quando lentis paſſibûs ex eöis undis emergit, quousque integram diei claritatem invehat. Non quòd hoc S. Corpus non ſemper glorioſum fuerit, ſed quia exteriùs, quod ad cultum attinet, quadam caligine obſcuratum ſit, atque adeò ſuſpenſionem ſplendoris ſui pertulerit, in quo, ex mente D. Thomæ conſiſtit lux unius auroræ usque ad alteram: ***Intùs luceat.***

**Proverb. 4.**

**D. Thom. apud Cajet. hic.**

Aſt

Aſt hodie, mi glorioſe Pater, & Patriarcha, illuxit jam perfectus dies tuus: ***Uſque ad perfectum diem***, quia Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio jam aſſignavit hanc Eccleſiam pro loco proprio Tui S. Corporis, ut tamquàm in loco tibi proprio: ***Locum ſuum***, celebreris perpetuo cultu, & veneratione, quam tuæ ſacræ Reliquiæ promerentur: ***Ut Corpus, aut oſſa S. JOANNIS de Matba perpetuò colantur in memorata Eccleſia.***

Aſtra matutina, quæ micantibûs ſuis radiis, ceu totidem lingulis Divinas laudes reſonant: ***Ubi eras . . . . cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?*** Sunt ex mente docti Abenezræ ſeptem planetæ, qui ſcintillante ſui luminis fulgore DEI laudes perſolvunt: ***Septem planetas intelligit.*** Qui myſteria numeri ſeptenarii expenderit, & ſimul octo Concionatores hujus celeberrimæ Novennæ in memoriam revocaverit (mea námque tenuitas tam coruſcantibus planetis non eſt accenſenda) facilè intelliget, numerô ſeptenariô, qui ex natura ſua eſt univerſalis, omnes Concionatores harum ſplendidiſſimarum feſtivitatum comprehendi: tam celebres autem Oratores aliter depingi nequeunt, quàm lucibûs maximorum planetarum, & jubare ſphæræ cœleſtis; nam cùm eorum facundia omnes mei calami vires tranſcendat, eorúmque elogia balbutientium labiorum meorum imbecillitatem ſuperent, neceſſitas mihi incumbit ad cœlum confugiendi, ut ſufficientes pro eorum encomio luces inveniam. **Bolduc. hic fol. 771.**

Ubi notandum eſt, omnes DEI filios ad conſpectum tantæ lucis lætatos fuiſſe: ***Et jubilarent omnes filii DEI. Filii Elobin, boc eſt: DEI gubernantis***, ùt eruditus Bolduc exponit. Omnes quidem ſacræ Religiones ſunt filiæ altiſſimi DEI, nulla tamen hoc glorioſò titulò tam peculiari jure gaudet, ſicut mea; cùm enim Ordo iſte ab ipſa ſuprema TRINITATE ſit fabricatus, quemadmodùm Eccleſiæ Caput declaravit: ***Non à ſanctis fabricatus, ſed à ſolo ſummo DEO***, Textus iſte tam propriè Religioſis Trinitariis congruit, ut eos indigitare voluiſſe videatur, quando dixit DEI filios lætis jubilis reſonuiſſe. Præmiſſa certitudine hujus veritatis videamus nunc, quid ex illa inferatur. **Apud Bolduc. Cajet. fol. 774.** **In vita S. JOANN. omnes.**

Proprium itáque locum aſſignâſſe ſplendicanti Auroræ, ſacro nimirùm Corpori mei glorioſi Patriarchæ S. JOANNIS de Matha:

 *Oſten-*

*Oſtendiſti auroræ locum ſuum*, Illuxiſſe poſt tot adverſitatum nubila perfectam diem ejus cultûs, & venerationis: *Uſque ad perfectum diem*, Laudibûs illud extuliſſe tot fulgentia aſtra matutina, ſive ſacros Oratores, qui diſertiſſimis linguis in ejus encomia conſpiraverant: *Aſtra matutina*, omnes denique ejus filios, gaudiis offertiſſimos in jubila reſolutos fuiſſe: *Jubilarent omnes filii DEI*, idem eſt, ac Divinæ Majeſtati reſpondere, quòd oculi noſtri totam hanc felicitatem, gloriam, & ſplendorem ſolùm in hoc templo SSS. TRINITATIS videre potuerint. *Ubi eras &c.*

Ad venerationem igitur tam cumulatæ felicitatis diriguntur applauſus hodiernæ ſolemnitatis. Quòd ſi in translatione Arcæ veteris Teſtamenti omnia feſtivis acclamationibûs perſonuerunt, quia tantô majorem quisque utilitatem referebat, quantò vocaliùs ſe in jubila effundebat, non minori applauſu celebranda eſt collocatio Arcæ, in qua Corpus mei illuſtriſſimi Patriarchæ continetur, quia non minora indè commoda quisque decerpere poteſt; collocatio ſiquidem, & poſſeſſio theſauri adeò pretioſi eſt felicitas noſtræ Hiſpaniæ, fortuna hujus coronatæ civitatis, ac denique univerſale gaudium meæ S. Religionis. Audiamus Regium Prophetam.

Pſalm. 117. *DEUS Dominus, & illuxit nobis, conſtituite diem ſolemnem in condenſis, usque ad cornu altaris.* Quaſi diceret: Cùm pellucidi radii altiſſimi Domini DEI noſtri ſuper nos effulſerint, res ipſa poſtulat, ut Ei feſtivos dies dedicemus, Ejus laudes celebremus, ac denique ſolemnem cultum Ei adornemus. De quo loquitur hic David? Volunt ſcire de quo? Adeant Cajetanum, qui ipſis dicet, Davidem hìc locutum fuiſſe de Redemptore mundi, quando poſt glorificationem ſui Diviniſſimi Corporis ſe publicè manifeſtavit, ut publica cunctorum veneratione coleretur:

Cajet. hic. *Communicatum præſertim poſt reſurrectionem.* Alii tamen ſacri Expoſitores, qui in hunc Pſalmum commentantur, dicunt, hìc potiſſimùm nos admoneri ad celebrandam hujus S. Corporis Nativi-

Idem ubi ſup. tatem, Paſſionem, Reſurrectionem, & aſcenſionem: *Nativitatem, Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem*: Cùm autem, ùt ſupra citatum decus Purpuratorum Patrum teſtatur, verba hujus Textus intelligenda ſint de corpore viri pœnitentis, juſti, & ſancti: *De viro juſto, ſive pœnitente*, nihil abſonum faciemus, ſi ea noſtro glorioſiſſimo Patriarchæ applicuerimus, non ſolùm quia ei con-

conveniunt tamquàm viro pœnitenti, ſancto, & juſto, verùm etiam, quia peculiaris eſt imago Domini noſtri JESU CHRISTI, qui eum, glorioſiſſimo Redemptoris munere auctoratum tamquàm ſingularem filium in hunc mundum miſit.

Mortuus eſt meus S. Patriarcha Annô milleſimô, ducenteſimô, decimô tertiô, aut ut aptiùs loquar, natus eſt cœlo; hâc námque phraſî ſacrâ Eccleſia mortem juſtorum deſignat. Hanc ejus ſecundam nativitatem celebravit Innocentius III. P.M. cum toto Eminentiſſimorum Cardinalium ſenatu. Hanc celebraverunt innumerabiles alii homines, qui gratuitam medicinam pro ſuis infirmitatibus in ejus ſepulchro invenientes virtutem hujus prodigioſi Archiatri immenſis laudibûs prædicabant. Talis fuit ejus glorioſa nativitas, quia talis fuit gloria ejus ſepulchri, in quo pro cœlo renaſci promeruit: ***Et erit ſepulcbrum ejus glorioſum. Nativitatem.*** Annales Ord. Iſai. 11.

Hæc gloria totis centum, & quadraginta annis nuſquam interrupto ordine continuata fuit. Ad extremum tamen cœpit deficere publicus ejus cultus, idque eodem tempore, quô monaſterium perire cœpit, annô nimirùm milleſimô, trecenteſimô, quadrageſimô octavô: deindè verò, id eſt: annô milleſimô, trecenteſimô octogeſimô octavô, ſacrum Corpus cum toto monaſterio tranſiit in poteſtatem Capituli Vaticani, quo tempore cultus harum Reliquiarum maximam ſenſit eclypſim, utpote quæ in remoto quodam ſacello aſſervatæ vix tenuem priſtini ſplendoris, & gloriæ umbram retinebant. Hic neglectus venerabilium lipſanorum zeloſæ cujusdam pietati calcar ſubdidit, ut memorandô auſô ea indè ſurriperet, & in Hiſpaniam transferret, ubi rursùs ſexaginta ſeptem annis magìs etiam, quàm Romæ, abſcondita fuerunt, utpote perpetuò clauſa, & ſigillis munita. Liceat mihi proindè dicere, quòd, ſicut illa publicæ venerationis intermiſſio fuit paſſio, quam S. Corpus ſubire potuit, ità quóque tempus illud, quô in Hiſpania ſigillis clauſum delituit, exactiſſima quædam imago fuerit dierum, quibûs ſacratiſſimum CHRISTI Corpus in ſepulchro requievit, cùm nec iſti defuerit circumſtantia ſigillorum: ***Signantes lapidem. Paſſionem.***

Reſurrexit tandem glorioſiſſimum Divini Redemptoris noſtri Corpus. Recordentur nunc, Sacram Congregationem annô præteritô, milleſimô nimirùm, ſeptingenteſimô, vigeſimô primô, die ſexta Septembris declarâſſe Identitatem ſacri Corporis mei glorioſi Patriarchæ, ſuámque ſanctitatem præcepiſſe, ut ei publicus cultus exhibe- Decret. Ident.

 re-

Digitized by Google

retur, quamvìs etiamnum ſub forma depoſiti maneret, donec ei locus proprius aſſignaretur. Expoſitum itáque fuit S. Corpus die vigeſima prima Novembris in illo altari, populis ad ejus venerationem turmatim confluentibûs. Sed ſicut adorandum cœleſtis Salvatoris noſtri Corpus poſt ejus glorioſiſſimam Reſurrectionem non omnibus fuit manifeſtatum, utpote quod ſub forma quaſi depoſiti in hoc mundo verſabatur, donec eminentiſſimum ſuum thronum in cœlis conſcenderet, ità quóque S. Corpus mei illuſtriſſimi Patriarchæ poſt primos illos applauſus ad priſtinum ſuum Oratorium, honorificentiore tamen ſchemate reductum fuit, in quo ab aliquibus duntaxat colebatur.

Ad extremum denique exorta eſt fauſtiſſima dies illa, quâ ſplendidiorem cœlum hactenùs non vidit: exorta eſt, inquam, dies illa, quâ glorioſiſſimum CHRISTI Corpus in cœlum aſcendit, ut ſuo throno impoſitum perpetua cœlitum veneratione coleretur: Tantâ verò magnificentiâ, & pompâ in ſocietate nobiliſſimorum ſpirituum ad debitum ſolium ſuum aſcendit, ut, cùm hunc triumphalem apparatum nonnulli attonitis oculis intuerentur: *Videntibûs illîs*, ſtupore, & admiratione defixi fuerint: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Atque hoc idem prorsùs eſt, quod noſtra admiratio nunc ſuſpicit. Hic eſt ille triumphalis apparatus, & majeſtatica pompa, quâ Corpus mei S. Patriarchæ per vicos, & plateas hujus civitatis circumlatum fuit. Nunc conſcendit hunc thronum magnificentiſſimum, ceu locum ſuum proprium, quem affectus elegantiùs ornavit, quàm artificum ingenium, magisque reſplendet à veſtri amoris obſequiis, quàm à multitudine gemmarum, quibûs undique interpungitur: *Aſcenſionem.*

Actor. 1. Pſal. 23. v. 8.

Exclamet proindè hodie David, lætáque voce ingeminet: ***Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, usque ad cornu altaris.*** Aſſignate quosdam dies tantæ feſtivitati ſolemniter peragendæ! Adornate templa, & altaria: *In frondoſis.* Reſonent ubique lætitiæ jubila, ut eorum echo omnes urbis angulos pervadat: *Imo verò totam urbem, & loca.* Proferantur pro majori ſplendore hujus ſolemnitatis lauri, & coronæ: *Feſtum agite, coronîs templum cingite.* Hic exurgit dubium quoddam; quæro enim, pro quo ſunt coacervanda tot ſpecioſa diademata? Sed cùm nec Textus, nec verſiones hoc decidant, illud in meis manibus relinquunt, ut ego ea pro meo arbitratu dividam.

Genebrard. num. 28. Idem. D. Chryſoſt. apud Genebr. hic.

Cæte-

Cæterùm, ſi, quod res eſt, fateri velim, diviſio iſtarum coronarum non eſt in meo arbitrio repoſita; hæ námque ex juſtitia debentur noſtræ Hiſpaniæ: Hæ lauri ſunt propriæ huic regiæ civitati: Hæc diademata jure depoſcit mea S. Religio Trinitaria, & præcipuè heros ille, qui ſuís humeris ſuſtentavit pondus tam pollucibilium, & exquiſitarum feſtivitatum, nam cùm triumphus iſte adeò glorioſus potiſſimùm expensis ejus vigilantiæ coaluerit, ei ex juſtitia debentur coronæ, lauri, & applauſus.

Tua ſunt diademata, ô coronata, & Imperialis Civitas, quæ tibi cultus mei illuſtriſſimi Patris, & Patriarchæ adeò proprios feciſti, quaſi ex te oriundus fuiſſet, atque hôc factô avitis ornamentis tuis novam gloriam addidiſti.

Vobis ſunt hæ lauri propriæ eloquentiſſimi Concionatores, qui lucidiſſimis veſtris conceptibûs vobis diademata contexuiſtis; quòdſi enim reperiantur coronæ, quæ ſplendentes radios evibrant, ſingulæ conciones veſtræ fuerunt ingenioſi circuli ſplendentium radiorum, quibûs tam ſublimem materiam venuſtiſſimè coronâſtis.

Verùm inter tot coronas ſolemnitatem hodiernæ feſtivitatis noſtræ nulla magìs illuſtrat, quàm diadema imperialis Euchariſtiæ: ***Conſtituite diem ſolemnem.... alligate agnum ad ſacrificium ſolemne.*** Turpe ſiquidem, & probroſum foret, ſi in tam pollucibili feſtivitate deeſſent deliciæ gratiæ: *Ave MARIA.* Apud Genebrar, fol. 78.

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Matth.* 10.

Ut Corpus, aut oſſa S. JOANNIS de Matha perpetuò colantur in Eccleſia Fratrum Diſcalceatorum SSS. TRINITATIS &c. *ex Bull. Donat.*

# INTRODUCTIO.

SI ſolicita indagine Evangelium aliquod meo propoſito conforme inveſtigarem, vix improbo labore unum invenirem, quod magìs ad rem præſentem faceret, quàm hodiernum. Id ego meæ felicitati in acceptis refero. Eviſceremus igitur illud, ut ejus myſteria in lucem proferamus. ***Ecce ego mitto.*** Ego, ait Incarnatus DEUS meum S. Patriarcham alloquens, ſum ille, qui te mittit. Hoc verbulum ***mitto*** innuit certam quandam perſonam, à qua miſſio proce-

cedit. Ac propterea æternus PATER non dicitur miſſus fuiſſe, quia à nemine procedit: FILIUS autem ſolùm à PATRE miſſus perhibetur, quia à ſolo PATRE procedit. Aſt SPIRITUS S., qui à PATRE, FILIOque procedit, tamquàm à ſuo principio ſpirativo, ab utraque etiam hac Perſona Divina miſſus fuit.

Quid igitur portendet, quòd Diviniſſimus humani generis Redemptor, cum meo glorioſo Patriarcha differens, verbulô: *Mitto* uti voluerit? ***Ecce ego mitto.*** Ego, Domini! tale ratiocinium formavi. Omnes fideles ſunt membra CHRISTI, ùt vas 
a. ad Cor. 6. electionis, S. Paulus Apoſtolus perſpicuè teſtatur: ***Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt CHRISTI.*** Sed cùm ſanctiſſimum meum Patriarcham elegerit pro ſingulari redemptore ad imitationem ipſius Redemptoris cœleſtis, ex illo effecit non ſolùm membrum ſuum, quæ gratia omnibus communis eſt, verùm etiam peculiarem filium ſuum in imitatione tam ſacri exempli. Hæc aſſertio tantô firmioribûs nititur baſibûs, quantò diſertiùs ab ipſa Divina Majeſtate fuit confirmata, cujus vox iſta auribus S. Patris no-
N. P. Melch. in vita S. P. N. JOANN. fol. 37. ſtri Pariſiis inſonuit: ***Stude ſapientiæ fili mi!*** Filiatio autem, ùt Philoſophi docent: ***Eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ.*** Eſt, inquam, perfecta quædam ſimilitudo in omnibus ſucceſſibus naturæ. Ut proindè, qui ſucceſſus Corporis CHRISTI exploratos habuerit, facili negotiò in cognitionem ſucceſſuum Corporis mei S. Patriarchæ ſit perventurus. Hôc ità præmiſsô audiamus nunc S. Paulum.

Ad Ephef. 4. ***Qui deſcendit, ipſe eſt, qui & aſcendit.*** Locutus eſt 
Tirin. hic. autem de CHRISTO: ***Ipſe idem CHRISTUS*** ait Tirinus. Notentur nunc hæ duæ voculæ: ***Ipſe idem.*** Ex mente igitur ſacrorum Expoſitorum verba iſta de glorioſiſſimo Corpore noſtri cœleſtis Redemptoris prolata hunc ſenſum ſpirant: Idem qui deſcendit, & miſſus fuit, eſt ille, qui nunc triumphali pompâ aſcendit: ***Ipſe idem.*** Illud ipſum corpus, quod in ſepulchrum deſcendit: 
Marc. 15. ***Poſuerunt eum in monumento***, illud ipſum quod poſt glorioſiſſimam ſuam anaſtaſim aliquamdiu delituit ignotum, & à paucis 
Cornel. hic. duntaxat viſum: ***Inviſibili. Ipſe idem aſcendit*** ad eminentiſſi-
Tirin. hic. mum cœli thronum. Sed cur iſtud? ***Ut impleret omnia novâ ſuâ gloriâ, majeſtate, ac triumphô***, reſpondet Tirinus. Cla-
A Lapide hic. riùs id nobis exponit doctiſſimus Cornelius à Lapide, cujus hæc ſunt

Digitized by Google

ſunt verba : ***Ut gloriam ſuam oſtendat , ſicut rex in altiſſimo throno , potentiâ , majeſtate , victoriâ , gloriâ , triumphô , poſſeſſione , & cultu.***

Nunc oculos convertamus ad meum propoſitum. Ipſiſſimum Corpus mei S. Patriarchæ, qui tamquàm peculiaris filius miſſus fuit à CHRISTO pro glorioſo Captivorum Redemptore, hoc ipſum Corpus : ***Ipſe idem*** , eſt illud, quod poſtquàm in ſepulchrum deſcendiſſet, tantóque tempore occultum latuiſſet, hodie aſcendit ad accipiendam poſſeſſionem hujus magnificentiſſimi throni : ***Aſcendit.*** Undè ſi CHRISTUS ſuum ſolium conſcendit, ut hac ***poſſeſſione , & cultu*** maximam ſuam gloriam, majeſtatem, & potentiam manifeſtaret, dicere haud immeritò poſſum, hanc collocationem, & poſſeſſionem, quam Sanctiſſimus Patriarcha meus in iſto templo, & in hac urbe ſuſcipit, eſſe novam ejus gloriam, novam majeſtatem, ſive dignitatem hujus coronatæ civitatis, ac denique maximam felicitatem meæ S. Religionis. Hæc ego nunc ſingillatim enucleabo.

## §. I.

PRimum erat, quòd collocatio, & poſſeſſio hujus magnificentiſſimi throni, quam hodie Sanctiſſimus Patriarcha meus ſuſcipit, ſit nova ejus gloria. Acutè, ac prudenter locutus eſt Theophylactus, quando dixit, Divinæ Bonitati parvùm videri, quòd animas juſtorum cœleſti beatitudine donaverit, niſì etiam veneranda eorum lipſana in terris glorificaret : ***Non ſatis eſt illi , quòd Sanctorum animas in æternæ felicitatis glorificet regione , niſì & eorum reliquias glorificet in hac peregrinatione.*** Cujus ſententiæ hæc mihi ratio occurrit ; nam cùm mundus iſte ſublunaris theatrum fuerit laborum, & afflictionum, quas invictô animô pertulerunt, ipſa æquitas poſtulat, ut eorum corpora etiam in hoc mundo ad celſiſſimum honoris thronum evehantur, quatenùs à cunctis fidelibus debitam venerationem recipiant.

**Theophyl. tom. 2. Bibl. vet. PP. Serm. de SS. Reliquiis.**

***Minuiſti eum paulò minùs ab angelis.*** Tu Domine, exclamavit quondam entheus David, unigenitum Filium tuum, quando eum ceu Redemptorem in hunc mundum miſiſti, adeò depreſſiſti, ut eum ipsis etiam angelis minorem effeceris. In tantum

**Pſalm. 8.**



Digitized by Google

proindè neglectum ejus cultus, & veneratio tranſiit, ut mundo prorsùs ignotus evaſerit: *Et mundus eum non cognovit.* Neceſſarium proindè erat, ut tanto contemptui, & deſpectui par gloriæ, & honoris menſura reſponderet: *Gloriâ, & honore coronâſti eum.* Fieri enim aliud non poterat, quàm ut Diviniſſimus Redemptor noſter ibi ſummis applauſibûs, & honoribûs coronaretur, ubi tot contumelias, & fatigia pertulerat: *Gloriâ, & honore.*

Joan. 1.

Mi glorioſiſſime Pater, & Patriarcha, tu quoque Redemptor fuiſti Captivorum, & quidem primus in lege gratiæ. Ità cantat S. Mater noſtra Eccleſia: *Primus Ordo Redemptorum, ad ſolamen Captivorum.* Tam glorioſis triumphis, quos tot exantlatis ærumnis in redemptione captivorum, aliiſque auſteritatibûs, & pœnitentiæ operibûs victrix anima tua ſibimetipſi peperit, reſpondet præmium, quô nunc in cœleſti gloria perfruitur. Sacrum verò Corpus tuum hìc in terris remanſit, quod, ùt exactè per veſtigia animæ tuæ incederet, quantas non afflictiones (liceat mihi ità loqui) ſuſtinuit? Quàm diuturnis ærumnis hæ ſacræ Reliquiæ conflictatæ fuerunt? Hæ mox per aliquot ſæcula Romæ neglectæ, & ignotæ jacuerunt, mox periculoſo itinere in Hiſpaniam tranſierunt, mox in Nunciatura longo tempore latuerunt, ac denique in hac ipſa domo clauſtris, & ſigillis ſatìs diu coarctatæ fuerunt! Quamobrem cùm hoc ſit idem Corpus: *Idem ipſe,* quod ab omnium hominum conſpectu remotum tot annis debita veneratione caruit, quomodò fieri poſſet, ut hodierna die maximis honorum demonſtrationibûs, & applauſibûs non afficeretur?

Eccl. in Off. prop.

*Nónne oportebat CHRISTUM pati, & ità intrare in gloriam ſuam.* Dixit quondam Incarnatus DEUS duobus diſcipulis in Emaus proficiſcentibus. Numquid non conveniebat CHRISTUM atrociſſima tormenta ſubire, ut hôc pactô ingrederetur *in gloriam ſuam?* Notetur hoc pronomen: *ſuam.* Gloriam vocat ſuam. Sed, ô Domine! ſi gloria aliundè eſt CHRISTO propria, ſi totum regnum cœleſte ejus eſt, quid ſignificare voluiſti, cùm diceres, oportuiſſe CHRISTUM pati, & *ità intrare in gloriam ſuam?* Textus iſte ſatis eſt clarus. Non eo inficiàs, quòd gloria cœleſtis Diviniſſimo Redemptori noſtro ſemper propria fuerit, tanta tamen eſt efficacia paſſionis, quam in hoc mundo ſubivit, ut ei

Luc. 24.

Digitized by Google

ei quaſi novum titulum hujus gloriæ poſſidendæ pepererit. Ejus quidem ſemper fuit gloria, tanti tamen meriti eſt paſſio: *Oportebat pati*, ut illi quaſi viam aperuerit ad poſſeſſionem ſuæ gloriæ: *Et ità intrare in gloriam ſuam.*

Oſtendamus id clariùs per ſucceſſus, qui ei in hoc mundo evenerunt. Quater, ùt S. Scriptura teſtatur, æternus PATER canonizavit Majeſtatem Domini noſtri JESU CHRISTI. Semel in margine fluvii Jordanis: *Hic eſt filius meus dilectus*, deindè iiſdem verbis in monte Thabor, quibûs priorum ſententiam ſuam confirmavit: *Hic eſt filius meus dilectus.* Tertia vice in cœnaculo, quando dixit: *Clarificavi*, & promiſit, id ipſum in alia occaſione à ſe præſtitum iri: *Et iterùm clarificabo*, quod ex mente SS. Patrum in glorioſiſſima CHRISTI Aſcenſione adimpletum fuit. Obſervemus nunc eoſdem ſucceſſus in meo inſigni Patre, & Patriarcha.

Matth. 5. Matth. 17. Joann. 12.

Quatuor & ipſe quoque vicibûs ſanctus proclamatus fuit; hunc enim Urbanus IV. ſolemni apotheoſi in ſanctorum Album retulit, cujus deinde cultum Alexander VII. nova declaratione inſtauravit. Hæ duæ Canonizationes ſunt una, eadémque res, & primis illis duabus ſimillimæ, quibûs CHRISTI apotheoſis iiſdem verbis aſſerta fuit. Poſteà Innocentius XIII. P. M. Identitatem hujus S. Corporis declaravit: *Clarificavi.* Remanſit proindè nobis adhuc promiſſio alterius. Aſt quænam eſt iſta? Illa nimirùm, quæ reſpondet glorioſæ Aſcenſioni D. N. JESU CHRISTI in cœlum, quæ tunc ſubſecuta fuit, quando ſancti Patriarchæ noſtri Corpus ad hunc elegantiſſimi operis thronum aſcendit: *Et iterùm clarificabo.* Quòd ſi igitur quatuor illæ apotheoſes PATRIS æterni præmia fuerunt dolorum; quos CHRISTUS perpeſſus eſt, cur dicere dubitem, quatuor canonizationes mei illuſtriſſimi Patriarchæ, quibus ſplendidiſſimis hiſce feſtivitatibûs coronidem imponimus, fuiſſe peculiare præmium illarum afflictionum, quas ſacrum ejus Corpus exantlavit.

Canonizavit eum Urbanus IV. Declaravit immemorabili: Alexander VII. Declaravit ejus Identit. Innocent XIII. & modò collocatur in templo.

Hoc itáque eſt glorioſiſſimum trophæum, quod Reliquiis mei S. Patriarchæ hodie ſtatuitur. Hi ſunt honores, qui venerandis ejus lipſanis exhibentur, quia poſt tot rerum viciſſitudines invenit pro perenni ſua, ſtabilique quiete hunc magnificum, & conſpicuum thronum.



Digitized by Google

Pſalm. 83. *Etenim paſſer invenit ſibi domum.* Extra controverſiam eſt, ait rex Prophetarum, quòd paſſer domum invenerit, in qua debitos honores reciperet, non autem qualemcunque domum, ſed talem, quæ ſimul eſt altare, thronus, & templum. Priùsquam dubium aliquod circa hunc Textum excitem, inveſtigemus, quænam ſit avis iſta? Concionator diei dominicæ dixit, eam fuiſſe imaginem mei glorioſi Patriarchæ, quæ aſſertio tantò mihi magis arridet, quantò clariùs ex S. Auguſtino, S. Bernardo, Ayguano, & Lorino conſtat, ſub nomine hujus avis deſignari virum religioſum, prudentem, humilem, & candidum: Cùm verò hæc ſint ipſiſſima prorsùs ſigna, quibûs hodiernum Evangelium meum S. Patriarcham in tribus ſimilitudinibus ovis, ſerpentis, & columbæ depingit, evadit conſectaneum, Davidem voluiſſe ſolemnem illum triumphum deſcribere, quô in hoc templo, & altari pro perpetua ſua veneratione collocatus fuit: *Altaria tua, tabernacula tua.*

Apud Lor. hic.

Eviſceremus nunc hæc duo verbula: *Invenit ſibi*, hoc eſt: ut conſtanter ibi permaneat. Ità hunc locum gloſſa interlinealis explicat: *Ut volet in domum, in qua permaneat.* Sed cur? Protinùs dicam. Hæc avis eſt typus illius animæ, de qua ſcriptura dicit? *Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*, ùt SS. Patres exponunt. Ex quo deducitur, eam poſt tot ſolitudines, & latebras ſuperatas, non potuiſſe glorioſiorem invenire triumphum, quàm adipiſci, & proprietatis jure poſſidere Thronum, Altare, gloriam, Domum, & Templum: *Altaria tua*: *nova ſua gloria*: *ſicut rex in altiſſimo throno.*

Interl. in Gloſſ.

Pſal. 54. v. 8.

## §. II.

SEcundum erat, quòd collocatio Corporis mei S. Patriarchæ in hac civitate ſit nova Majeſtas, ſive dignitas hujus feliciſſimi regni: *Aſcendit: Majeſtate.* Aureum illud Chriſtianæ eloquentiæ flumen, S. Joannes Chryſoſtomus, de rebus illis differens, quæ urbes, & populos felices efficiunt, inſignem pro more ſuo ſententiam protulit, quam ſi integram non adducerem, ejus eloquentiæ injuriam facerem: *Diſce quid ſit civitatis dignitas, non quòd metropolis ſit, neque quòd habeat ædificiorum magnitudinem, ne-*

D. Chryſoſt. Serm. 17. ad popul. An-

*neque quòd multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes, ſed inhabitantium virtus, & pietas.* tioch. apud Beyerl. lit. & Verb. Civitas.

Videtur Sanctus iſte Prophetico ſpiritu præſentia tempora reſpexiſſe, noſtrámque Hiſpaniam, ac præcipuè hanc coronatam civitatem allocutus fuiſſe. Perſuadeat ſibi itáque Madritum, maximam ſuam felicitatem, dignitatémque non conſiſtere in multitudine elegantiſſimorum palatiorum, quibûs ſuperbit, nec in viridariis, & fontibus, quos oſtentat, nec in marmoribus, & columnis, quibûs ornatur, ſed in eo, quòd Corpus mei glorioſi Patriarchæ in ſuo gremio complectatur. Hæc eſt ſumma ejus dignitas, & majeſtas, quòd Sanctiſſimus Patriarcha meus prodigiosè ad eam venerit, ut in hac regia civitate viveret, & habitaret.

*Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi.* Pſalm. 131. Ineffabili gaudiô delibutus eſt David, quòd DEUS urbem Sion pro ſua habitatione elegerit. Cæterùm qui Lorinum Lor. in hunc Pſalm. pervolverit, uberem novorum diſcurſuum ſegetem inveniet; hic enim pro eo, quod in vulgata invenitur: *Quoniam elegit*, habet: *Propterea elegit.* Ideò pro ſuo ſtabili domicilio elegit illum populum, & domum Davidis. Sed cùm hoc verbulum *propterea* ex natura ſua ſit inſtitutum ad rationem reddendam, ſupereſt, ut cauſam inveſtigemus, ex qua hoc *propterea* deductum fuit. Hanc nobis ultrò aſſignat ſupra citatus Lorinus: *Quòd ſit Davidici* Ubi ſup. *regni ſedes.* Cauſa hujus electionis eſt, quòd Sion fuerit regia ſedes Davidis, maximi illius Monarchæ, qui in omnem latè Syriam dominabatur, & cui DEUS in eodem Pſalmo ſtabilitatem imperii, maximámque felicitatem ſubditorum ejus promiſit: *Sedebunt ſuper ſedem tuam . . . . viduam ejus benedicens benedicam.* Ut itáque certi forent de ſua felicitate, voluit altiſſimus DEUS ad eos venire, & perpetua manſione in civitate David habitare: *Propterea elegit . . . . in habitationem ſibi.*

Undè, dum glorioſiſſimus Patriarcha meus hanc civitatem, caput orbis, pro perenni ſacrarum Reliquiarum ſuarum habitatione elegit, non ſolùm maximam felicitatem omnibus regnis hujus adeò magnæ, ac diffuſæ Monarchiæ invehit, verùm etiam eis pignus quoddam ſummæ ſecuritatis tradit.

Doctiſſimus Cornelius à Lapide ſcribit, Judæos in templo Hieroſolymitano nullô ſerpentium venenô violari potuiſſe. Ad eundem A Lapid. in l. 3. Paralip. cap. 4.

 pla-

planè modum, quô ipſæ quóque feræ, quæ ad templum Dianæ confugiebant, à veneno liberari perhibebantur. Lætetur itáque Hiſpania, & exultet hæc imperialis civitas, quia in Reliquiis mei glorioſiſſimi Patris paratiſſimum habet aſylum ad omnia mala evadenda, & peculiarem quendam ſplendorem, quô ſua gloria magìs illuſtratur; ſi enim Jonas Aurelianenſis dixit: *Favillæ Reliquiarum ſpeciem gaudentis Eccleſiæ illuſtrant*, ipſos etiam cineres ſanctarum Reliquiarum eſſe maximum ſplendorem illorum, qui geſtientibûs animîs eas colunt, & venerantur, cogitet nunc veſtra prudentia, quantum ſplendorem additurì ſint huic regiæ civitati non jam cineres, ſed ipſum Corpus mei glorioſiſſimi Patris, & Patriarchæ?

Jonas Aurel. lib. 1. de cult. imag.

Hoc tantò propenſiùs quisque credet, ſi maturè conſideraverit, quantos favores Sanctus iſte Madrito impenderit, cùm etiamnum in hac vita mortali degeret. Sed quid? Ergóne Sanctus Patriarcha meus etiam in hoc mundo vivens Madrito beneficium aliquod exhibuit? Ità ſe res habet. Audiat Veſtra Illuſtriſſima Dominatio memorabilem eventum. Glorioſiſſimus Patriarcha meus eo tempore quô in Hiſpania verſabatur, Conſiliarius fuit Regis Alphonſi. Accidit fortaſſis, ut Segovienſes, & Madritenſes de limitibus ſuorum territoriorum inter ſe diſſiderent, ac tandem etiam in apertum bellum erumperent. Rex Alphonſus, qui Segovienſium partibus favebat, totam aulam ſuam adversùs Madritenſes armaverat, minásque ſpirans eorum exitio inhiabat. Hoc ùt Sanctus noſter intellexit, regis iram verborum officiis lenivit, ac deindè flagrantiſſima charitate impulſus utriusque factionis antelignanos convenit, eósque mellitiſſimìs verbis aggreſſus tantô zelô, pietate, ac ſolicitudine inter illos egit, ut exciſa tandem ſimultatum radice illos in priſtinam gratiam revocaverit, & arctiſſimô amicitiæ vinculô invicem colligaverit. Stabilita in hunc modum pace, Rex, proceres, omnésque populi ei ſinceriſſimas gratias perſolverunt, illúmque ſumma veneratione excoluerunt.

N. P. Melch. in vita f. 213.

Perpendant intereà hunc ſingularem favorem, dum ego verſum quendam Davidis exentero: *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſervient ei.* Hôc oraculô regius Vates ad CHRISTUM reſpexit. Quæ cauſa fuit tam univerſalis adorationis? Hanc nobis S. Textus clariſſimîs verbis indicat: *Quia liberavit pauperem.* Si Textum Hebræum conſulamus, inveniemus

Pſalm. 71.

Digitized by Google

mus ex interpretatione S. Hieronymi, hanc cauſam interceſſiſſe, quòd, cùm viveret, pauperem, & afflictum liberaverit: *Quia liberavit*, quod eſt verbum præteriti temporis. Quòdſi autem verſionem græcam inſpexerimus, quam cum S. Auguſtino ſequuntur Caſſiodorus, Tertullianus, aliique plures, deprehendemus, cauſam fuiſſe liberationem pauperum in futuro. *Quia liberabit. Loquitur de futuro.* Totum apud Lorinum hic.

Sed quid tandem ſentiendum eſt? Quæ cauſa fuit hujus adorationis? an liberatio in præterito, an verò in futuro? Utraque, reſpondet Magiſter ſententiarum, qui ambas Verſiones probat, & amplectitur: ego autem per ejus veſtigia incedens, aſſero, utrumque etiam meo glorioſiſſimo Patriarchæ convenire; hunc enim adorant reges, colunt proceres, & V. Illuſtriſſima veneratur, quia in vita eis ſua protectione favit: *Liberavit*, poſt mortem verò, dum ſacrum ejus Corpus in hoc throno collocatur, pollicetur Veſtræ Illuſtriſſimæ ſuum auxilium, patrocinium, & innumeras felicitates: *Liberabit.*

Sed quid aliud ſperari poſſet ab eo, cujus pectus vivus quidam fuit charitatis Veſuvius, cujus opera omnia miſericordiam ſpirabant, quaſi hæc virtus cum eo nata fuiſſet, & adoleviſſet? cujus amor adeò flammidus fuit, ut nec tribulationum undis extingui, nec tempeſtatum fluctibûs ſopiri valuerit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem JOANNIS.* Dicant hoc tot centuriæ redemptorum Captivorum! Loquantur dirupta vincula, & catenæ! Teſtentur hoc tot carceres reſerati, ſuiſque diuturnis incolis ſpoliati. O civitas Madritenſis! O Hiſpania! Quantum nunc debet eſſe gaudium tuum, quæ, dum hoc ſacrum Corpus poſſides, omnem felicitatem in tuis manibus habes! Eccleſ. in Offic. propr.

Non poſtremum autem indicium proſperitatis, quæ te ô coronata urbs expectat, iſtud eſt, quòd glorioſiſſimus Patriarcha meus tantò te amore proſequatur, ut velit unam ex clavibus, quibûs ſacra urna ſua clauditur, apud te deponi; nam quòd mea S. Religio decreverit unam iſtarum clavium Veſtræ Illuſtriſſimæ conſignare, id procul dubio ex peculiari impulſu mei Sancti proceſſit.

*In illa die vocabo ſervum meum Eliacin.* Sed quid acturus eſt iſte? Reſpondet Cornelius: *Præficiam eum domui regiæ.* Eliacin gubernator fuit Hieroſolymæ, & Præfectus aulæ regiæ. Hunc Iſai. ib. A Lap. hic.

DEUS

DEUS elegit, ut ei traderet unam ex clavibus domûs David: *Dabo clavem domûs David.* Non potuiſſet major amoris demonſtratio excogitari, nec ulla re alia meum propoſitum aptiùs illuſtrari, quô declarare intendo, quanto amore erga hanc coronatam civitatem feratur ſanctiſſimus Patriarcha meus, dum ei clavim unam ſuæ Arcæ committit; fuit enim & ipſe quóque glorioſiſſimus Pater meus novus David, utpote vir ſecundùm Cor DEI, Doctor ſapientiſſimus, & admirabilis cathedraticus, ſive cathedræ præſes, Redemptor Chriſtiani populi, tantáque affabilitate præditus, quanta charitate: cujus proindè erga hanc imperialem urbem propenſio, & benevolentia eſt certiſſimum pignus ſummæ felicitatis, quæ illam expectat: *Aſcendit: Majeſtate.*

## §. III.

TErtium, & ultimum erat, quòd collocatio hujus ſacri Corporis in præſenti throno, ad artis miraculum, & oculorum invidiam elaborato ſit maxima felicitas meæ S. Religionis: *Aſcendit: Potentia.* Ex mente S. Auguſtini ille ſolus felix, & beatus cenſendus eſt, qui habet & poſſidet, quod ſemper deſideravit: *Beatus eſt, qui habet, quidquid vult, & nihil malè vult.* Revocet nunc ſibi quisque in memoriam perpetuas ſolicitudines, curas, & anxietates, quibûs mea S. Religio conflictata fuit partim, ut cultum glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri reſuſcitaret, eúmque è ſepulchro oblivionis in lucem revocaret, partim, ut ejus S. Corpori publicam venerationem aſſereret, illúdque communi omnium devotioni in altari exponeret. Conferatur nunc ardentiſſimis hiſce deſideriis donatio, ac poſſeſſio tam pretioſarum Reliquiarum, & tunc demùm perſpicuè intelligetur, collocationem hujus ſacri Corporis maximam noſtram felicitatem, & excellentiam eſſe.

D. Auguſtin. c. 13. de Trinit.

Piiſſimus ille Polemarchus, & Dux populi Hebræi, Moyſes, morti vicinus ſingulis quidem tribubus Iſraël benedixit, ità tamen, ut tribum Benjamin, quæ ordine ultima erat, primis accenſuerit. Cujus facti talem cauſam Theodoretus aſſignat; ait enim Arcæ veteris Teſtamenti, in qua aſſervabantur Reliquiæ illius prodigioſæ virgæ (Hiſpanicè Matæ) cujus operâ magnus ille Captivorum Redemptor Aaron tot mirabilia patravit, decretum fuiſſe thronum, & perpetuam ſtationem in territorio Tribûs Benjamin, quæ res huic tribui tan-

Deuter. 33. v. 12.

Theod. q. 45.

tantam dignitatem peperit, ut quamvìs ordine naturali eſſet ultima, & minor omnium, in benedictionibus tamen primis æquata fuerit.

Nemo ibit inficiàs, quamvis hæc verba ex ore filii prodeant, meam ſacram, & Excalceatam Religionem Trinitariam, licèt ſpectato temporis ordine ſit una ex ultimis, adeò tamen inſignem, & excellentem eſſe, ut pro ſuo ſplendore novis lucibûs opus non habeat: Nihilominùs hæc poſſeſſio Corporis N. glorioſiſſimi Patris, & Patriarchæ eſt circumſtantia adeò peregrina: Collocatio illius in hoc templo eſt honor tam novus, & ſingularis, ut ſi ingratitudinis notam effugere velit, fateri cogatur, ſuum ſplendorem hodie illuſtratum, ſéque in benedictionibus primis aggregatam fuiſſe, utpote quæ hodie obtentâ urnâ hujus ſacri Corporis ſe multò feliciorem gloriatur, quàm Tribus Benjamin Arcâ veteris Teſtamenti.

Hæc eſt cauſa ſingularis lætitiæ, quam noſtri Religioſi præſeferunt, dum ſe vident tam prodigiosè honoratos poſſeſſione hujus S. Corporis: Undè & quilibet eorum tam ſacro pignori novum thronum, novam urnam, & domum in ſuo pectore aſſignat. Simile quid ab Artemiſia, Regina Cariæ, factum fuiſſe legimus. Hujus amori, quô defunctum maritum ſuum proſequebatur, non ſatis erat ejus memoriæ ſtupendum illud Mauſolæum erexiſſe, ſed affectûs ſui magnitudine rapta etiam ***Viri mortui cineres vino commixtos ebibit.*** Calep. verbô Artemiſia. In hiſce cineribus ebibit Reliquias ſui exanimis mariti, eidémque pro urna totum amorem ſui pectoris conſecravit. Audiatur Angelus Calmineus:

*Nè tumulò careat, pectus dedit illa ſepulchrum,*
*Conjugis & cineres ebibit ipſa ſui.*

Converte proindè oculos tuos, mi glorioſiſſime Pater, & Patriarcha! Converte nunc, inquam, oculos ad tuam ſacram, & Excalceatam Familiam Trinitariam, quæ te tenerrimis ſponſæ verbis ità affatur, & ſalutat: ***Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.*** Cant. 6. v. 12. Tirinus legit: ***Revertere ad tuos.*** Veni jam dulciſſime Pater ad tuos filios, qui tanto tempore deſideratiſſimâ præſentiâ tuâ fuerunt deſtituti. ***Ad tuam te revocamus domum.*** Veni jam ad propriam domum, & templum tuum, ut occupes thronum altarium, noſtrorúmque aman-



Digitized by Google

Apud Tirin. hic. tium pectorum: ***Mane, quæſumus, aſſiduè nobiſcum, ut intueamur te perpetuò.*** Nôſti quàm anxiis deſideriis, quàm irremiſsis laboribûs, quàm indefeſsis induſtriis te quæſiverit, & prehenſaverit amor noſter? Permaneat igitur ſacratiſſimum Corpus tuum in æternum nobiſcum: ***Aſſiduè nobiſcum, ut intueamur te perpetuò***, ſitque novus iſte favor corona omnium beneficiorum tuorum.

Evibrentur nunc, mi glorioſe Pater! vivæ ſcintillæ ex incendio harum ſacrarum Reliquiarum pro manifeſtatione tuæ novæ gloriæ, pro levamine hujus Catholicæ Monarchiæ, pro ſolatio omnium filiorum tuorum, pro ſubſidio, & protectione omnium clientum tuorum, ut omnes tuô præpotente patrociniô adjuti conſequamur in hac vita gratiam ad tuam beatiſſimam ſocietatem perveniendi in gloria: ***Ad quam nos perducat, &c.***

Finitâ Miſsâ Religioſa Communitas noſtra duos illos graviſſimos Senatus dimiſit, & exquiſita ſubmiſſione ſua oſtendit, talibûs honoribûs noſtras voluntates captivatas fuiſſe.

Tempus veſpertinum reliquas harum feſtivitatum veſperas, gaudiorum demonſtrationibûs longiſſimè ſuperavit, adeò omnia plûs quàm aliis diebûs muſicis inſtrumentis perſonuerunt. Nocte tandem ingruente occultatus fuit Sol Juſtitiæ, Dominus noſter JESUS CHRISTUS in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, atque hôc pactô ſplendidiſſimæ hæ ſolemnitates citra aliquod infortunium finem acceperunt. Reſtabat adhuc dies palæſtræ literariæ dedicatus, quæ, cùm in diem Martis dilata fuerit, locum dedit, ut amoveretur ornatus Eccleſiæ, & adornaretur theatrum eâ formâ, quæ in libro, de hac palæſtra literaria typis excuſo, latè deſcribitur. Atque in hunc modum concluſi fuerunt hi feſtivi applauſus, qui cedant in majorem DEI gloriam, & Illuſtriſſimorum, Glorioſiſſimorúmque Patriarcharum noſtrorum honorem,

# A M E N.

IN-

Digitized by Google

# INTERPRES AD BENEVOLUM LECTOREM.

POſtquàm Deſcriptionem omnium Feſtivitatum tam ob declarationem Identitatis, quàm ob collocationem Corporis mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha celebratarum ad colophonem perduxiſſem, atque huic opuſculo epitomen quandam miraculorum quæ Noſter Sanctus in ſua vita operatus fuerat, præmiſiſſem, rogatus ſubindè à quibusdam Religioſis, ut prodigia illa, non ità pridem hujus ſancti interceſſione patrata, & in ſolo Hiſpanico idiomate conſcripta, literis latinis commendarem, haud gravatè morem geſſi, tum ut preces ſupplicantium apud me pondus habuiſſe oſtenderem, tum ut fidelium corda ad venerationem hujus Sancti magìs excitarem. Ea verò, quæ in tertia hujus libri parte ſum allaturus deprompſi ex illa Hiſtoria Chronologica, quam P. Melchior à SPIRITU SANCTO, Excalceati Ordinis noſtri Religioſus, ſuperiorum Licentiîs approbatam, & optima cæteroquin fide conſcriptam annô milleſimô ſeptingenteſimô ſeptimô typîs Madritenſibûs evulgavit.

# PARS TERTIA.

*Recenſentur breviter nonnulla miracula, & prodigioſi favores, quibûs S. P. N. JOANNES de Matha ſuis devotis clientibus ſubvenit, utpote quos ſæpenumerò ab epidemica luis contagio, à periculis terrâ, marique ſubortîs, à dolore Iliaco, febribus, aliisque infirmitatibus, ac incommodis beneficentiſſimè liberavit, imò & quosdam mortis violentiâ obrutos vitæ rursùs reſtituit, è quibus omnibus luculentiſſimè colligi valet, quàm paterna ſolicitudine cultores ſuos protegere ſoleat.*

## PROLOGUS.

EX illis prodigiis, quæ ſuperiùs in vita S. P. N. JOANNIS de Matha retuli, clariſſimè eluceſcit, quàm facilem in ſua vota DEUM Sanctus iſte ſemper habuerit, & quàm fideliter Omnipotentis manus ei ubique cooperata fuerit, adeò, ut plenam quandam, & illimitatam poteſtatem ſuper omnia elementa, cunctásque creaturas tam ſenſibiles, quàm inſenſibiles obtinuiſſe videatur. Non immeritò proindè illud elogium, quod S. Evangelium Beatiſſimo Joanni Baptiſtæ attribuit, ſancto noſtro applicari poſſet: Luc. cap. 5. *Etenim manus Domini erat cum illo;* omnia námque mirabilia, quæ S. JOANNES de Matha operatus eſt, effectus fuerunt manûs Divinæ.

De hac potentia, quam altiſſimus DEUS ſuis ſervis communicat, S. Jacobus in ſua Epiſtola Canonica loquitur, quando de Jacob. 1. Elia Propheta ſcribit, eum clavim nubium in manibus ſuis habuiſſe, ut eas pro ſuo arbitratu aperiret. Et hoc quidem unicum duntaxat fuit prodigium: Cæterùm nè illi, qui magno huic Prophetæ res inſenſibiles ſubjectas cernebant, ei quidpiam Divinitatis tribuerent, ſacer Textus addendum putavit, Eliam hominem fuiſſe. Equidem & ipſe quoque S. JOANNES de Matha homo fuit, ſicut Elias, non tamen unicum ſolùm miraculum patravit, ſed tot pro-

Digitized by Google

prodigia effecit, ut pro homine Divino facilè reputari potuiſſet. Nihilominùs conſtanter dicimus, eum purum hominem fuiſſe, ſed Divina manu in ſuis operibus adjutum, cujus adminiculô nunc multò cumulatiùs in cœlo perfruitur. Quemadmodùm autem in hoc mundo acceptam cœlitùs gratiam pro bono hominum expendit, ità quoque in beata illa immortalitate conſtitutus idipſum facere nunquam deſinit, ùt elapſa æquè, ac præſentia tempora plurimîs experimentîs teſtantur; tam frequenter enim ſuis cultoribus in omni afflictionum genere ſuccurrit, præcipuè in profliganda peſte, pellendis febribus malignis, puſtulis venenatis, potiſſimùm verò iliacis doloribus, ut apertiſſimè pateat, eum in ſuis benedictis manibus non ſolùm ſanitatem, ſed etiam univerſalem clavim contra omnia hujus vitæ pericula habere. Id multò evidentiùs conſtabit è decurſu ſequentis narrationis, ubi tamen advertere volui, non omnia hujus ſancti prodigia à me referri, ſed plura omitti, quorum exactâ notitiâ deſtituor, ea tantùm retuliſſe contentus, quæ certiſſimè comperi, & quibus ego ipſe interſui, quô maximè ſtimulò impulſus fui ad hunc tertium librum ſcribendum.

# CAPUT PRIMUM.

*Referuntur nonnulli favores prodigioſi, quos Divina Majeſtas illis præſtitit, qui interceſſionem S. P. N. JOANNIS de Matha in ſuis neceſſitatibus invocaverunt.*

NEmo in rebus Andaluſiæ eſt adeò hoſpes, ut ignoret ſæviſſimam peſtem, quæ ſuperioribûs annîs plurimas hujus Provinciæ civitates depopulata fuit. Illarum urbium numero, in quas vis hujus mali vehementiùs incubuit, jure accenſetur Ubeda, tanta ſtrage annò milleſimô, ſexcenteſimô, octogeſimô primò infeſtata, ut neceſſe habuerit integram quandam plateam in noſocomii uſum convertere. In hac communi calamitate omnes à DEO remedium poſtulabant, quia timor peremptoriæ luis omnes occupaverat. Atque in hunc finem multæ ſunt inſtitutæ Proceſſiones publicæ, circumlatis diverſorum Sanctorum imaginibûs, ut eorum interceſſione Divina Juſtitia placaretur, ſed cùm vis mali nihil remitteret, hominum triſtitia, & afflictio magìs increvit.

1. Ceſſat peſtis Ubedæ annò 1681 ob invocationem N. Sancti.



Digitized by Google

Religioſi Trinitarii, qui in illa civitate haud contemnendum cœnobium obtinent, in ſolemni ſupplicatione imaginem ſui Sancti Patriarchæ JOANNIS de Matha portârunt, admonitis priùs hujus urbis incolis, quatenùs omnes ſacrum, ùt vocant, ſcapulare SSS. TRINITATIS è collo pendulum geſtarent. Quô factô inter devotas comprecationes inſtructis ordinibûs ad prædictum noſocomium perrexerunt. Vix pedem eò intulerant, dum infirmi ad noſtri Sancti imaginem converſi confuſo ejulatu opem ab eo efflagitârunt, quam etiam opinione citiùs obtinuerunt; priusquàm enim Sanctus è xenodochio exiret, omnes peſtiferô morbô afflati perfectè convaluerunt, & reducem ſoſpitatoris ſui effigiem univerſali gratiarum actione proſecuti fuerunt.

2. *Infirmum Religioſum à peſte liberat.*

In conferta illa infirmorum multitudine decubuit quidam Religioſus Trinitarius, Fr. Salvator de Alvarado dictus, qui virulentiæ acrimoniâ è ſtatu mentis dejectus perpetuis deliriis torquebatur, & in limine mortis conſtitutus ſpem nullam recuperandæ ſalutis habebat. Hic itáque, ùt vidit ſancti ſui Patriarchæ imaginem, precibûs evicit, ut ſibi propiùs admoveretur, quam ille avidiſſimè manu complexus ſanitatem poſtulavit, eámque è veſtigio reportavit; ruptâ ſiquidem vomicâ, cujus iniquitas eum ad lethi confinia deduxerat, febris abſceſſit, illéque confeſtim plenè convaluit: Undè etiam Sanctiſſimo Patriarchæ ſuo ob tam inſignem favorem plurimas gratias perſolvit.

3. *Sanavit alterum peſtilenti morbô afflatum.*

Alius verò Religioſus Trinitarius, nomine Fr. Joannes Gonzalez, in prædicto noſocomio peſtiferorum obſequiis addictus, cùm infirmis promiſcuè alacriter aſſiſteret, ex hoc ipſo conſummatæ charitatis exercitio feralem bubonem ſub brachio ſiniſtro contraxit, quô infectus rationis uſum perdidit, támque pertinaci vomitu urgeri cœpit, ut ipſa quóque viſcera per os ejicere velle videretur, atque adeò ejus valetudo prorsùs deplorata haberetur. In his ille anguſtiis conſtitutus ad æmulationem prioris, effigiem noſtri Sancti apprehendit, quo ſalutifero tactu in brevem ſomnum reſolutus fuit, à quo experrectus ſenſit anthracem evanuiſſe, ſéque cupitæ ſanitatis compotem factum fuiſſe, quod ille beneficium, quamdiu vixit, in grati animi teſtimonium, nunquam prædicare deſiit.

*Videatur R. P. Baro. p. 304. Annal. & corrigatur ibi er-*

Tria hæc relata prodigia deſumpſi ex juridica inquiſitione, quam Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Epiſcopus Jaënſis D. Antonius Fernandez del Campo ad inſtantiam R. P. Fr. Ferdinandi de Bur-

Burgo, Religioſi Trinitarii, circa hæc miracula inſtituit, quorum veritate legitimè comprobata in gratiarum actionem pro tam inſignibus favoribus ſolemnis Feſtivitas adornata fuit, in qua ad concionem dixit R. P. M. Dominicus Lopez Trinitarius Calceatus.

ror typographi, qui dictam civitatem *Ubedam* vocat *Onitam*.

Sequentem eventum refert V. P. Alphonſus de Andrade S. J. in ſuis Patriarchis Trinitariis, quem proindè huc adſcribere non gravabor, cùm tanti ſcriptoris authoritas de rei geſtæ veritate me minimè dubitare permittat.

Andrad. in vita S JOANNIS de Mat. c. 10.

4. Defunctus infans reviviſcit.

Granatæ infans quidam non ſinè ſummo parentum ſuorum dolore, qui cultui S. P. N. JOANNIS de Matha, ejusdémque ſacræ Religioni erant deditiſſimi, in fata conceſſerat. Curis igitur ad defunctæ prolis ſepulturam conversis dum mœſti parentes domeſticas arcas pervolvunt, in effigiem quandam S. JOANNIS de Matha inciderunt, quam ad exanime corpus chariſſimi ſui pignoris deferentes, ſanctum noſtrum lacrymis magis, quàm verbis obſecraverunt, ut mortuo filiolo vitam reſtituere dignaretur! Hìc ſanè verba deficiunt, quibûs tam luculentum miraculum pro dignitate enarretur; omnes enim, quotquot defunctum infantem deploraverant, ejus reſuſcitatione majorem in modum exhilarati fuerunt; puſio námque exanimis poſt attactum hujus imaginis, & invocationem tam glorioſi Sancti oculos extemplò aperuit, variisque ſignis palàm fecit, ſe interceſſione S. JOANNIS de Matha reſuſcitatum fuiſſe. Quô visô læti parentes, & cum parentibus omnes eorum conſanguinei, affines, & amici, qui ad ultima juſta infanti perſolvenda convenerant, feſtivas voces in aëra extulerunt, & conſonis jubilis ***Miraculum***, ***Miraculum*** exclamârunt, DEOque ob vitam infanti reſtitutam infinitas gratias decantârunt. Illi itáque, qui ad ſepeliendum puſionem convenerant, eum ſuis brachiis ad Eccleſiam PP. Trinitariorum Excalceatorum in illa civitate detulerunt, & ob perceptum favorem Divinæ Majeſtati haud oſcitanter gratias egerunt.

Hoc miraculum juridica inquiſitione comprobatum Romam transmiſſum, ibidémque grandi admiratione exceptum fuit.

5. Alterius infantis reſuſcitatio.

Huic ſimile eſt, quod alibi contigit. Maria de Cordova, ex villa Manzanares in campis de Calatrava oriunda Iliacô malô afflicta partui appropinquabat. Hìc illa tantis doloribûs obruta fuit, ut totô triduô prolem eniti nequiverit. Ergò cùm in ſupremo vitæ diſcrimine verſaretur, invocavit S. P. N. JOANNEM de Matha, eúm-

eúmque enixiſſimis precibûs rogitavit, ut ſe ſua interceſſione à doloribus Iliacis liberaret, & felicem partum impetraret. Exaudivit ſanctus gemitus miſeræ puerperæ; quamprimùm enim ejus imagine contacta fuit, prolem illicò peperit, iliúmque aculeos amiſit. Novus tamen indè dolor ſuccrevit; ſiquidem infans tam difficili partu in lucem editus, vitâ omni prorsùs carebat, ùt obſtetrix, aliæque mulieres huic actui præſentes jurejurandô teſtatæ fuerunt. Igitur mater afflicta ad expertum auxilium denuò converſa Sanctum noſtrum novis precibûs fatigavit, vellet infantulo vitam à DEO exorare, pollicita, ſe in memoriam hujus beneficii ei nomen JOANNIS de Matha impoſituram. Neque huic ſecundæ petitioni Sanctus noſter difficilem ſe præbuit, non tamen ſtatim ſupplici annuit, ſed ut clarius eſſet miraculum, certiúſque de morte pueri conſtaret, quatuor horîs diſtulit, quibûs elapsis defunctus infans revixit pro ſummo ſolatio matris ſuæ, quæ ſuis fideliter ſtetit promiſſis, ſuóque benefactori gratias agere non deſiit.

Hæc intelligenda ſunt deP. Melchiore, qui miracula iſta Hiſpanicè ſcripſit.

Hanc ego narrationem ab ore ipſius Mariæ de Cordova, ejúsque obſtetricis accepi, quæ, cùm ego Miſſam celebraturus prodirem, puerum hunc JOANNEM de Matha vivum mihi oſtenderunt, cui ego, tamquàm Miniſter Eccleſiæ Benedictionem in his caſibus conſuetam impertitus fui.

6\. Sanctus noſter mulieri defunctæ novum vitæ uſum impetrat.

Non minorem admirationem meretur, quod Mariæ Prietæ incolæ villæ ſolanæ in campo de Montiel accidit. Hæc cùm & ipſa incredibili partûs difficultate laboraret, & ſuperiorem eventum ſatìs exploratum haberet, magna devotione auxilium S. P. N. JOANNIS de Matha invocavit, paritérque promiſit, ſe ſoboli naſcituræ nomen ejus indituram. Poſtulavit deindè imaginem aliquam hujus ſancti ſibi admoveri, qua poſtquàm contacta fuiſſet, citra ullam difficultatem venuſtum filiolum peperit.

Hôc periculô defuncta multò gravius incidit; ſecundinis enim, quas ejicere non poterat, ſtrangulata ad extrema pervenit. Equidem confeſſarius ejus triſti hôc nuntiô excitus promptè advolaverat, ſed cùm ad illam perveniſſet, nullum ampliùs vitæ ſignum in ea deprehendit, utpote quæ pulſu arteriæ, calore, omníque jam anhelitu deſtituebatur, adeóque à cunctis mortua reputabatur.

Circumſtantes tam lugubri ſpectaculô afflicti junctis precibûs opem S. P. N. JOANNIS de Matha implorârunt, flexiſque genibûs coram ejus imagine pro defunctæ reſuſcitatione orârunt. Duabûs circiter horis precibus inſtiterunt, aliáſque induſtrias adhibuerunt,

Digitized by Google

runt, ut certò cognoſcerent, utrùm puerpera verè expirâſſet. Sed quidquid illi agerent, nullum vitæ ſignum elicere potuerunt. Obſtetrix hoc caſu perculſa, &, neſcio tamen, an triſtitiæ magnitudine in rabiem acta, an verò ſuperiori quodam inſtinctu mota, ei ſecundinas tanto impetu, & violentiâ evulſit, ut etſi cætera incommoda abfuiſſent, ſola hæc furibunda actio ei vitam extorquere potuiſſet, ùt ipſa deindè ultrò confeſſa eſt. Nihilominùs res contra expectationem evenit; puerpera enim precibûs S. Patriarchæ noſtri adjuta, hâc violentiâ adeò læſa non fuit, ut ſtatim oculos aperiret, & jucundo vultu diceret: *S. JOANNES de Matha auxilietur mihi!* à quo momento tam ſana remanſit, ut nè in lecto quidem ſe continuerit, ſed protinùs exurgens domeſtica miniſteria obiverit, ac ſi ei nihil unquam grave, aut moleſtum accidiſſet. Omnes firmiter crediderunt, eam interceſſione S. JOANNIS de Matha reſuſcitatam fuiſſe, quod nec ipſa negavit, ſed, ut ſuo benefactori gratam ſe exhiberet, Eccleſiam noſtri Conventûs acceſſit, natúmque filiolum ex voto ſuo JOANNIS de Matha nomine inſignivit. Hoc prodigium in illo oppido celeberrimum habetur, nemինémque latet. Mihi ſanè plusquàm duodecim perſonæ idipſum teſtatæ ſunt.

Eugenia Sebaſtiani Nunnez (inquilinus hic erat oppidi Solanenſis) filia decimum ætatis annum agens, cœpit tam impotente febrium calore conflagrare, ut modico tempore ad mortis confinia perveniret. Pater ejus, qui peculiari affectu S. P. N. JOANNEM de Matha colebat, à quo pridem inſigne quoddam beneficium receperat, ùt inferiùs viſuri ſumus, cùm videret chariſſimam filiam ſuam mortis anguſtiis conflictari, non poterat non intimè commoveri. Ad cœleſte igitur ſubſidium converſus enixiſſimis precibûs Sanctum Patriarcham noſtrum deprecatus eſt pro incolumitate ſuæ filiæ, vovens, ſe ſolemnem Feſtivitatem cum Concione in ejus honorem adornaturum, ſi filiam ſanitate donaret. Præparatur intereà funebre induſium, aliáque ad inſtantem ſepulturam neceſſaria diſponuntur, dum ecce tibi! puella ſibi reſtituta tam incolumis apparuit, ac ſi nullô unquam malô tentata fuiſſet. Confidens proindè in ſuo lectulo juſſit patrem ſuum accerſiri, eíque magnâ modeſtiâ, & verborum emphaſî dixit, ſe poſt triduum morituram. Obſtupefactus genitor tam ſubitanea prolis ſuæ in melius mutatione nihil horum credidit, ſed Sanctum noſtrum pro vita filiæ tantò ferventiùs orare

**7. Puellæ cuidam felicem mortem impetrat Annô 1699.**

Uu per-

perrexit, ſpe fretus minimè dubia, puellam ob ejus preces diutiùs victuram: ſed falſus eſt; quamvis enim infirma hìs tribûs diebûs tam ſanîs viribûs uteretur, ac ſi nulla prorsùs ægritudine laboraret, illis tamen evolutis ingenti pace, ac tranquillitate mortua fuit.

Cohorruerunt parentes ad tam inexpectatum eventum: poſtmodùm tamen rebûs omnibûs ritè perpenſis mortem filiolæ in materiam gaudii converterunt, rati nimirùm, S. JOANNEM de Matha, quem invocaverant, filiæ mortem reveláſſe, atque adeò illi puellæ id à DEO ſuis precibûs impetráſſe, quod ejus animæ ſaluti magìs congruebat: Agnoverunt autem, hoc multò majus beneficium fuiſſe, quam ſi puella convaluiſſet, cùm hac ratione ejus ſalus æterna in tuto collocata ſit. His illi cogitationibûs dolorem de obitu filiæ conceptum mitigârunt, & Sancto Patriarchæ noſtro gratias egerunt.

8. *Infantem quendam à morte præſervat. Annô 1699.*

Eugenius de Herra, incola pagi Tembleque, filium habuit ejusdem ſecum nominis, in cunis quidem adhuc vagientem, ſed tot infirmitatibûs obſeſſum, ut ad mortis oſtia demùm appropinquaverit. Pater ejus, quem prolis ſuæ ægritudo dirè hucusque torſerat, cùm eam jam in agonia conſtitutam videret, ad parochialem Eccleſiam cucurrit, in qua eòdem annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô nonô, viſendi operis altare in honorem noſtri Sancti extructum fuerat. Hìc ille ardentiſſimis, quas paternus affectus ſuggerebat, precibûs Sanctum JOANNEM de Matha pro ſanitate agonizantis filii ſui deprecatus eſt, neque fruſtrà; mox enim poſtquàm domui ſuæ pedem intuliſſet, puſionem, quem ad Eccleſiam convolans in extremis reliquerat, ſanum, & incolumem invenit, didicitque, infantem eâdem horâ revixiſſe, quâ ipſe ad Sanctum noſtrum preces ſuas effuderat.

Joann. 4. *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit JESUS: filius tuus vivit.*

Nónne hoc ipſum eſt, quod in Evangelio de filio cujusdam reguli legimus: *Incipiebat enim mori*; in articulo mortis regia illa proles erat conſtituta, quando pater ejus Divinum Archiatrum pro ipſius ſalute obſecraverat, qui domum reverſus à ſuis familiaribus lætus audivit, filium ſuum eâdem horâ ſanitatem recuperâſſe. Sed ad Eugenium noſtrum revertamur, qui ut ſe S. JOANNI de Matha gratum exhiberet, depictum filium ſuum ad perpetuandam rei geſtæ memoriam in tholis prædicti altaris ſuſpendit.

Prodigioſi panes S. JOANNIS de Matha.

Eo tempore, quô S. Patriarcha noſter in hoc mundo vivebat, plurimis infirmis ſanitatem largiri conſuevit porrectô panis, à ſe benedicti, fragmentô, quemadmodùm in ejus vita retulimus. In-

Ingenioſa igitur fidelium devotio effecit, ut parvuli panes, S. JOANNIS de Matha nomine inſigniti, pinſerentur, & ſub invocatione hujus Sancti benedicerentur, quatenùs omnes ad manum haberent cœleſte quoddam pharmacum, quô in ſuis infirmitatibus uterentur, ſicut alibi Chriſtianus populus panes S. Nicolai Tolentini adhibere ſolet.

9. Devotum quendam à paſſione Iliaca liberat Anno 1699.

Admirabiles autem ſunt effectus, quos Divina Majeſtas hujus panis operâ in ægrotis produxit, quorum etſi benè longum catalogum texere valerem, impræſentiarum tamen, ut lectoris faſtidio occurram, paucos duntaxat referam. Paulus à Pozo Sacerdos fuit ſpectatæ vitæ in oppido Solanenſi, qui dolore Iliaco (*) correptus diem, noctémque inter perpetuos clamores, ac vociferationes exegit. Remediis omnibûs nihil proficientibûs ad extremum ei fragmen talis panis benedicti oblatum fuit, quod ille mox viva fide manducavit, deſideratúmque effectum retulit; confeſtim ſiquidem abſque alterius medicinæ uſu malum omne ab eo receſſit, & ipſe integrè ſanus evaſit.

(*) Dolor Iliacus eſt omni cholicâ gravior, & acerbior, ex quo plerumque infirmitas, *Miſerere* dicta, oriri ſolet.

10. Et mulierem quandam eôdem annô.

Eôdem remediô uſa fuit Domina Anna Canuto, ſupradicti oppidi incola, quæ eôdem malô conflictabatur. Hæc infirmitatis anguſtiis obſeſſa petiit eundem panem, quô comesô illicò convaluit, quia dolor, quaſi virtutem hujus Sancti metueret, ſtatim ab ea aufugit, quin devexa ætas (octogeſimum enim annum jam agebat) naturale cæteroquin infirmitatum diverſorium, humanis remediis quaſi inacceſſum, ei minimum impedimentum opponeret. Ambo itáque Divo ſoſpitatori ſuo eodem tempore gratias perſolverunt, quia ambo eodem tempore idem beneficium perceperunt.

11. Moribundum reſtituit, Annô 1701.

Infans quidam duorum annorum, nomine Joannes, filius Alphonſi Canon, incolæ Covachuelarum Toleti longo tempore calidis febribûs æſtuaverat, temporíſque progreſſu malum adeò excreverat, ut infantulus totô decem dierum intervallô alimentum nullum admiſerit: cujus ſtatu explorato medicus, qui eum me præſente viſitaverat, diſertè affirmavit, eum illa adhuc nocte moriturum. Perſuaſi idcircò Parentibus, ut eum Sancto Patriarchæ noſtro devoverent, quô factô parvum panem hujus Sancti nomine benedictum deprompſi, eúmque ægrienti puello detuli, qui eum non minori aviditate arripuit, ac ſi intellectu polleret, cœpitque extemplò inermibûs gingivis eum rodere, donec eum totum comediſſet. Duo hìc prodigia obſervari merentur, primum eſt, quòd talis infans panem adeò durum, & ante ſeſquiannum piſtum comminuere, ínque ſto-

machum trajicere potuerit: ſecundum eſt, quòd eodem temporis momentô febris ab eo diſceſſerit, alteráque die non ſinè ſtupore medici, & omnium intuentium in platea ambulare, & cum aliis infantibus luſitare potuerit, qui pridiè in agonia jacuerat.

12. Alteri moribundo ſuccurrit Annô 1699.

Oppidi Solanenſis aliquoties mentionem jam fecimus, quod tamen novam ſemper ſcribendi materiam nobis ſuppeditat. Petrus de Griba in hoc loco à Medicis jam conclamatus decumbebat. Cauſam infirmitati dederat rebellis ſtomachus, qui omnium pharmacorum virtutem pertinaciter hactenùs eluſerat. Medicus originem hujus mali calculo, & arenæ tribuebat. Accitus ego, qui ægroti confeſſionem audirem, eúmque ad ſanctam mortem diſponerem, promptè comparui, ſuaſíque infirmo, ut ſeſe meo glorioſo Patriarchæ S. JOANNI de Matha commendaret, & per ejus merita ſanitatem à DEO poſtularet. Non me latebat, infirmitatem à ſtomacho prodiiſſe: obtuli proindè illi ſimilem panem benedictum, quem ille magna devotione manducavit, atque hôc ſolô eſu id eſt conſecutus, quod nullâ hactenùs medicinâ conſequi potuerat; protinùs enim ad vomitum ſe urgeri ſenſit, ejecitque noxiam illam materiam, quæ ſibi totius ægritudinis cauſa extiterat. Hôc factô febris evanuit, clinicúſque ſequenti die, quô juxta medici opinionem ad ſepulchrum efferri debuiſſet, ſanus, & incolumis Eccleſiam mei Conventûs acceſſit, ut pro tam ſingulari favore Sancto Patriarchæ noſtro debitas gratias rependeret.

13. Febres malignas pellit. Annô 1701.

Alphonſus Bermejo vicinus villæ de Cienpoçuleos acutiſſimis febribûs torrebatur. A medicis depoſitus meo conſilio acquievit, & quantò poterat meliorî modô ſe ſancto JOANNI de Matha commendavit. Accepit deindè à manu mea panem benedictum, cujus comeſtionem ſubſecutus eſt vehementior alvi profluxus, quô egeſſit, quidquid pernicioſum in corpore ſuo habuerat. Febris proindè pabulô ſuô deſtituta ultrò diſceſſit: Infirmus autem perfectè convaluit, & ab eo tempore in honorem mei ſancti Patriarchæ certum orationis penſum quotidie perſolvit.

14. Simile beneficium. Annô 1701.

Non mitiùs febrilis ardor in Hieronymum Alonſo vicinum itidem præfatæ villæ graſſatus fuerat. Hic duplici febre oppreſſus ad confinia mortis pervenerat. Aderam ego, cùm ultimis Sacramentis ad ineundum æternitatis iter muniretur. Conſului ei, ut opem S. JOANNIS de Matha imploraret, ac pane benedicto veſceretur. Paruit ille tam felici ſucceſſu, ut febris protinùs talaria in-

induerit, nec ampliùs ad eum redire præſumpſerit, qui recuperatis deindè viribûs tertia die ſoſpes, & valens de lecto ſurrexit.

Audivi præterea multos alios prodigioſos favores, quos ſanctus noſter ſupplicibus ſuis hujus benedicti panis operâ in diverſis provinciis, & civitatibus contulit, ubi devotio hujus panis uſum introduxit, ſed quia ſufficientem eorum notitiam nactus non fui, illos ſilentiô prætereo, unum duntaxat ſuperaddidiſſe contentus, quem teſtibûs legitimè confirmatum accepi, & ità ſe habet.

Toleti in Parthenone S. Annæ multæ Religioſæ Virgines ineunte vere anni milleſimi, ſeptingenteſimi primi variis languoribûs oppreſſæ fuerunt, quarum aliquæ infirmitatum rabie vehementiùs exagitatæ perceptis Eccleſiæ Sacramentis certum ex hac vita mortali tranſitum expectabant. Obtulit ſe mihi tunc occaſio in notitiam ægrotarum Monialium prodigia illa perferendi, quæ Sanctus Pater meus pro ſalute infirmorum in diverſis locis operatus eſt. Hôc illæ nunciô erectæ ad interceſſionem hujus ſancti confugerunt, ejúſque imaginem, & panes benedictos à me poſtulârunt. Quæ cùm eis prolixè ſuppeditâſſem, illæ hâc cœleſti medicinâ tam ſecundo eventu uſæ fuerunt, ut nulla earum morti in prædam ceſſerit, ſed omnes intra paucos dies convaluerint, non tamen ſimul, ſed ſucceſſivè, una nimirùm poſt alteram, nec dubitare licet, celeriorem, aut tardiorem ſanitatis recuperationem minori aut majori fidei commenſam fuiſſe. Omnes porrò conſonis vocibûs non ſolùm ſancto noſtro, ſed etiam mihi, qui eis hoc ſalutare conſilium ſuggeſſeram, devinctiſſimas gratias egerunt, mihique mandârunt, ut aliquot ſacrificia in honorem glorioſiſſimi Patriarchæ mei celebrarem, cui illæ impoſterùm gratiſſimæ permanſerunt. 15. Moniales quasdam ſanat, Annô 1701.

Hoc felici ſucceſſu inflammatæ Virgines illæ Religioſæ continere ſe minimè poterant, quin alios ejuſdem gratiæ participes redderent. Undè cùm in vicinia hujus Parthenonis quiſpiam malignis febribûs ardere cœpiſſet, ei confeſtim hunc panem benedictum tranſmiſerunt. Lætus hôc donô infirmus magna devotione panem comedit, qui ei ſanitatem è veſtigio reformavit; ab illo ſiquidem tempore febris diſceſſit, & ægrotus recuperatis viribûs paulò pòſt lectum ſuum reliquit, ut ſupradictæ Moniales mihi ſanctè aſſeveraverunt. 16. Profligat calidas febres, Annô 1701.

Emmanuel Aguado accola Cienpozuelanus multis menſibûs quartanæ febris tyrannide vexabatur. Huic nonnullorum pietas conſuluit, ut opem S. JOANNIS de Matha (cujus imago debita 17. Quartanam extirpat, Annô 1705.



Digitized by Google

veneratione in illo oppido colitur) imploraret, & benedicti panis fragmine veſceretur. Utrumque magna pietate præſtitit eô prorsùs tempore, quô ſe novô paroxysmô tentatum animadvertit. Sed pharmaceutici hujus boli virtus febris rabiem ſedavit, neque eam diutiùs graſſari permiſit, morbo confeſtim abeunte, neque unquam deinceps redire ausô.

Pro coronide hujus capitis referam ſtupendum quoddam prodigium, ceu fructum admirabilem, quem menſe Auguſti annô milleſimô, ſeptingenteſimô, quartô, collegit devotio P. F. Joannis à S. Joſepho, viri in hac urbe Toletana notiſſimi, utpote filii legitimi Domini Simonis Zapatæ, & proximi conſanguinei moderni Epiſcopi Zamorenſis. Religioſus iſte Pater pro ingenti, quô flagrabat, animarum Zelô occupaverat ſeſe in exorciſmis cujusdam energumenæ mulieris. Accidit aliquando, ut ſtygius inquilinus ſacrorum verborum virtute irritatus acriùs ſolitô excandeſceret, & in mea præſentia per os obſeſſæ mulieris juraret, ſe gravem vindictam de illata violentia ſumpturum. Verùm pius ille Religioſus tamquàm bonus Eccleſiæ miniſter omnes diaboli minas súsque déque habuit: Diabolus tamen hoc contemptu magìs exacerbatus ſequentem ſtropham concinnavit.

II. Defendit vitam cujusdam Religioſi noſtri. Annô 1704.

In vigilia magni Eccleſiæ Doctoris S. Auguſtini horâ quintâ à meridie tam terribilem tempeſtatem excitavit, ut cœlum è ſuis cardinibus motum ruiturum putaretur; tonitrua enim tam ſævo fragore ſtrepebant, fulgetra tam frequenter minaci ſuo lumine homines terrebant, nubes tam denſam grandinem evomebant, ut quisque ſibi perſuaderet, ultimum ſe vitæ diem jam attigiſſe. In hac communi conſternatione Religioſi noſtri ad templum tamquàm unicum aſylum ſuum confugerunt, & ardentiſſimis precibûs Divinam Miſericordiam implorârunt. Aderat reliquos inter prædictus P. Joannes, qui nihil minùs ſuſpicabatur, quàm in ſuum caput hanc fabam à diabolo procuſam fuiſſe. Tempeſtas totô duarum horarum ſpatiô nihil remiſſo furore bacchabatur, ſub cujus temporis decurſu tria fulmina in noſtram Eccleſiam penetrârunt, nec parvum damnum ediderunt. Unum eorum templum pervagando quæſivit, & invenit præfatum Religioſum, qui periculi magnitudinem agnoſcens ſe commendavit ſuo Patriarchæ S. JOANNI de Matha, quem præcipua devotione colebat, & cujus imaginem penes ſe tunc habebat. Hæc devotio ei vitam conſervavit. Exponam qualiter fulmen in eum ſævierit; ut lector hoc prodigium magis admiretur. Primo im-

Digitized by Google

impetu pectus ejus infeſtavit, liquefecit deindè claves, quas in cingulo geſtaverat, duabúſque fiſſuris habitum, ſeu veſtem Religioſam perrumpens pectus illius aduſſit & ad inferiora deſcendens femoralia, & reliqua ferè cuncta indumenta ejus incendit, totúmque corpus à ſummo usque ad imum percurrens veluti atrô quôdam ſulcô notatum reliquit, tantóque timore pium illum virum replevit, ut ſenſibûs exteriùs deſtitutus jaceret, quamvìs interiùs tantum intellectûs retinuerit, ut ſemper in invocatione ſui glorioſi Patriarchæ perſeveraverit.

Optimè diabolo res proceſſiſſet, niſi ei negotium cum meo Sancto fuiſſet, ſed quia huic incumbebat vitam ſui devoti filii conſervare, diaboli vires haud difficulter ſua virtute eliſit; quamvìs enim alii ſolo tonitruorum fragore interdum exanimentur, ſanctus tamen Pater noſter vitam hujus Religioſi conſervavit, effecítque, ut is, quem nemo inſtantem noctem ſuperviƈturum credebat, altera luce ab illato terrore integrè reſpiraret, & poſt duos dies tam valens, & incolumis prodiret, ac ſi nihil ſimile ipſi contigiſſet. Quamobrem ut ſe pro tanto beneficio gratum exhiberet, perceptum hunc favorem ſæpiùs in ſuis concionibus enarravit, & hominum corda ad venerationem S. JOANNIS de Matha excitavit, cujus exhortationem Auditores ejus non ſinè magna utilitate ſua amplexi fuerunt.

# CAPUT II.

## *De aliis prodigiis à S. JOANNE de Matha patratis.*

MAxima hujus Sancti virtus elucet in profligando morbo Iliaco. Undè quàm plurimi hoc tenaci dolore afflicti ad opem hujus glorioſi Sancti confugerunt, omnésque ejus interceſſione ab hoc diro malo liberati fuerunt. Tam explorata beneficentia facit, ut plures quotidiè ejus patrocinium expetant, nec eſt, qui ſe deſideriô ſuô fruſtratum queratur. Id ſanè prolixè teſtantur ſequentes eventus, præter eos, quos ſuperiùs jam adduxi, & alios plurimos, quos brevitatis ſtudiô ſilentiô prætereo.

Emmanuel Barrera incola Solanenſis terribili hoc dolore conſtrictus omnes medicinas adhibuit, quas in aliis occaſionibus adverſùs 19. Sanat quemdam infir-

mum à dolore iliaco. Annô 1698.

ſùs hoc malum ſalutares eſſe comprobaverat. Hac tamen vice nè minimum levamen ab eis reportavit. Incredibilibûs itáque anguſtiis obſeſſus, cùm totís viginti quatuor horís hoc dolore torqueretur, vitam jam deſperaverat. Superveniens autem quidam Religioſus mei Ordinis eum monuit, ut interceſſionem S. P. N. JOANNIS de Matha invocaret: fecit ille, quod edoctus fuerat, & imaginem hujus Sancti, quam ego ei transmiſeram, laboranti corpori admovit, atque hôc remediô dolores omnes fugavit. Altera die ad templum noſtri cœnobii conceſſit, ibidémque quatuor Sacrificia in altari hujus Sancti fieri curavit, ac prætereà quotidiana devotione ſuum benefactorem arctiùs ſibi demereri ſtuduit. Quis crederet? Vir iſte, qui priùs familiari hôc malô frequentiſſimè vexabatur, nihil deinceps moleſtiæ ab illo pertulit.

20\. Alium infirmum ab eodem malo abſolvit. Annô 1699.

In regio quodam pago vivebat Licentiatus Joannes Munoz, Commiſſarius Sacri Officii, & peculiaris benefactor Trinitariorum Excalceatorum. Laborabat ille eôdem morbô, cujus ſævos aculeos aliquoties jam expertus fuerat. Accidit aliquando, ut hoc malô gravatus à quodam noſtrorum Religioſorum viſitaretur, qui illi perſuaſit, ut patrocinium S. JOANNIS de Matha imploraret. Neque pigrum ſe in hoc præſtitit bonus Sacerdos, ſed devotís precibûs ad noſtrum Sanctum converſus ejus imagine corpus ſuum tetigit. Et ô rem miram! Vix ille hoc fecerat, dum protinùs ingentem vim lotii egeſſit, ſimúlque perfectam ſanitatem recuperavit. In recognitionem accepti beneficii petiit imaginem hujus Sancti, cujus jugi conſpectu ſuam devotionem magìs acueret, quam ei transmiſi, qui impoſterùm nunquam ampliùs hujus mali ſævitiem ſenſit.

21\. Simili beneficiô alterum impertitur. Annô 1700.

Jacobus de Ortega inquilinus Solanenſis ſimili dolore tam vehementer impetitus fuit, ut totam noctem inter perpetuos ejulatus tranſigeret. Non deſtituebatur ille naturalibûs remediis (erat ſiquidem officiô pharmacopola) ſed hæc ei níl niſi doloris augmentum conciliabant. Illuceſcente die juſſit corpori ſuo imaginem S. JOANNIS de Matha admoveri, quô factô dolor omnis evanuit. Surrexit itáque, &, ut ſuam gratitudinem teſtaretur, quotidianô orationis pensô Sanctum noſtrum religiosè coluit, qua devotione per omnem reliquam vitam ſuam hujus mali crudelitatem à ſuo corpore arcuit.

Plures hujus ſortis repentinas curationes à S. P. N. JOANNE de Matha factas adducit P. Fr. Melchior à SPIRITU SANCTO,

quas

Digitized by Google

quas ego tamen, nè æquô prolixior evadam, referre ſuperſedeo.

Cæterùm, qui ſupplices ſuos, ùt hactenùs vidimus, tam promptè ab hujus infirmitatis moleſtiis liberat, incredulos, & obtrectatores eôdem malô ſeveriſſimè punit, ùt mox ſumus viſuri. Referam autem duo duntaxat cœleſtis vindictæ exempla, delictorum qualitati commenſa, ut dicaculi, & ſuperbi Sanctorum contemptores diſcant linguæ frenum ponere, & ex alieno periculo ſapere.

Annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô ſeptimô erigebatur magno Patriarchæ noſtro S. JOANNI de Matha altare in parochiali Eccleſia Cuerbæ, oppidi in montibus Toletanis ſiti, ut ejus imago in illo collocaretur. Huic populi devotioni cœpit adverſari Eccleſiaſtica quædam perſona dicti loci, cujus authoritas ibi in utrámque partem plurimùm valebat. Fulciebat vir ille oppoſitionem ſuam argumentis ex logica iracundiæ, & incrudelitatis deſumptis, quærebátque omnibûs modis prodigia hujus Sancti enervare. Litigioſa contradictio hominis iſtius eoùsque jam proceſſerat, ut intermiſſa fuiſſet collocatio imaginis, niſi idem Sanctus difficultatem complanâſſet; nam poſtquàm hæc perſona obtrectando ſatur in lectum conceſſiſſet, Sanctus noſter ejus dicacitatem morbô Iliacô punivit, quô ſequentibûs quatuor diebûs infenſiſſimè afflicta fuit. Equidem homo ille huic malo pellendo omnia remedia adhibuerat, quæ medicina humana excogitavit, dolor tamen nihil remittebat, ſed tamquàm novò pabulô vires auxiſſet, acriùs in miſerum ſæviit, donec ille tandem oculos aperuiſſet, & in ſe reverſus culpam ſuam agnoviſſet. Videns itáque ſe pœnas obtrectationis prioris dare, Sanctum noſtrum humillimis precibûs exoravit, ut ſe à tam acutis doloribus liberaret, pollicitus, ſe pro viribus operam daturum, ut ejus cultus, & veneratio majoribûs incrementis effloreſcat. Hoc votô nuncupatô infirmitas extemplò diſceſſit, ille verò à tam ingrato hoſpite liberatus ſtetit egregiè promiſſis ſuis; propriis námque expenſis altaris ſtructuram promovit, ac prætereà effecit, ut ſingulis imposterùm annis feſtum noſtri glorioſi Patriarchæ ſolemni ritu celebraretur, in quem finem devotus aliquis ſtabilem cenſum aſſignavit.

22. Punitur, qui Sancti hujus cultui adverſatur. Annô 1697.

In eadem occaſione juvenis quidam ex illo oppido oriundus non mitiùs luit verborum temeritatem. Exoticum ei videbatur, S. JOANNEM de Matha in Parochiali Eccleſia hujus loci aræ imponi, qui cùm generis claritate cæteros antecelleret, obligationem ſibi

23. Simile cœleſtis vindictæ exemplum. Annô 1697.

 impo-

impoſitam credidit huic novitati adverſandi, & plebis pietati intercedendi. Neque ſegniùs, quàm cogitaverat, fecit; linguam enim in contemptum noſtri ſancti laxavit, & prodigia in pellendo morbo Iliaco ab eo patrata contemptibiliter traduxit. Plùs ille locutus fuerat, quàm debuiſſet, minimè tamen impunè; eadem enim nocte ſæviſſimus dolor hujus infirmitatis, cujus nullum adhuc experimentum fecerat, eum invaſit, tantóque furore dicacem juvenem torſit, ut is ſupremam ſibi vitæ horam adveniſſe ratus ſacramentali confeſſione ad inſtantem mortem ſe diſponeret. Dedit itáque vexatio intellectum, quem proſperitas abſtulerat, cúmque ſe tam atroci cruciatu obſeſſum cerneret, agnovit, eum in pœnam intemperantis linguæ à DEO ſibi immiſſum fuiſſe. Cordicitus itáque compunctus veniam petiit à noſtro ſancto, ejúſque auxilium ſuppliciter imploravit, cujus etiam miſericordiâ ſtatim liberatus fuit. Recuperata verò ſanitate ſtudia in contrariam partem vertit, & ſeſe totum cultui hujus ſancti dedicavit, ejúſque honorem, ac venerationem quibuscúnque poterat modis, promovere conatus eſt.

Devotio erga Sanctum Patriarcham noſtrum in illo oppido Cuerbenſi magna deindè incrementa accepit, cui potiſſimùm obſtetricatus eſt ſplendor altaris, & Feſtivitatis, quæ in ejus honorem quotannìs ibi celebratur: omnes proindè indigenæ hujus loci ad ejus protectionem confugiunt, & paratiſſimum ſemper in ſuis neceſſitatibus ſubſidium inveniunt.

24. Sanat infirmum quendam ab affectione Iliaca. Annô 1698.

Id ſanè propriâ experientiâ teſtatur Ludovicus Corral, dicti oppidi inquilinus, qui, cùm duobûs diebûs tam pertinacibûs iliorum doloribûs conflictaretur, ut nulli humano pharmaco cederent, ſe ad patrocinium noſtri ſancti convertit, & pretioſam ſindonem pro ejus altaris tegmine ſe oblaturum promiſit. Factô hôc votô confeſtim dolor omnis ab eo diſceſſit, ipſe verò promiſſum ſuum fideliter implevit. Cúmque priùs etiam urinæ difficultate laborâſſet, meatibûs calculô, & arenâ impeditis poſteà citra ullum dolorem plures lapillos ejecit, undè in ſignum ſuæ gratitudinis, quoad vixit, ſancto noſtro devotiſſimus permanſit.

25. Veneni vires enervat. Annô 1705.

Chriſtophorus Martin incola Covachuelarum de Toledo, cùm annô milleſimô, ſeptingenteſimô, quintô, in campo dormiret, venenata aranea eum in palpebris unius oculi momordit. Intumuit actutùm facies illius in modum prægrandis amphoræ, venenô per fibras latè ſe diffundente, & in perniciem ejus graſſante. Pauci omninò inventi ſunt, qui efficaci aliquô antidotô toxicum à corpore

re eliminâſſent. Ipſe ego meis oculis vidi hominem aliquem ſimili morſu infectum nullô humanô remediô adjuvari potuiſſe, ſed inter ſummos dolores mortuum fuiſſe. Ad eundem planè modum ſupradictus Chriſtophorus veneni violentiâ paulò pòſt ad limina mortis pervenit, quin ei pharmacum aliquod (plura námque ſumpſerat) quidquam opis contuliſſet. Parentes itáque illius, homines ætate provecti, amaris lacrymis deplorabant inſtantem mortem ſui filii, à cujus induſtria, & labore victus eorum pendebat.

Lugubri huic ſpectaculo reliquos inter ego quóque interſui, qui oblata opportunitate adhortatus ſum moribundum, ut patrocinium S. JOANNIS de Matha expeteret, atque in hunc finem dedi ei imaginem hujus Sancti, quam ille ferventer amplexus protinùs lenimen ſui doloris perſenſit; ille enim, qui duorum dierum intervallô nullam quietem capere poterat, hujus ſacræ imaginis attactu placidè ſtatim conquievit. Hoc beneficium perfecta ſanitas paulò pòſt eſt conſecuta; cœpit námque ex vulnerato oculo tantam vim noxii humoris diſtillare, ut procul dubio totum venenum per hunc canalem effuderit. Sequenti die tumor omnis à facie illius diſceſſit, quô factô absque ullâ aliâ medicinâ ſe ſanum, & incolumem expertus eſt.

Non minorì prodigiô favit Sanctus Pater noſter Dominæ Mariæ Izquierdo, conjugi Domini Petri Sanchez Centurionis, qui eo tempore Toleti habitabat. Hanc annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô nonô febris maligna tanta rabie invaſit, ut Medici ejus ſalutem prorsùs deſperaverint, adeò, ut mihi unus eorum, qui dictæ Dominæ curam gerebant, disertè affirmaverit, infirmam illam absque ullo remedio morituram. Equidem pia fœmina ſub initio ſtatim ægritudinis ſuæ diverſis Sanctis ſe commendaverat, eorúmque reliquias ſibi adferri juſſerat, caſſo tamen eventu, cùm infirmitas non ſolùm nihil remitteret, verùm etiam ſingulis horis magis accreſceret. Monui illam tandem, ut toto mentis affectu opem S. JOANNIS de Matha imploraret, in quem etiam finem ei iconem quandam Sancti Patriarchæ noſtri reliqui, cui DEUS hunc triumphum de tam exitiali malo reſervare voluiſſe videtur; vix enim illa ad interceſſionem hujus Sancti confugerat, dum eadem adhuc nocte cœpit meliùs habere, ſensimque vires recuperando brevì ad eum ſtatum pervenit, ut intra paucos dies ſtupentibûs Medicis perfectè convaluerit, omnibûs hunc inexpectatum eventum manifeſto prodigio attribuentibûs.

26. Febres malignas extinguit. Annô 1699.

 Plu-

Digitized by Google

Plurima alia hujus generis beneficia clementiſſimus DEUS propter merita fidelis ſervi ſui S. JOANNIS de Matha mortalibus præſtitit, quæ tamen ob rationem ſuperiùs adductam ſingillatim recenſere nolui; meum námque calamum alia nunc prodigia vocant, è quibus clareſcet, quàm benignè Sanctus noſter peregrinantibus, tam in mari, quàm in terra ſuccurrere ſoleat, ut agnoſcamus, ejus pietatem ad omnia calamitatum genera ſe extendere.

27. Peregrinantes quosdam Religioſos à præcipitio præſervat. Annô 1657.

R. P. F. Leander à SSS. Sacramento ( vir ob multos, & exquiſitos libros ſuos, quibûs Theologiam moralem illuſtravit, in toto literario orbe celeberrimus ) cùm ſupremum Magiſtratum ſacri Ordinis noſtri gereret, & per montes Quadramæ iter faceret, ingruente nocte præoccupatus deſtinatum hoſpitium attingere non potuit. Hyems erat, nubilúmque cœlum denſo nivium vellere terras tegebat, quas ventus in diverſas partes disjiciens viam omnem adeò abſconderat, ut, quò ſe pius ille vir verteret, prorsùs ignoraret; ſi enim in eodem loco ſubſiſteret, frigore ſibi, cum ſociis pereundum erat. Si iter ulteriùs proſequeretur, vereri debebat, nè per obvias ubivis rupinas in præcipitium rueret. In hoc adeò magno diſcrimine omnes tamquàm boni filii ad implorandam opem ſui Sancti Patris JOANNIS de Matha ſe converterunt, ejúsque imagine, quam ſecum habebant, in medium prolata ardentiſſimis precibûs auxilium ab eo poſtulaverunt, quod etiam eôdem adhuc momentò obtinuerunt; emicabat námque ex illa icone coruſcus lucis fulgor, qui eos tamdiu præcedebat, ut quondam ſtella Magos, donec in viam planam, & omnis periculi expertem perveniſſent.

Hunc eventum refert V. P. Alphonſus de Andrade celeberrimæ Societatis JESU Sacerdos in ſuis Patriarchis Trinitariis cap. 20. Ego verò hunc à ſenibus S. Ordinis noſtri Religioſis accepi, qui eo tempore vixerunt, quando hoc prodigium contigit.

28. Succurrit ſuo cultori in via. Annô 1668.

Quidam Mercator, Sancto Patri noſtro valdè devotus, cujus tamen nomen nondum reſcire potui, Illerdâ Barcinonem perrexit, ut negotia ſua tranſigeret. Vix ille paucas leucas in hoc itinere promoverat, dum à latronibus obſervatus fuit, qui extemporanea reſolutione decreverunt ei inter aſperi cujusdam montis anguſtias inſidiari, illúmque in ſuos caſſes pertractum pecuniâ, & vitâ ſpoliare, ſicuti pluribus aliis jam fecerant. Non ignorabat periculum ſuum bonus ille mercator ( locus enim diuturnò prædonum latibulô infamis peſſimè ubique audiebat ) undè etiam magna ſolicitudine procedebat; nam cùm locus iſte cunctis viatoribus eſſet pericu-

Digitized by Google

riculoſus, multò tamen majorem timendi rationem ei afferebat, qui ſecum portabat, quod cuſtoditum voluiſſet. Ad ſuum itáque Patronum S. JOANNEM de Matha animum erexit, eique iter ſuum impensè commendavit. Neque fruſtrà; ſubitò enim, & præter expectationem vidit Religioſum quendam Trinitarium ſuo lateri adhærentem, cujus aſpectu mirificè exhilaratus fuit. Ignotus iſte Religioſus cœpit pios ſermones ſerere, quos mercator patulis auribùs excepit: quamvis autem intentìs oculis eum non ſemel aſpexerit, nunquàm tamen faciem ejus perfectè dignoſcere potuit, utpote qui mox juvenilem, mox verò ſenilem formam præſeferebat. Ille tamen verbis ejus recreatus maximô gaudiô iter ſuum continuavit, ad inſtar illorum duorum diſcipulorum, qui in ſocietate Regis cœleſtis quondam Emauntem profecti fuerunt. Tandem poſt longa colloquia Religioſus ille mercatori valedixit, aliámque viam ingreſſus ab eo diſceſſit, qui tunc demùm agnovit, ſe periculoſum illum locum, quin tamen id animadvertiſſet, pridem tranſiviſſe, & inſidias latronum, quas timuerat, feliciter evaſiſſe. Reliquum deindè iter feliciter abſolvit, ſed cùm reverſus fuiſſet, intellexit periculi magnitudinem, quod ſuperaverat, poſtquàm vidit, ſe ab omnibus tamquàm mortuum deplorari. Tunc itáque agnovit, perſonatum illum Religioſum fuiſſe S. JOANNEM de Matha, qui eum ab imminente periculo tam benignè præſervaverat. Undè etiam Illerdam delatus confeſtim ad Eccleſiam cucurrit, ut ſuo liberatori debitas gratias perſolveret. Deindè verò pro gloria ejusdem Sancti hunc eventum ſuum ubique narravit.

Illuſtriſſimus Dominus Don Frater Martinus de Villanova decus noſtræ Religionis Trinitariæ, totiúsque Hiſpaniæ, quam rarâ ſuâ, & reconditâ ſapientiâ illuſtravit, poſtquàm univerſali Doctorum omnium approbatione radios ſuæ ſapientiæ in illo celeberrimo Complutenſi Athenæo diu evibrâſſet, electus tandem fuit Epiſcopus Cajetanus in Regno Neapolitano circa annum reparatæ ſalutis milleſimum, ſexcenteſimum, ſeptuageſimum. Cùm itáque ex Hiſpania in Italiam trajiceret, & ad ſedem ſuam Epiſcopalem maritimo itinere contenderet, emerſit ſubitò tempeſtas adeò horrenda, ut vectores omnes conſternati ſacramentali confeſſione animas duntaxat ſalvare conarentur, qui de corporibus ſpem jam abjecerant. In hoc decumano periculo recurrit Illuſtriſſimus Epiſcopus ad auxilium ſui Sancti Patris JOANNIS de Matha. Dies erat ſeptima Februarii, quæ Feſtivitatem hujus Sancti præcedit. Undè Epiſcopus ad ſocium ſuum con-

29. A naufragio, & incendio clientes ſuos liberat. Annô 1670.

 ver-

Digitized by Google

verſùs oremus, ait, Matutinum craſtinæ diei, & confidamus, Sanctum Patriarcham nobis ſubventurum. Et ô mirabilem DEI bonitatem! vix illi labia ad orationem diduxerant, dum furor omnis irati æquoris penitùs conquievit, & ſedata tempeſtate deſiderata tranquillitas redivit.

Majus tamen nunc ſequitur prodigium; nam cùm tempeſtas deſiiſſet, nubes ignitum fulmen in navem detorſerunt, quod ſupra cadum nitrati pulveris decidit. Sed interveniente protectione noſtri Sancti factum eſt, ut fulmen papyrum, quâ pulvis nitratus tegebatur, penetrare nequiverit. Quô factô altiſſimus DEUS oſtendere voluit, quàm pretioſa in ſuis oculis Divinis ſint merita S. JOANNIS de Matha, ob cujus interceſſionem navis iſta naufragii, & incendii periculum evaſit.

Epiſcopus tot beneficiis devinctus, ut ſe Sancto ſuo Patriarchæ gratum monſtraret, impetravit à Sede Apoſtolica, ut in tota Cajetana Diœceſi officium de hoc Sancto recitaretur. Neque hìc ſtetit devotio ejus, ſed ulteriùs progreſſa fundavit collegium quoddam in dicta civitate ſub patrocinio S. JOANNIS de Matha: poſteà verò ad Epiſcopatum Rijolenſem promotus etiam in hac Diœceſi cultum noſtri glorioſi Patriarchæ propagavit.

30. Protegit quendam viatorem in mari, & in terra. Annò 1699.

Huic propoſito valdè conforme eſt, quod Raymundo de Ortega civi Solanenſi contigit. Decreverat ille, negotiis ſuis compulſus, ad portum S. Mariæ proficiſci. Conſului ei, ut in Patronum ſui itineris S. JOANNEM de Matha adſciſceret, quod etiam fecit, ſecúmque in viam imaginem hujus Sancti accepit, nec pœnitendo ſucceſſu; feliciter enim ad dictum locum delatus pecuniam illam, cujus recipiendæ ſpem nullam habebat, in primo ſtatim hujus oppidi ingreſſu obtinuit. Atque hic fuit primus fructus ejus Devotionis.

Sed cùm neceſſitas poſtularet, ut Gades navigaret, quatenùs ſua negotia ad calcem perduceret, dubia æquoris fides tentanda erat. Cæterùm cùm mare eo tempore ferociret, procelloſisque fluctibûs ſuis præſentiſſimum omnibus exitium minaretur, res erat plena periculi, furibundo elemento caput ſuum committere. Auxit timorem, cùm videret, actuariolum, quod paulò antè in ejus conſpectu è portu ſolverat, vorticibûs abſorptum, omnéſque vectores ſubmerſos fuiſſe. Undè homines nauticæ artis periti eum majorem in modum ſunt obteſtati, nè ſimili diſcrimini ſe exponeret. Cæterùm in hoc Raymundo plùs potuit viva fides, & fiducia de ſuo Sancto Patro-

Digitized by Google

trono concepta, quàm omnes tumultuantis æquoris minæ. Socios proindè ſuos magno fervore allocutus, dixit: *Nihil eſt, cur timeamus; ego enim meum S. Patronum mecum porto.* Hís dictis navim inſiliit, quod etiam ſocii ejus alacriter fecerunt, qui mox viderunt, fiduciam ſuam de interceſſione S. JOANNIS de Matha conceptam minimè vanam, aut ſterilem eſſe; eôdem namque momentô mare furias ſuas poſuit, & Boreas in Favonium converſus eos tam celeriter provexit, ut intra quadrantem unius horæ (narro, quæ ex ore ſupradicti Raymundi accepi) tres leucas emenſi ſint, tantôs ſiquidem intervallô Portus S. Mariæ ab urbe Gaditana diſtat.

Sed cùm eis redeundum eſſet, mare rursùs acriter infremuit, neque mitius diſcrimen intentavit. Illi tamen meritis S. JOANNIS de Matha confiſi ejus indignationem contempſerunt, eadémque fiduciâ, quâ priùs æquori inſultaverant, navim conſcenderunt. Rem ſum dicturus admirabilem! vix illi pedem navi impoſuerunt, dum mare confeſtim furorem ſuum poſuit, ventus ſecundiſſimus aſpiravit, eóſque breviſſima velificatione ad continentem detulit. Gratias itáque, quas poterant maximas omnipotenti DEO, ejúſque fideli ſervo S. JOANNI de Matha perſolverunt, qui eos è tantis periculis eripuerunt: Raymundus autem à portu S. Mariæ digreſſus, & interceſſione hujus Sancti adjutus ſalvus, ac incolumis penates ſuos reviſit, cùm tamen alii viatores eodem tempore, & in eodem itinere vitâ, ac rebûs ſuis per latrones ſpoliati fuerint, quod ille beneficium ſuo Sancto Patrono JOANNI de Matha conſtanter adſcripſit, & mihi pluries id narravit.

Gallica quædam navis velivolo curſu mare Mediterraneum perſulcabat, neque procul à litore aberat, dum Oceanus in furias concitatus, & novos identidem fluctuum montes ab imo ebulliens quaſſatam navim extremo diſcrimini admovit. Perterriti vectores, cùm mortem ſibi ante oculos obverſari cernerent, diverſorum Sanctorum patrocinia imploraverunt, ut eorum interceſſione à præſentiſſimo hoc periculo liberarentur. Aſſervabatur autem in hac navi reliquia quædam de Corpore mei S. Patriarchæ JOANNIS de Matha, quam Cardinalis Gineti, S. Ordinis noſtri Protector cum authenticis, ùt vocant, literis in capſula ſcitè elaborata R. P. Petro Mercier Religionis noſtræ Miniſtro Generali donô transmiſerat. Ille, qui hanc Reliquiam Patri Generali perferendam acceperat, videns nullô humanô ſubſidiô imminens naufragium averti poſſe, im-

31. Navigantes quosdam à naufragio liberat. Annô 1656.

Digitized by Google

implorata ope S. JOANNIS de Matha thecam Reliquiariam in pelagus àbjecit, ùt quondam S. Helena Imperatrix Hieroſolymis redux, dum in mari Lycio horrenda tempeſtate jactaretur, cum clavo, qui Diviniſſimas Domini noſtri JESU Chriſti manus in cruce terebravit, ſimili neceſſitate compulſa fecerat. Utrobique par fuit eventus; nam quemadmodùm olim ſacratiſſimus ille clavus tempeſtatem in momento diſpulit, ità hæc ſacra Reliquia rabidi æquoris inſaniam confeſtim placavit.

Cæterùm in illa communi conſternatione ei, qui Reliquiariam capſulam undis immerſerat, minimè in mentem venit, ut ipſam funiculô alicui alligaret, quatenùs ſedato maris furore hanc rursùs ad ſe attrahere poſſet. Undè factum fuit, ut lipſonotheca marinis vorticibûs abrepta paulò pòſt ab oculis vectorum evanuerit. Aquis tamen ad inſtar Arcæ Noë conſtanter ſupernatavit, crebróque fluctuum alliſu impulſa in conſpectum alterius cujusdam navis venit, Maſſiliam tendentis. Nautæ illius phaſelli appropinquantem avidè interceperunt, cúmque ex ſola ejus forma exteriori liquidò agnoſcerent, ſacrum quendam theſaurum in ea aſſervari, illam aperire non ſunt auſi, ſed in litus delati eam, ùt erat clauſa, manibus Archiepiſcopi Maſſilienſis tradiderunt. Contigit hoc eo prorsùs tempore, quô ſua Illuſtriſſima in ſocietate R. P. Jacobi à S. Anna Excalceatorum Trinitariorum in Gallia Provincialis liberioris auræ captandæ gratiâ litus obambulabat. Apertâ lipſanothecâ ambo agnoverunt ſacras reliquias, & majorem in modum ſunt admirati, ipſam quóque Bullam (ſive literas authenticas) in ea concluſam nè minimùm detrimentum ab aquis ſenſiſſe. Orta eſt deindè inter hos duos devota quædam verbivelitatio; Archiepiſcopus enim ſacram Reliquiam pro ſua Eccleſia retinere ſtudebat, Pater Provincialis verò eam ſibi aſſerere conabatur, jus filii allegans, & ex Divina diſpoſitione proceſſiſſe dictans, ut ipſe eo tempore ſuæ Illuſtriſſimæ aſſiſteret, quô ſacer hicce theſaurus in ejus manus pervenit. Hôc argumentô Archiepiſcopus permotus ſuo juri ceſſit, & Reliquiam dicto P. Provinciali donavit.

38. Inſignia duo miracula eôdem annô patrata,

Lætus itáque P. Provincialis poſſeſſionem hujus theſauri ſuſcepit, eóque ſuum Conventum Falconenſem, qui patriam noſtri Sancti ornat, ditavit. Hìc tamen ſilentiô minimè ſunt prætereunda duo ſtupenda prodigia, quæ eo tempore acciderunt; cùm enim P. Provincialis hanc Reliquiam magno ſplendore dictæ Eccleſiæ inferre decreviſſet, Generalem Proceſſionem Cleri, & Religioſorum

in

Digitized by Google

in vicinia degentium inſtituit, quæ ex principali Eccleſia Epiſcopatûs Ebredunenſis prodiens Falconem, hujus Diœceſis oppidum, contendit. Verùm hæc Religioſa pompa vix pedem è templo protulerat, dum ſuperfuſi de cœlo nimbi ei magnum impedimentum objicere cœperunt. Sed ô admirabilem DEI bonitatem; quamvis enim ex utroque Proceſſionis latere pluvia tam denſa caderet, ut omnia inundaret, nulla tamen, nè minima quidèm gutta in eos decidit, qui hanc ſupplicationem aſſectabantur. Aqua eos undique circumdederat, neminem tamen madefecit, ùt quondam Iſraëlitis accidit, quando ſicco pede mare rubrum tranſiverunt.

Hoc miraculum aliud non inferioris notæ prodigium excepit, 33.
aut potiùs comitatum fuit; ab ipſa ſiquidem principali Eccleſia uſque ad noſtrum Conventum Falconenſem venuſtiſſima Iris, ab omnibus conſpecta, in aëre ſe extendit, quæ procul dubio tractum illum à pluviarum inundatione tutavit, clementiſſimo DEO ab imbrium injuriis eos defendente, qui in honorem fidelis ſervi ſui huic ſupplicationi ſe adjunxerant. Utrumque prodigium tamdiu duravit, donec S. Reliquia in altari collocata fuiſſet. Quô factô Iris diſparuit, & pluvia nullo diſcrimine omnes terræ partes æqualiter irrigavit.

Hæc miracula ab Epiſcopo Ebredunenſi juridicè examinata, & approbata fuerunt, typis quóque mandata paſſim in hominum manibus verſantur. Ab illa hora Divina Majeſtas ſervum ſuum aliîs pluribûs prodigiis in dicto oppido clarificavit; hujus námque Reliquiæ operâ varios ægrotos à diverſis languoribus liberavit, quæ omnia prolixè refert R. P. M. Fr. Joſephus Morenus Trinitarius, cui hanc narrationem in acceptis referimus. (*) Eandem hiſtoriam refert N. R. P. Fr. Joannes à Nativitate in ſuo libro miraculorum à Beatiſſima Virgine MARIA ſub titulo *de Gratia* in meo Conventu Granatenſi patratorum. (*)

(*) F. Joſ. Mor. in vita S. Mamer M. Cæſar-auguſtæ impreſſa. c. 6. §. 4. N. 34.

(*) Miracul. B. V. de Gratia. l. 3. cap. 27. N. 34.

Non multùm diſſimile prodigio relato eſt illud, quod nunc deſcribere intendo. Cùm annô milleſimô, ſexcenteſimô, quadrageſimô ſeptimô, publico cultui hujus glorioſi Patriarchæ, qui præcedentium temporum iniquitate diu ſuppreſſus fuerat, initium daretur (ùt latè deſcribit P. Melchior à SPIRITU SANCTO lib. 2. cap. 27. in Appendice) dies illuxit imbribûs, ventis, nivibúsque adeò fœda, & turbida, ut nemo in publicum prodire auderet, cunctique crederent horridam hanc aëris intemperiem ab invido diabolo excitatam fuiſſe, ut ſolemnem hanc feſtivitatem diſturbaret. Non ap-

34. Pluvium cœlum in quadam neceſſitate ſerenat. Annô 1647.

apparebat in cœlo vel minimum ſecuturæ ſerenitatis veſtigium, quin imò luculenta ſigna ſeſe prodebant, è quibus colligi poterat hanc intemperiem aliquot diebûs continuatum iri. Nemo ſibi facilè imaginatus fuerit, quantopere res iſta Religioſos noſtros afflixerit, præcipuè tamen illum, cujus indefeſsâ ſolertiâ tantus apparatus ad hanc feſtivitatem ſplendidiſſimè celebrandam factus erat.

Ergò cùm hora inchoandæ ſolemnitatis appropinquaret, nec tamen cœlum triſtem ſuam faciem ſerenare vellet, vir iſte filiali affectu imaginem hujus Sancti apprehendit, & tamquàm cum vivo loqueretur, dixit: *Optimè nôſti Pater mi! ſinceram intentionem meam, quæ me impulit, ut tibi feſtivitatem adornarem: Vides autem, qualiter pluvii aëris iniquitas votis meis adverſetur. Negotium tuum eſt, quòd ſi irritum evadat, omnes filios tuos graviſſimo mœrore involvet. Cobibe pluvias pater mi! ſi tibi mea ſolicitudo placet, & cùm tanta ſis apud DEUM potentiæ, impetra nobis ſerenitatem, ut tua gloria in terris reſplendeat, ſicut in cœlo. Omnes filii tui banc à te gratiam efflagitant, exaudi preces eorum pro tua clementia; ego enim minimè promereor, ut me exaudias.*

Facta hac brevi oratione, quæ tamen, ùt eventus probavit, cœlos penetraverat, manifeſtum prodigium obſervare licuit; imbres enim protinùs deſierunt, ventorum rabies evanuit, cœlum abjectô nubium ſipariô lætiſſimam faciem oſtentavit, totáque veris amœnitas in unico, ut ità dicam, momento hemiſphærium noſtrum occupavit. Reſtituta aëris ſerenitate populus confertim approperavit, & inſtituta ſolemnitas omni poſſibili magnificentiâ celebrata fuit.

35. Infantem à præſentiſſimo mortis diſcrimine eripit. Annô 1699.

Videtur autem Sanctus noſter in ſuis Feſtivitatibus majori propenſione, & multitudine favores ſuos diſpertiri: neque mirum; tales namque dies peculiarem beneficentiam poſtulant. Id partim ſuperiori exemplô demonſtratum fuit, clariùs tamen è ſequenti eluceſcet. Excellentiſſimus Dominus Dux de Seſſa filiolum habebat, ætatis novem menſium, nomine Don Jacobum Paſchalem de Cordova, qui hodie tertius eſt filius hujus nobiliſſimæ Familiæ. Induebatur ille Habitu Trinitario ob ſummam Devotionem, quâ Excellentiſſimi parentes ejus ſacram noſtram Religionem proſequebantur.

An-

Annô itáque milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô nonô, die octava Februarii, cùm Domina Maria de Collodro hunc infantulum, Trinitaria veſte amictum in brachiis geſtaret, & cum illo alicubi ſederet, fortiſſimus ei impulſus ſupervenit ſurgendi, & puſionem in cunas collocandi (nutricis enim munere fungebatur) quamvìs hujus rei tempus nondum veniſſet, nec ulla ratio naturalis occurreret; quæ hoc ei perſuaderet. Citò tamen patuit, hanc inſpirationem à DEO proceſſiſſe; vix enim illa ſurrexerat, & quatuor paſſibûs à priore loco diſceſſerat, pars fornicis in illo cubiculo, ſolutis vetuſtate compagibûs diſtracta, magno crepitu corruit, & in eum locum decidit, quem nutrix priùs cum infantulo occupaverat, ut proindè absque dubio ambo oppreſſi fuiſſent, niſì nutrix maturo diſceſſu laquearis caſum antevertiſſet.

Fragore ruentis fornicis perculſa nutrix, aliæque ancillæ tunc fortè præſentes, pleno gutture conclamârunt: ***Miraculum, Miraculum!*** Strepitu vociferantium famularum excitata Dux trepidè accurrit, totiúsque rei ſeriem edocta, prodigium noſtro S. Patriarchæ attribuit, dicens: ***S. JOANNES de Matha, cujus hodie Feſtum celebratur, vos à morte liberavit: Et ego viciſſim Sancto polliceor, me in recognitionem hujus beneficii ſolemnem feſtivitatem ei adornaturam.*** Nemo ſiquidem dubitabat, puſioni ob merita hujus Sancti, cujus Habitum geſtaverat, vitam conſervatam fuiſſe.

Feſtivitas deindè ſummo ſplendore, & magnificentiâ ſucceſſum ſuum habuit, quâ ſolent tam magni Principes affectum ſuum erga Sanctos demonſtrare. Ad concionem è ſuperiori loco verba fecit R. P. M. Emmanuel de Leon, Religioſus Ordinis Trinitarii, & Phœnix concionatorum, qui per decurſum ſermonis ſui hunc prodigioſum eventum toti aulæ manifeſtavit.

Tantæ autem benignitatis eſt S. JOANNES de Matha, ut iis, etiam liberaliter ſuccurrat, qui eum non invocaverunt, & hominibus etiam in remotis, diſſitiſque provinciis ſubveniat, antequàm pro favore aliquo rogetur. Multas in confirmationem hujus veritatis poſſem recenſere hiſtorias, impræſentiarùm autem ſequentes ſufficiant.

Stanislaovia urbs eſt non ignobilis in Regno Poloniæ. In hac decumbebat matrona quædam, Catharina de Corſtia dicta, graviſſimarum ægritudinum doloribûs oppreſſa. Clementiſſimus DEUS, qui

36. **Infirmam ſanat, antequàm invocatus fuiſſet. Annô 1684.**



Digitized by Google

qui benignis auribûs gemitus, ac ſuſpiria miſerorum excipit, hanc infirmam dominam cœleſti quadam viſione conſolari dignatus eſt; conſpexit enim ex alto cœlorum ſolemnem quandam proceſſionem variorum procerum ſupernorum in terras deſcendere, quos inter eminebat vir quidam facie decorus, & perſonæ Majeſtate venerabilis, ſacerdotalibûs veſtibûs indutus, quem proximè ſequebatur Auguſtiſſima Sanctorum omnium Regina digniſſima DEI Mater MARIA, regio apparatu circumfuſa, & Trinitario Habitu amicta, quod veſtis genus etiam reliqui cœleſtes proceres præſeferebant. Hæc proceſſio magna gravitate, exquiſitóque ordine tendebat ad ſplendidam quandam, ſed vetuſtam domum, ædibus infirmæ contiguam.

Huc delata pompa conſtitit, & vir ille conſpicuus ritu Eccleſiaſtico locum hunc benedixit, ac inter angelicam ſymphoniam Divina officia ibidem celebravit: ægrota verò tam jucundô ſpectaculô exhilarata voluit propiùs accedere, & videre, quid ibi rerum ageretur: Sed Regina cœleſtis ejus deſideriis ſe oppoſuit, eámque his verbis allocuta fuit: ***Non es digna, ut huc intres, quæ tam exiguâ patientiâ infirmitatem tuam tolerâſti, cùm tamen dulciſſimus filius meus tanta pro te paſſus ſit.*** Hac illa objurgatione confuſa multùm doluit, efflictímque deſideravit, magnos dolores pro DEO pati. Finitô tandem officiô Divinô acceſſit ad ægram vir ille venerabilis, ſuáque religioſa veſte ei oſtenſa dixit: ***Tempus veniet, nec procul abeſt, quô homines tali veſte induti DEUM in hoc loco laudabunt.*** His dictis infirmam matronam ab omnibus ſuis languoribus liberavit, & proceſſio actutùm, eodem ordine, quô venerat cœlum repetiit.

Nondum eo tempore in illa urbe Religioſus aliquis Trinitarius conſpectus fuerat, undè ſanata illa domina, cùm non ſatis exploratum haberet, quid ſibi hæc viſio vellet, eam in aliorum notitiam deduxit, qui licèt ei de recuperata ſanitate congratularentur, quia tamen nemo eorum Religioſum Ordinis noſtri unquam viderat, myſterium ei interpretari minimè potuerunt, donec poſt duos annos Diſcalceati Trinitarii præfatam civitatem ingreſſi in eodem loco cœnobium, & templum ædificâſſent, quem matrona illa cœlitùs conſecratum viderat, quæ poſtquàm imaginem quandam S. JOANNIS de Matha intuita fuiſſet, diſertè affirmavit, hanc veſtium formam

præ-

Digitized by Google

præſetuliſſe virum illum venerabilem, qui ſe ſuô alloquiô recreaverat, & ſanitati reſtituerat.

Theologus quiſpiam in eodem regno Poloniæ, cui incumbebat in quadam Univerſitate actui literario præſidere, in quo controverſæ quæſtiones de profundiſſimo myſterio SSS. TRINITATIS erant enucleandæ, tam altè ſe periculoſis ſpeculationibus immerſerat, ut, cùm vadum nullum in tantis intellectûs ſyrtibus reperiret, tandem in pernicioſum ſcopulum impegerit, & qui hoc inacceſſum myſterium penetrare non poterat, in barathrum manifeſti erroris contra Catholicam veritatem, quam nobis S. Mater Ecclesia de hoc Myſterio credendam proponit, prolapſus ſit. 37. **Docto cuidam errorem in materia fidei diſſuadet. Annô 1684.**

Huic itáque viro in tanta mentis perplexitate conſtituto, apparuit nocte, certamen literarium præcedente, S. JOANNES de Matha, & poſtquàm dixiſſet, quisnam eſſet, declaravit ei dubia omnia, quæ ipſum tam impotenter torſerant. Explicavit ei præprimis difficultatem illam, cujus ſubtilitate priùs ſupplantatus fuerat, tantáque claritate intellectum ejus perfudit, ut perfectè reſipuerit, & ſequenti luce veritatem Catholicam ſummo applauſu propugnaverit.

Præfata viſio huic Theologo in ſomno obtigit, qui licèt Sanctum noſtrum haud perfunctoriè aſpexerit, non tamen agnoſcere potuit, cujúsnam Ordinis veſtis illa fuerit, quam S. Patriarcha noſter præſeferebat; nondum enim Trinitarii Poloniam intraverant, & Theologus iſte alibi eos nunquam viderat: aſt cùm anno ſequente Religioſi noſtri veniſſent, ut cœnobium in illa civitate conderent, tunc demùm Theologus ille perſpicuè agnovit, hunc Habitum eſſe prorsùs eam veſtem, quâ Sanctus noſter indutus ipſi apparuerat. Quamobrem ut ſe pro accepto beneficio gratum exhiberet, Religioſis noſtris totum ſucceſſum narravit, eisque pro viribus opitulari ſtuduit.

Primus eventus nobis ex Polonia perſcriptus fuit, &, ùt quidam author affirmat, extat etiamnum jurata relatio ipſius Catharinæ de Corſtia (*) alterius verò notitiam noſtri Religioſi attulerunt, qui ex Polonia in Hiſpaniam reverſi fuerunt.

(*) **N. P. F. Joannes à Nat. in Hiſtor. de Mirac. B. M. V. de gratia Granatæ. l. 2. c. 15. N. 24. & ſequ.**

ADDITIO. Cùm hæc ex hiſpanico libro in latinum idioma converterem, acceſſi P. Fr. Martinum ab Aſcenſione virum ætate grandævum, & à plurimis, quæ in S. Religione noſtra adminiſtraverat, officiis clarum, qui annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô primô, ex Hiſpania in Poloniam profectus fuerat, ut novas Or-

 dinis

dinis noſtri colonias promoveret. Hunc ego interrogavi, utrùm harum rerum notitia ad eum quóque pervenerit, ipſe verò mihi reſpondit, utrumque hunc eventum ſuo tempore in Polonia notorium fuiſſe, ſéque ambas perſonas, quibus hæc acciderant, optimè noviſſe.

# CAPUT III.

## *Continuatio ejuſdem Materiæ.*

38. Febres malignas exterminat. Annô 1699. DOmina Thereſia de Vidal civis Toletana febribûs malignîs tam vehementer æſtuare cœpit, ut quamlibet diem ſibi ultimam illuxiſſe putaret. Hanc infirmitatem illa contraxerat, dum alteri ægroto adſtitit, qui eôdem malô conflictatus intra ſeptem dies vitam mortalem reliquit: cùm verò morbus iſte, ùt quotidiana docet experientia, ſit contagioſus, certiſſimum mortis periculum ei imminebat. In hac afflictione conſului ægrotæ, ut patrocinio S. JOANNIS de Matha ſe commendaret, & ut hoc majori affectu faceret, ei iconem hujus Sancti reliqui. Paruit illa monitis meis præſentiſſimo fructu ſuo; quamprimùm enim incepit Sanctum hunc invocare, cœpit etiam meliùs habere. Vovit, ſe ſingulîs diebûs vitæ ſuæ certum quoddam orationis penſum in ejus honorem perſoluturam, atque hôc unicô remediô febrim è veſtigio abegit, ipſâque poſt paucos dies perfectè convaluit. Recuperata ſanitate ſuo benefactori gratias egit, promiſſâmque devotionem religiosè implere pergit.

39. Alius infirmus noſtri Sancti ope mirabiliter convaleſcit. Annô 1699. Alphonſus de Pace indigena Solanenſis calidîs febribûs obſeſſus auxilium S. Patriarchæ noſtri devotè imploravit, ſtatímque levamen ſui doloris perſenſit. Hunc poſteà Medicus acceſſit, qui, nè nihil agere videretur, ei phlebotomiam præſcripſit, ſed pro maxima infirmi pernicie; iſte enim ſectâ venâ delirium incurrit, novîsque ſymptomatis agitatus ad eum ſtatum pervenit, ut extrema unctione ad ineundem æternitatis iter muniri debuerit. Circumſtantes amici conſpecto infirmi ſupremo diſcrimine opem S. JOANNIS de Matha fervidîs precibûs imploraverunt. Medicus intereà veteres errores novis accumulans id ſolùm quæſiviſſe videbatur, ut Sancto omnem ſubveniendi viam obſtrueret. Sed quia glorioſiſſimus Patriarcha meus infirmi vitam jam in ſuam protectionem receperat, omnes medici errores, quos DEUS idcircò fortaſſis permiſit, ut interceſſio

ſui

ſui ſervi magis reſplenderet, hanc ei tollere nequibant. Ad extremum cùm inepti illius medicaſtri pharmaca inutilia apparerent, eum dimiſerunt, & ſanitatem infirmi ſolius Sancti noſtri protectioni commiſerunt, auſpicatiſſimô ſanè conſiliô; vix enim hoc fecerant, dum febris protinùs diſceſſit, & infirmus paulò pòſt ſibi plenè reſtitutus non ſinè ſtupore intuentium ſanitatem recuperavit. Venit igitur ad noſtram Eccleſiam, ut ſuo ſoſpitatori gratias perſolveret, attulitque ſecum munuſculum ex cera. Collegit deindè oſtiatim eleëmoſynas (ad hoc enim ſe votô obſtrinxerat) pro duobus ſacris celebrandis, quæ itidem in noſtro templo lecta fuerunt. Pro coronide denique ſuæ gratitudinis novennam devotionem in honorem hujus Sancti inſtituit, cujus unicè precibus ſe vitam debere profitebatur, quod ego quidem non ſemel ab ejus ore audivi.

Joannes Sevillano civis Solanenſis dolore Iliaco, cui calidæ poſteà febres acceſſerunt, ità infeſtatus fuit, ut à Medicis depoſitus, & ſacrô oleô unctus ſpem nullam vitæ haberet. Lugubrem hunc caſum tota ejus familia acerbiſſimè tulit; habebat enim novem parvas proles, quarum ſuſtentatio, & alimonia ab ejus vita pendebat. Infantium calamitati compaſſus eſt Religioſus ille, qui infirmo aſſiſtebat, eúmque ad felicem mortem diſponebat: ſuaſit proindè ægroto, ut patrocinium S. JOANNIS de Matha imploraret, & votô factô polliceretur, ſe novem diebûs ejus Eccleſiam frequentaturum in grati animi teſtimonium, ſi ipſius meritis ab hac infirmitate abſolveretur. Non obſurduit glorioſus Sanctus ad preces ſui cultoris; nuncupatô ſiquidem hôc votô moribundus confeſtim ad vitam redivit, eámque noctem absque ulla febrium moleſtia tranſegit. Tertia deindè die viribûs jam integrè reſtauratîs, ſummo ſtupore omnium illorum, qui eum agonizantem conſpexerant, ad noſtram Eccleſiam venit, ut ſuo benefactori gratias ageret, & voto ſuo ſatisfaceret, quod etiam magna devotione conſummavit.

> 40. Moribundo longioris vitæ uſum impetrat. Annô 1699.

Nobilis quidam Don Petrus Abarca, Solanenſis oppidi incola, calidarum febrium inclementiâ ad extrema redactus fuit, qui dum videt, ſe nullô humanô remediô adjuvari poſſe, ad Divinum confugit, ſeſéque ſanctis Patronis, quos incolumi corpore ferventiùs colere ſolebat, devotiſſimè commendavit, eiſque multa promiſit, ſi eorum precibûs ſanitas ſibi obtingeret, atque in hunc finem nonnullas eorum reliquias ſibi in conſpectum poni impetravit, ſed quia nullum indè levamen percipiebat, DEI voluntatem eſſe credidit, ut in hac ægritudine moreretur, undè curas omnes ad felicem mor-

> 41. Idem beneficium alteri moribundo præſtat. Annô 1699.

tem

tem comparandam convertit. Adſtiterat infirmo Religioſus quidam noſtri Excalceati Ordinis, eique perſuaſit, ut ad patrocinium S. JOANNIS de Matha ſe conferret indubiam ſanitatem pollicitus, ſi ejus animæ ſaluti expediret, cujus etiam imaginem ei poſtmodùm attulit. Hac ſpe erectus clinicus promiſit noſtro Sancto, ſe in ejus honorem ſolemnem feſtivitatem adornaturum, ſi convaleſceret. Hôc votô factô infirmitas diſceſſit, ſanitáſque redivit, ità, ut paulò pòſt valens, & incolumis in publicum prodierit.

Sed quia avidiùs deindè noxiis cibis ſtomachum obruit, aut, ùt ego arbitror, quia ſegnem ſe exhibuit in ſuo voto perſolvendo, brevì in eandem rursùs infirmitatem incidit, quæ tanto furore eum poſtliminiò invaſit, ut ſenſibûs deſtitutus ſacrò oleô inungeretur. Eô itáque in agonia conſtitutò domeſtici illius Sanctum noſtrum ferventiſſimis precibûs orârunt, ut infirmi miſereretur, & ut hoc certiùs impetrarent, Miſſam in ejus altari celebrari fecerunt. Hôc ſacrificiô Sanctus noſter placatus altera vice ægrotum adjuvit, ſuíſque meritis apud DEUM effecit, ut moribundus ad ſe rediret, & poſt paucos dies integram ſanitatem obtineret. Novô hoc beneficiô compulſus nobilis omnes moras damnavit, votúmque ſuum quàmprimùm exſolvit, proſpera deindè ſanitate conſtanter uſus.

42. Fœminam quandam à gravi infirmitate liberat. Annô 1700.

In dicto oppido Solanenſi habitabat Eliſabetha Ruiz tanto æſtu malignarum febrium afflicta, ut ſupremo periculo proxima cenſeretur. Hæc itáque, ut animæ ſaluti provideret, me accerſivit, cui ego, audita illius confeſſione ſuaſi, commendaret ſe S. Patri noſtro JOANNI de Matha, mitterétque aliquem ad noſtrum Conventum, qui ei imaginem hujus Sancti adferret. Omnia hæc fecit infirma, ſed imaginem, quidquid etiam conaretur, ante triduum habere non potuit. Hôc illa tempore tam viva fide ſperabat, ſe per merita noſtri ſancti ſanitatem conſecuturam, ut ſalva veritate dicere queam, me in nulla muliere majorem fidem obſervâſſe, cui proindè haud immeritò illud dicere potuiſſem, quod Incarnatus DEUS quondam ad Chananæam protulit: *O mulier! magna eſt fides tua! Fiat tibi ſicut vis.* Gratam verò meo glorioſo Patriarchæ fuiſſe piam hujus mulieris fiduciam, effectus monſtravit; cùm enim imago hujus Sancti tandem aliquando ad eam perlata fuiſſet, tanto affectu illam ſtrinxit, ut in momento ſana evaſerit, lectum deſeruerit, ſanctóque noſtro gratias in ejus Eccleſia perſolverit, Miſsâ in ejus honorem ſtipendiò conductâ, quam illa magna devotione audivit.

Matth. 15. v. 28.

Se-

Sequentem eventum refert V. P. Alphonſus Andrade S. J. in ſuis Patriarchis Trinitariis. Annô milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimô quintô decumbebat Compluti N. R. P. F. Petrus ab Aſcenſione, Sacræ noſtræ Excalceatæ Familiæ eo tempore Miniſter Generalis. Creſcebat quotidie infirmitas ejus nullâ humanâ medicinâ quidpiam proficiente. Videns itáque ſe nulla medicorum arte juvari poſſe, ad implorandam opem S. P. N. JOANNIS de Matha ſe convertit, & filiali affectu ſanitatem ab eo petiit, promittens, ſe illâ recuperatâ omnem poſſibilem induſtriam adhibiturum, ut cultus ejus immemorabilis (de quo tunc in curia Romana agebatur) quàmprimùm declararetur. Audivit glorioſus Sanctus orationem ſui filii, eique contra medicorum expectationem perfectam incolumitatem impetravit. P. Generalis autem hôc beneficiò devinctus ſuis promiſſis fideliter ſtetit; neque enim priùs ab urgenda cauſa deſiit, donec immemorabilis hujus cultûs Declarationem pro inſigni gloria ſui S. Patriarchæ eviciſſet.

43. N. P. Miniſtrum Generalem ſanat. Annô 1665.

Almonacidum oppidum eſt Diœceſeos Toletanæ. Hoc incolebat Don Joſephus Ordonez, cujus filiolus annô in margine citatô graviſſima ægritudine oppreſſus ad extrema pervenit. Mœſti parentes, dum imminenti funeri ſuæ prolis neceſſaria conquirunt, Excalceatus Religioſus Trinitarius ſupervenit, qui de filio eorum interrogans hoc reſponſum accepit: ***Expectamus ejus mortem, & diſponimus neceſſaria pro ejus ſepultura.*** Aſt Religioſus noſter juſſit eos meliora ſperare, ſuaſitque, ut depoſiti filii ſalutem S. JOANNI de Matha commendarent. Voverunt itáque parentes ejus, ſe filio ſuo veſtem Trinitarii Ordinis impoſituros, ſi per merita S. JOANNIS de Matha convaleſceret. Rem ſum dicturus admirabilem! Vix moribundo infanti iconem S. Patris noſtri admoverant, dum ille repentè ſibi reſtitutus ex ipſis mortis faucibus ad vitam redivit, & ſequente die integrè ſanus fuit.

44. Infantem agonizantem ad vitam revocat. Annô 1701.

Alphonſus Canon (cujus mentionem ſuperiùs jam fecimus) fluxu ſanguinis adeò laboravit, ut, quemadmodùm ab eis accepi, qui infirmo adſtiterant, arrobam circiter cruoris ſucceſſivè ejecerit (eſt autem arroba hiſpanici ponderis genus noſtratibus viginti quinque libris æquivalens). Omni igitur ſanitatis ſpe deſtitutus ſe ad mortem ſanctè obeundam præparabat. Aderat ægroto Excalceatus quidam Trinitarius, qui ei perſuaſit, ut fiduciam ſuam in S. JOANNE de Matha collocaret, ejúſque interceſſionem imploraret.

45. Fluxum ſanguinis ſiſtit. Annô 1699



Digitized by Google

Impoſuit deindè pectori illius quandam imaginem noſtri Sancti, & orationem ad S. Patriarcham noſtrum ſuper illum recitavit. Hôc unicô remediô compreſſus fuit ſanguinis fluxus, & infirmus absque ulla alia medicina perfectè convaluit.

46. Simile beneficium alteri præſtat. Annò 1703.

Eôdem incommodô conflictabatur Jacobus Aguado, qui cùm è corpore ſuo totam ſanguinis arrobam jam effudiſſet, ut ex ejus ore accepi, commendavit ſe S. JOANNI de Matha, eique promiſit, ſe, ſi ſoſpes evaderet, modium tritici ad ejus feſtivitatem allaturum. Hôc votô emiſsô languenti corpori imaginem hujus Sancti admovit, cujus tactus ſalutaris confeſtim ſtitit exundantem cruoris diſtillationem tantô hominis illius commodô, ut altera die omnia ſua negotia absque impedimento peragere potuerit.

47. Fœminæ in partu periclitanti ſuccurrit. Annò 1703.

Nec reticendum eſt inſigne beneficium, quod Anna Cercenna ex villa de Cienpozuelos à prodigioſa noſtri Sancti manu percepit. Hæc totis ſex diebûs partûs doloribûs anguſtiabatur, ſed viribûs deſtituta mortuum jam fœtum eniti non poterat, ut proindè medici de ipſa quóque matris vita deſperarent. Accidit fortuitò, ut ego illo tempore cujusdam negotii causâ in ea villa verſarer, qui, cùm mulieris periculum intellexiſſem, miſi ei quandam imaginem S. Patris mei JOANNIS de Matha, quâ contactâ protinùs peperit, & à moleſto ventris onere liberata intra quatuor dies ſana prodivit.

48. Viduam quandam à magna triſtitia liberat. Annò 1697.

Vidua quædam ex oppido Arcis S. JOANNIS filium habebat adultum, ſed totis jam undecim annis abſentem, quin ulla arte reſcire poſſet, ubinam terrarum degeret. Hoc adeò prolixo temporis ſpatio varias devotiones ad diverſos Sanctos inſtituit, ut notitiam aliquam de ſuo filio accipere mereretur. Nunquam tamen voti ſui compos eſt effecta, donec hoc negotium S. JOANNI de Matha commendâſſet, in cujus honorem novennam inſtituit, & aliquot dierum jejunia peregit. Eadem verò die, quæ hujus Novennæ ultima fuit, epiſtolam à ſuo filio accepit, quâ matri ſignificavit, ſe in Belgio verſari, & benè valere.

49. Ulcus carcinomate infectum ſanat. Annò 1699.

Catharina Diaz Orejon, civis Solanenſis ulcus in pede diu circumtulerat, cujus moleſtiis licèt gravaretur, non tamen ab inceſſu impediebatur. Videtur DEUS voluiſſe, ut hujus mulieris afflictio in novam ſui fidelis ſervi S. JOANNIS de Matha adoream converteretur; ulcus enim diuturna ſanie tabidum tandem in carcinoma degeneravit, ut chirurgus pro reliquorum membrorum incolumitate conſervanda neceſſarium judicaverit laborantem pedem ab-

Digitized by Google

abſcindendum. Hôc judiciô chirurgi conſternata fœmina, cùm nundinas quaſi prodigiorum cerneret, quæ Sanctus noſter in favorem ſuorum cultorum operabatur, ad ejus patrocinium anxia confugit, vovitque ſe pro una Miſſa ſtipendium perſoluturam, ſacram Communionem in ejus honorem percepturam, ac denique cereum pedem, ceu trophæum hujus prodigii, ejus altari appenſuram, ſi ipſius meritis ab hac plaga liberaretur. Quis non laudaret DEUM in ſanctis ſuis! Hæc mulier tanto tormento deſtinata hoc ſolo malagmate gangrænam eôdem adhuc momentô diſpulit, ulceréque in alteram diem perſanato potuit jam Eccleſiam adire, & ſtupente chirurgo ſuum votum perſolvere.

Eliſabetha de Soto ejusdem oppidi indigena, cùm, neſcio quid, ſcindere vellet, acutiſſima cultri acies indè dilapſa tam profundè tuberculum indicis in manu ejus penetravit, ut absciſſus digitus à ſola cute penderet. Hæc Domina erat præſes Confraternitatis, quæ à noſtro Sancto nomen habet, undè ſpe de illius patrocinio concepta graviſſimam ſuam calamitatem glorioſo Patriarchæ noſtro tam felici ſucceſſu commendavit, ut, quæ tribûs diebûs ante ejus feſtivitatem errore cultri hoc ſibi vulnus inflixerat, illuceſcente feſto ex Sancti noſtri benignitate digitum manui perfectè concretum habuerit. Undè etiam gaudibunda ad noſtram Eccleſiam pervenit, ſuóque ſoſpitatori plurimas gratias perſolvit. 50. Horrendum vulnus ſanat Annô 1682.

Thomas Navarro filius prædictæ Eliſabethæ de Soto aliis ſuæ ætatis colludens fortuito caſu brachium fregit. Anxia mater optimum huic malo remedium eſſe putavit, ſi imaginem noſtri Sancti ſupra fracturam ligaret. Fecit hoc, quod filio ejus tantùm profuit, ut non ſolùm nullum ampliùs dolorem in læſo brachio perſenſerit, verùm etiam intra paucos dies absque alio emplaſtro ſanus evaſerit. 51. Fractum brachium reſtaurat. Annô 1698.

Circumferuntur in Gallia libelli, vitam S. Patriarchæ noſtri JOANNIS de Matha in ſe continentes, quorum operâ glorioſus iſte Sanctus non unum prodigium patravit. Bonaventura Baro Seraphici Ordinis Scriptor nonnulla refert in Annalibus Ordinis noſtri, quæ præſenti opuſculo ad verbum adſcribenda duxi, ut narratio mea tanti Scriptoris authoritate magìs confirmetur. Sed jam ipſum Baronem loquentem audiamus: Circumferuntur, ait ſcriptor laudatus, in Gallia codicilli quidam teſtantes horum Patriarcharum ſanctitatem. Horum unum cum multa fide petiit fœmina quædam, quæ Aquis Sextiis ardenti febre laborabat, à marito ejusdem alla- 52. Codicilli vitam S. JOANNIS de Matha continentes prodigia operantur. Baro in Annal. Ord. SSS. Trinit. pag. 302.

 tum,

tum, qui etiam ſimili ardore torquebatur. Fœmina fide animoſa, acceptô codicillô & invocatô Sanctô illicò excuſſit ægritudinem ſanitati reſtituta. Maritus verò, licèt eôdem malô conflictaretur, viderítque uxorem ſuam ſanatam, non credidit, quòd hæc ſanitatis recuperatio dicto codicillo eſſet adſcribenda, undè ei infirmitas adhæſit continuò, usquedum agnitâ culpâ, & poſtulatâ chartulâ, dum eam pari pietate exciperet, ipſe etiam morbum dimiſit.

53. Multi infirmi horum libellorum operâ à febribus liberantur.

Duo Religioſi Trinitarii Diſcalceati, Fr. Lucas à S. Joanne jam tum Diaconus, & Fr. Thomas à S. Laurentio Converſus acceſſerunt oppidum Diœceſis Dignenſis, in quo plurimi calidis febribûs ardebant. Religioſi portabant aliquos ex his codicillis, & publicantes prodigia, quæ S. JOANNES operabatur per eos, varii erant, qui acceperunt dictos codicillos magno ſenſu pietatis, implorantes Sancti interventum apud SSS. TRINITATEM. Res ſtupenda! In tanto numero laborantium, illi intrà pauculos dies ſævientem morbum evaſerunt: Cæteri omnes eidem adhuc obnoxii ſymptomatis ejus torquebantur. Undè factum eſt, ut cùm iidem Religioſi dictum oppidum repetiiſſent, efflictim orarentur ab infirmis illis, ut ſibi codicillos ſuos communicarent.

54. Religioſus quidam à febri, & fluxu ſanguinis.

Idem ille Fr. Thomas à S. Laurentio, qui cum Sanctitatis opinione ex hac vita diſceſſit, dum quæſtorem ſtipis ageret in Diœceſi Ebrodunenſi correptus eſt fluxu ſanguinis ob adjunctam febrem ſæviente, atque ità interim moleſtô, ut non potuerit quæſtum proſequi. Qúumque eum aliquamdiu debitâ patientiâ pertuliſſet, ad ſocium verſus, Frater, ait, nos paſſim hortamur ſæculi infirmos, commendent ſe precibus, ac præſidio noſtrorum Patriarcharum, atque ad circumferendum codicillum eorum. Ipſi autem potiori jure debemus omne id efficere, & expectare eorum gratiam, cùm ſint noſtri Parentes. Quô dictò ipſe inſigni motu pietatis unum accepit, nec nequidquam; ſtatim enim ſenſit ſtagnantem ſanguinem, & febrim fugitivam.

Hactenùs Baro, doctiſſimus ille Coſmi Hetruriæ Ducis hiſtoriographus, qui locô citatô hæc verba ſubnectit: Opus foret ingenti volumine ad referendas omnes curationes infirmitatum, quas Dominus DEUS eorum precibûs præſtitit iis, qui dictum eorum codicillum bajulantes, ipſorum opem implorârunt. Hís ex Barone delibatís nos rursùs convertimus ad Hiſpanica in latinum transferenda.

Quam-

Quamvis autem interceſſio noſtri S. Patriarchæ nulli non incommodo pellendo profit, maxima tamen ejus virtus, ſi frequentia miraculorum ſpectetur, elucet in quartanis febribus profligandis. Nôrunt hoc plurimi, qui moleſtô hôc incommodô afflicti ad auxilium hujus Sancti confugerunt, & promptum in ejus paterna benignitate auxilium invenerunt, ùt ſequentes eventus clariùs oſtendent.

Fr. Andreas à SPIRITU SANCTO Ordinis noſtri Religioſus duplici quartana febre laborabat. Hic itáque, cùm ſecum reputaret, quàm profusâ beneficentiâ Sanctiſſimus Patriarcha noſter ſæcularibus ſubvenire ſoleat, ſpem concepit minimè dubiam, eum majori clementiâ ſuis filiis opitulaturum: Undè ardentiſſima Devotione patrocinium ejus imploravit, séque ad peculiarem ejus cultum imposterùm obligavit. Ea nocte febrium acceſſum metuerat, quarum tamen vix levem paroxysmum ſenſit, neque deinceps hâc moleſtiâ ampliùs tentatus fuit, quique priùs obſoletâ orexi omnes cibos nauſeaverat, eòdem temporis momentô cœpit eſurire, oblatósque cibos tam appetenter comedere, ac ſi nullam unquàm ægritudinem pertuliſſet. 55. Duplicem quartanam propulſat. Annô 1689.

Neque tamen hic ſtetit beneficentia noſtri Sancti erga hunc Religioſum; iſte ſiquidem poſt paucos dies obedientia urgente iter inire coactus eſt, quod dum proſequitur, die ſexta Decembris in fluvium quendam cecidit gelidis undis metuendum. Quamvis autem aquis usque ad pectus immerſus fuerit, & frigoris inclementiâ obriguerit, imploratô tamen favore noſtri Sancti incolumis ex hoc diſcrimine prodivit, neque febris, quam maximè timuerat, ad eum ultrò acceſſit. Hôc duplici beneficiô devinctus Sancto Patriarchæ ſuo humillimas gratias perſolvit, &, ut affectum ſuum operibûs teſtaretur, ejus imaginem in óppido Tembleque hujus Sancti venerationi addictiſſimo, in loco publico, & conſpicuo erexit.

Alius Religioſus Ordinis noſtri, F. Martinus à Conceptione, natione Luſitanus quartanæ febris inſolentiâ graviſſimè affligebatur. Degebat ille tunc in noſtro Conventu Pampelonenſi, cúmque ſeptimâ Februarii, quæ dies noſtri ſancti Feſtivitatem præcedit, Febrium acceſſum expectaret, ille fiduciâ plenus imaginem quandam glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri amplexus eſt. Hôc aſylô tutus ægritudinis furorem eluſit; quartana enim, quaſi Sanctum noſtrum timeret, ab infirmo abſtinuit, neque ampliùs ad eum redire præſumpſit. 56. Alium infirmum Religioſum à quartana abſolvit. Annô 1699.

 Se-

Digitized by Google

57. Alius infirmus ſimile beneficium obtinet. Annô 1699.

Sebaſtianus Nunnez civis Solanenſis totô jam bienniô quartanæ febris tyrannidem pertulerat: audiens verò, quòd S. JOANNES de Matha tantâ potentiâ in hanc infirmitatem dominetur, ejus opem invocavit, non tamen ſtatim exauditus fuit, ídque propterea fortaſſis, quia tepidè oravit; quàmprimùm enim majori fervore concepto promiſit, ſe effecturum, ut ſingulis annis in feſto noſtri ſancti Miſſa in ejus honorem celebretur, febris ab illo diſceſſit, & ægrotus perfectam incolumitatem recepit.

Supervenit deindè vertente anno dies octava Februarii, in qua Feſtivitas glorioſiſſimi Patriarchæ noſtri celebratur: aſt ingratus ille Sebaſtianus voti ſui immemor, nullam de promiſſo Miſſæ ſacrificio celebrando ſolicitudinem geſſit, non tamen impunè; ſequente ſiquidem die quartana antiquum ſuum domicilium repetiit, & votifragum ſatis acriter torſit. Plures intereà lapſi ſunt dies, quin ille ad mentem rediret, ſed cùm mihi poſteà ſuam calamitatem expoſuiſſet, eum vehementer ſum obteſtatus, ut voto ſuo confeſtim ſatisfaceret. Paruit ille, & Sanctus noſter placatus febrim actutùm abſcedere juſſit, quæ nunquam ampliùs ad eum redivit.

De prodigioſis lapillis. Vide epitomen vitæ huic operi præmiſſam.

Plures tales favores in profligandis febribus recenſet author Hiſpanus, quos tamen nè ingrata ejusdem rei iteratione lectori faſtidium pariam, néve propoſitæ brevitatis limites tranſiliam, latinis verbis deſcribere nolui. Antequàm autem ad ulteriora progrediar, opus eſt, ut Lectori meo in memoriam revocem illa, quæ in epitome vitæ S. JOANNIS de Matha, huic operi præfixa, de lapillis Burgenſis eremi narravi, ubi dixi, eos ab incolatu mei glorioſi Patriarchæ non ſolùm Trinitarii Ordinis crucem, verùm etiam prodigioſam virtutem adversùs quaslibet infirmitates attraxiſſe: ſciendum eſt itáque hos lapillos, Cruce Trinitaria ſignatos, & in illo deſerto, quod S. JOANNES de Matha ſuâ pœnitentiâ conſecravit, reperiri ſolitos non ſolùm quartanas febres pellere, verùm etiam crebriùs aliorum prodigiorum inſtrumenta fuiſſe; clementiſſimus námque DEUS ad declaranda fidelis ſervi ſui merita eos magna virtute adversùs plurima mala dotavit, ùt ex ſequentibus hiſtoriis magìs clareſcet.

58. Quartanam auferunt.

Don Ferdinandus Maldonado nobilis eques Hiſpanus, & indigena oppidi de coca, noſtræque Excalceatæ Religionis confrater duos, aut tres hujus ſortis lapillos aſſervabat, non absque peculiari noſtri Sancti diſpoſitione, qui eorum operâ huic nobili perſolvere voluit inſignem ſuam charitatem, quâ ſemper uſus fuerat in noſtris

ſtris Religioſis hoſpitiô excipiendis. Res in hunc modum ſucceſſit. Duplices quartanæ uno impetu in eum irruerant, tantáque acerbitate eum excruciaverant, ut medici nullam ei vitæ ſpem reliquam facerent. Tunc ei tandem in mentem venerunt prodigioſi illi lapilli, S. Ordinis noſtri Cruce inſigniti, quos aquæ poculo immerſit lymphámque eorum attactu conſecratam tam avidè bibit, ut lapillos etiam deglutierit. Rem miram! eôdem momentô febris talaria induit, & tamquàm à ſuo tortore aufugit: Nobilis autem è veſtigio ſanitatem recuperavit, qui, ut ſe tanto beneficio gratum exhiberet, hoc prodigium prædicare nunquàm deſiit, illúdque ſuô juramentô roboravit.

59. Plures febricitantes eâdem mediô liberantur. Annô 1702.

Annô elapsô, milleſimô nimirùm, ſeptingenteſimô ſecundô in Seminario regii ædificii, quod Eſcuriale dicitur, aliquot homines duplicibûs quartanîs conflictabantur. Tranſivit eo tempore per hunc locum Excalceatus quidam Trinitarius, prodigioſos hoſce lapillos ſecum circumferens, qui intellectâ calamitate ægrotantibus aquam propinavit, cui hos lapillos priùs immerſerat, quâ epotâ omnes admirantibûs medicîs convaluerunt.

60. Hi lapilli in pulverem contriti ſcripturam delent.

Lapillorum iſtorum non eſt tanta durities, ut contundi nequeant. Hoc obſervavit homo in illa vicinia habitans, ubi tales lapides reperiuntur. Splendicante itáque eorum formâ allectus illos in pulverem contrivit, ut epiſtolas ſcribendas eô conſpergeret. Cæterùm hoc gaudium ipſi minimè fuit diuturnum; primô námque experimentô comperit, literas omnes, quas hoc pulvere conſperſerat, deletas fuiſſe, quô prodigiô DEUS declarare voluit, hos lapillos pro uſibus profanis creatos minimè fuiſſe. Aſt ſcriptor, qui hunc eventum caſui imputaverat, alteram epiſtolam exaravit, eámque ſimili pulvere conſperſit, ſed eodem ſucceſſu, protinùs enim ſuam ſcripturam obliteratam invenit. Nihil tamen indè deterritus obfirmatâ pervicaciâ tertiam ſcripſit, ſed pulveres aſperſi etiam tertia vice eundem effectum produxerunt. Atque ſic tandem fracta eſt hominis durities, qui luculentîs argumentîs convictus lapillos hos majori deinceps in pretio habuit, eóſque ceu ſacras quasdam Reliquias aſſervavit.

61. Avibus nullum detrimentum adferunt.

Alter, Joannes Tornero dictus, eidémque deſerto vicinus pro ſua conſuetudine ad venationem prodivit. In agmen itáque avium delatus, cùm alios globulos ad manum non haberet, hujuscemodi lapillis ſclopum oneravit, eúmque in confertam avium turbam exploſit, ſed irrito conatu; quamvis enim alioquin exactus

eſſet

eſſet jaculator, in hac tamen occaſione nullam avem trajecit, imò nè læſit quidem. Peſſimè illum res iſta habuit, volucres igitur bombardæ ſtrepitu conterritas, & in propinquam arborem dilapſas ſecutus altera vice iiſdem lapillis impetiit: aſt licèt ſclopum accuratè libråſſet, avéſque multas tetigiſſet, nulli tamen vel minimum detrimentum attulit; Sanctus enim JOANNES de Matha aves omnes à morte præſervavit, ut oſtenderet, his lapillis proprium eſſe nemini nocere, ſed omnibus ſanitatem, vitámque conferre.

62. Demunt tertianas cuidam infirmæ. Annô 1694.

Antonia filia Petri de Caſtrovido indigenæ oppidi de Xaramillo in Archiepiſcopatu Burgenſi tertianis febribûs graviſſimè torquebatur, quarum violentiâ ad limina mortis pervenit. Homines de puellæ ſalute ſoliciti multis medicinis infirmitatem oppugnabant, nihil tamen proficiebant: nullô itáque humanô remediô repertô ad hos tandem lapillos recurrerunt, quos ſacculô involutos ad febrientis collum alligârunt. Hac ſolâ induſtriâ puella febrim profligavit, & intra paucas horas ſana evaſit.

63. Simile beneficium. Annô 1694.

Simili ratione conſobrina ſupradictæ puellæ, Antonia itidem dicta, febres excuſſit; harum ſiquidem tyrannide preſſa petiit eundem ſacculum, quem collo appenſum veluti ſcutum quoddam febris aculeis objecit. Nec pœnitendo conatu; febris enim ei porrò appropinquare non auſa, illam ſanam reliquit. Ambo hæc prodigia contigerunt annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonageſimô quartô, quibus ſupradictus Petrus de Caſtrovido, ejúſque filia teſtimonium authenticum perhibuerunt.

64. Diabolum fugant.

Urgebatur in Eccleſia oppidi Beceril diabolus ſacris exorciſmis, ut obſeſſam quandam perſonam deſereret, ſed refractarius ſpiritus longo tempore pertinaciter reſtitit. Hierophylax recordatus eſt, ſe in ſacrario unum ex his lapillis aſſervare, quem ſtatim productum energumeni capiti impoſuit; tunc enim verò virtus horum lapillorum mirificè eluxit; dæmones enim rugientes, & ejulantes ſuum protinùs domicilium reliquerunt, queſti ſe virtute horum lapillorum à veteri ſtatione violenter depelli. Quidam noſtratium Religioſorum, ut veritatem hujus rei, quam fama vulgante didicerat, preſſiùs exploraret, parochum illius loci convenit, ejúſque aſſeveratione comperit, caſum hunc certiſſimè contigiſſe circa annum milleſimum, ſexcenteſimum, nonageſimum, addiditque parochus, ſemetipſum miniſtrum exorciſmi fuiſſe.

Plures hujus claſſis eventus de his prodigioſis lapillis refert N. P. F. Alexander à Matre DEI, Definitor, & Hiſtoriographus Genera-

neralis in tertio tomo Chronicorum noſtræ Excalceatæ Familiæ, à quo unum, aut alterum tanti ſcriptoris authoritate permotus, mutuabo.

Cæſarauguſtæ energumena mulier vivebat, quam aliquando inviſit quidam ex noſtris Religioſis Joannes à SPIRITU SANCTO. Energumena ante hujus Religioſi adventum tota erat placata, & quieta, ſed quamprimùm iſte in conſpectum ejus venit, cœpit tumultuari, ferocire, vociferari, & in plateam procurrere. Confuſus Religioſus hâc diaboli inſolentiâ, ſacris exorcismis, quibûs utitur S. Mater Eccleſia, diabolos adjuravit, edicerent, ecquænam cauſa foret tam protervæ ferociæ? Tunc demùm peſtilentes illi ſpiritus vel inviti reſponderunt: *Fugimus illos lapillos, quos tecum geris de tuo Sancto, hi enim nos comburunt.* Hactenùs Religioſus noſter non fuerat recordatus, ſe hujus ſortis lapides penès ſe habere, ſed excuſsô ſacculô cùm illos inveniſſet, eóſque dæmoni inviſos intellexiſſet, dedit energumenæ unum ex illis, ut flagellum haberet, quô diabolum caſtigaret, ejúſque furorem cohiberet. 65.

*Aliam energumenam à ſtygio inquilino liberant.*

Author Hiſpanus plura ſubnectit prodigia, & ſanitates infirmorum, quas obtinuerunt aquam devotè bibendo, cui tales lapilli injecti fuerant, ad extremum tandem hoc Caput ità concludit: Alia multa prodigia patravit altiſſimus DEUS horum lapillorum operâ, tam in Hiſpania, quàm in aliis mundi partibus, ad quas delatæ fuerunt, & quidem in ipſa etiam urbe Romana: uſus nimirùm eſt S. JOANNES de Matha hôc inſtrumentô inſenſibili, ut ſuis cultoribus ſuccurreret. Ego ſanè certis relationibûs didici, Religioſum quendam Capucinum ex his lapillis roſarium contexuiſſe, ejúſque attactu in Navarra, & vicinis provinciis plurima miracula patrâſſe.

# CAPUT IV.

## *De aliis peculiaribus favoribus, quos S. JOANNES de Matha ſuis cultoribus exhibuit.*

SOlanæ magnâ Sanctimoniæ famâ vixit V. Mater Maria à S. Agnete, tertiam Regulam Excalceatæ noſtræ Religionis profeſſa, fœmina approbatæ virtutis, quæ meritis plena annô milleſimô, ſex- 66.



Digitized by Google

centeſimò, ſexageſimô ſeptimô in cœlum evolavit. Huic peculiari filiæ ſuæ S. Pater ejus JOANNES de Matha innumeros favores præſtitit. Apparuit ei aliquando ad inſtar ſolis fulgidus, & infinitis radiis pulcherrimæ lucis circumfuſus, quos inter duo præcipuo ſplendore ſuo ſingulariter eminebant. Significavit ei deindè, hiſce radiis deſignari filios ſummæ perfectionis, quos Sanctus in ſua Diſcalceata Religione ſe habere gloriabatur, cúmque illa percontando inſiſteret, quósnam duo illi exquiſiti fulgoris radii denotarent? Sanctus Patriarcha noſter reſpondit, illis deſignari P. Fr. Iſidorum à S. Joanne (qui tunc Generalis Miniſtri officiò fungebatur) & P. Fr. Philippum à S. Jacobo, hujus venerabilis fœminæ confeſſarium (cujus incorruptum & cœleſti fragrantiâ odorum corpus in conventu dicti oppidi meis oculis vidi) aliorum verò radiorum peculiarem declarationem non accepit. Hoc favore ancilla DEI exhilarata ſe ſuo Sancto Patri gratiſſimam exhibuit.

67. Huic non multùm diſſimile eſt illud, quod in vita Venerabilis Marianæ à JESU, civis Malacenſis, legitur, quæ pariter ſub noſtro Excalceato Habitu ad tertiam Ordinis Regulam adſtricta militavit, & incredibili Sanctitatis opinione collecta piiſſimam vitam annô milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimô felici morte concluſit. Hæc itáque venerabilis ancilla DEI in quodam enthuſiasmo vidit immenſum lucis jubar à SSS. TRINITATE procedere, & ad pectus S. P. N. JOANNIS de Matha tendere, in quo veluti terſiſſimo ſpeculo reflectebatur ad noſtros Excalceatos Religioſos, eósque divinis ardoribûs ſuccendebat. Quô cœleſti ſpectaculôglorioſiſſimus Patriarcha noſter perfectionem ſuæ Excalceatæ Familiæ exprimere voluit.

68. Alium, nec exiguum favorem debet mea Excalceata Religio ſuo Patriarchæ S. JOANNI de Matha. Eum nunc enarrare aggredior. Maria Lopez Bulgalès, indigena oppidi de Herbas, cùm bonîs temporalibûs afflueret, magnô æſtuabat deſideriô illa Divinæ Majeſtati conſecrandi. Angebatur tamen, quòd ignoraret, in qualénam opus bonum divitias ſuas erogare deberet, ut DEO gratum obſequium præſtaret. Aſſiduis itáque precibus intenta lumen cœleſte petebat, cujus illuſtratione divinæ voluntatis beneplacitum cognoſceret. Hæc illa dum ſecum mente revolvit, præter omnem expectationem invenit in ſuo libello precatorio imaginem S. JOANNIS de Matha, ſub ſchemate Excalceati Trinitari depicti, quam nemo hominum imponere potuit, cùm illa libellum nunquàm è ma-

manu dimitteret, ſed eum ſemper ſecum geſtaret. Admirabilis inventio hujus imaginis piam fœminam permovit, ut confeſtim decerneret Excalceatis filiis hujus magni Patriarchæ Conventum fundare, firmiſſimè perſuaſa, hanc eſſe DEI voluntatem; ab illo námque momento angor omnis, & mentis perplexitas ab ea diſceſſit, ipſâque in hoc ſuo propoſito fixa permanſit, à quo etiam non priùs deſtitit, donec illud opere compleviſſet, cœnobiò Ordinis noſtri Herbis in Ducatu Bejarenſi à fundamentis excitatô. Prodigioſos hoſce favores N. R. P. Fr. Alexander à Matre DEI in ſuis Chronicis Generalibus tomô tertiô recenſet, quos huic operi attexere placuit, ut renovatâ memoriâ horum beneficiorum affectum gratitudinis erga noſtrum Sanctum magis exacuerem.

Nec minori admiratione dignus eſt alius favor, quem hiſtoriæ referunt, & huic propoſito meo valdè congruit. Annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô ſeptimô Religio Trinitaria Generalia ſua comitia Romæ celebrare conſtituit. Ad hæc pro more recepto Provinciæ Hiſpanicæ convolare debuiſſent: ſed Patres Caſtellæ, ac Luſitaniæ de peſte edocti, quæ tunc in Italia graſſabatur contagioſam luem veriti, noluerunt ſe itineri adeò periculoſo committere. Ad extremum tamen ſententiam mutaverunt, & unanimi conſenſu Romam proficiſci decreverunt. Huc delati viderunt, epidemicum morbum totam jam urbem pervaſiſſe, & incredibil furore per omnes civitatis partes bacchari. Hôc funeſtô ſpectaculò exterriti Religioſi optimum factu putârunt, ſi patriam ſoſpites repeterent, & comitia in aliud tempus comperendinarent. Hac reſolutione facta ſupervenit eis epiſtola à quadam Sanctimoniali Ordinis S. Dominici perſcripta, quæ illo tempore Liſabonæ magna Sanctitatis opinione florebat. Huic S. JOANNES de Matha apparuerat, eique totum, quidquid Romæ agebatur, revelaverat, adjectô mandatô, ut ſuis literis Religioſos Trinitarios ad celebranda comitia incitaret, eiſque immunitatem à peſte polliceretur, ſi ſtatuminandæ Religionis diſciplinæ in ſuis conſeſſibus incumberent.

Hâc epiſtolâ perlectâ Patres Hiſpani, quibus ſanctitas illius religioſæ virginis erat exploratiſſima, nihil dubitârunt Romæ ſubſiſtere, certi, ſe nullâ ſcintillâ hujus peſtilentis incendii afflatum iri. Et ità prorsùs contigit; quamvìs enim Romæ diu moram facerent, nullus tamen eorum luem contraxit, imò licèt abſolutis comitiis Genuæ deindè peſte tactis aſſiſterent, & mors innumeros quotidie homines inſatiabili fame abliguriret, contagio tamen ad illos nunquàm

accedere præſumpſit, pro quo illi beneficio magnas ſanè gratias ſuo ſancto Patriarchæ perſolverunt, qui tam manifeſtô ſubſidiô ſuam Religionem protexit. Hunc eventum prodigioſum R. P. Magiſter Arcos tamquàm teſtis ocularis recenſet, utpote qui unus è numero eorum fuit, quos Vocales appellant: Reliquit autem illum nobis ſcriptum in ſecunda parte vitæ N. V. P. F. Simonis de Royas pag. 494. quam typis evulgavit.

## EPILOGUS HUJUS TERTIÆ PARTIS.

NOn ſolùm Hiſpania, aliæque diſſitæ Provinciæ patrocinium S. P. N. JOANNIS de Matha expertæ fuerunt, ſed & ipſa quóque Germania noſtra frequentiſſimos ab eo favores retulit, & ut alios brevitatis ſtudiô miſſos faciamus, illis ſanè hoſtiis, quæ in honorem SSS. TRINITATIS, & S. P. N. JOANNIS de Matha benedici conſueverunt, tanta multitudo febricitantium hominum ſanitatem recuperavit, ut eorum numerus ægrè iniri queat; cùm enim hæc beneficia adeò frequenter uſuveniant, nemo illis annotandis calamum devovet, imò ipſa prodigia ſua aſſiduitate nobis quaſi vileſcunt, quamvìs vile minimè cenſendum ſit, in quo potentia Divina, & beneficentia S. P. N. JOANNIS de Matha tam clarè eluceſcit, & tot millium morbidorum ſalus conſiſtit. Hoc unicum addidiſſe ſufficiat, fuiſſe non ità pridem feroculum quendam in Viennenſi ſuburbio, quod à Leopoldo Clariſſimæ memoriæ Imperatore nomen habet, qui annô milleſimô, ſeptingenteſimô, trigeſimô, quartô, cùm hujuſcemodi benedictas hoſtias videret, linguam ſuam in earum contemptum exacuit, eáſque non ſinè ſtomacho à ſe rejecit: dedit tamen pœnas temeritatis ſuæ; confeſtim enim febrili ardore inflammatus tantum ſanitatis naufragium fecit, ut omni ſpe vitæ deſtitutus ſacrô Viaticô ad imminentem mortem comparatus fuerit. Tandem cùm alter ei in memoriam revocâſſet cruda dicteria, quæ impiâ linguâ in contemptum S. JOANNIS de Matha effuderat, feriò reſipuit, ſuæque linguæ petulantiam execratus contrito corde veniam à noſtro Sancto poſtulavit, votô inſuper adjectô, ſe munus aliquod ad ejus altare delaturum, ſi ipſius meritis ſanitatem recuperaret. Annuit clementiſſimus Patriarcha noſter afflicti precibus, & quem in ſe contumelioſum juſtè caſtigaverat, eum nunc ſupplicem exaudivit, febriſque moleſtiam ab eo protinùs diſcedere juſſit. Sanitati reſtitutus voto ſuo ſatisfecit, & P. Ubaldo à S. Joanne Nepomu-

*Obtrectator S. JOANNIS de Matha punitur. Annô 1734.*

Digitized by Google

muceno, Ordinis noſtri Sacerdoti rem totam candidè aperuit, cujus Manuſcriptum cùm opportunè nunc nactus fuerim, illud ad verbum referam. Ità verò loquitur: *Anno 1734. accedens ad me quidam Dominus advena, Confeſſione Sacramentali peracta, nec non ſumpta S. Communione publicè edixit, quòd, cùm in civitate Leopoldina multos vidiſſet accipere benedictas hoſtias S. P. JOANNIS de Matha tamquàm remedium ſpirituale contra febres, & adhuc admonitus, ludicrè ſubſannâſſet, ſubitò febribûs ità correptus, ut opus fuerit S. Viaticô eum munire, tandem in ſe reverſus bujus delicti veniam ab eodem Sancto internè flagitans, factóque votô de aliquo offertorio ad ejusdem Sancti aram convaluit.* Hactenùs ſupradictus P. Ubaldus, qui nunc in noſtro Conventu Viennenſi Hierophylacis munere fungitur.

Supereſt proindè, ut cùm Sanctum noſtrum in vita ſua tot cœleſtibûs charismatís à DEO ditatum, & poſt beatam ſuam mortem tot prodigiis ( quorum tamen minimam partem retuli ) glorificatum viderimus, Divinæ Majeſtati ſinceriſſimas gratias perſolvamus pro tot beneficiis, & favoribus, quibûs tam fidelem ſervum ſuum cumulavit. Illud deindè ſequens eſt, ut omnes in noſtris neceſſitatibus magnâ fiduciâ ad patrocinium hujus Sancti confugiamus, eúmque familiari cultu, & quotidianô devotionis tributô nobis demereri ſatagamus; cùm enim naturâ magiſtrâ à noſtris afflictionibus celeriter liberari geſtiamus, neſcio profectò, quì fieri poſſit, ut non ambitiosè hujus Sancti favorem prehenſemus, qui tam promptè ſuis cultoribus ſubvenire conſuevit? Vis nôſſe, quantæ potentiæ, & clementiæ ſit S. P. N. JOANNES de Matha? Agéſis, devotè eum invoca, atque hôc pactô tua te experientia docebit, quod mihi aſſeveranti minimè fortaſſis crederes. En tibi Lector benevole paucis verbis abſconditum theſaurum detexi, cujus pretium latini ſcriptores nimìs parcè hactenùs manifeſtârunt, tu eo nunc tandem aliquando fruere, eúmque in rem tuam converte. Non erit Sanctus noſter in te durus, qui omnibus clientibus ſuis plùs quàm paterna pietatis viſcera exhibere aſſolet. Cæterùm ſi quid in hac tripartita lucubratiuncula mea obſervâſti, quod longô obeliſcô, aut Ariſtarchi ſpongiâ dignum cenſeres, id velim, meæ tenuitati benignè condones, méque tuis Sanctis precibus commendatum habeas, qui etſi fortaſſis effectu tibi minùs profui, affectu tamen ſummopere prodeſſe volui.



Digitized by Google

*Sequentia carmina, quæ tibi nunc offero, in periſtylio noſtri Conventûs Viennenſis ſubſcripta cernuntur imaginibus, vitas SS. Patriarcharum noſtrorum exbibentibus: ea, cùm nondum typîs excuſa fuerint, à plurimis mendis repurgata mantiſſa locô huic operi ſubnectere libuit.*

VIta SS. Patriarcharum noſtrorum JOANNIS de Matha, & FELICIS de Valois, Fundatorum Ordinis SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum ſynopticô verſuum enthuſiasmô taliter adumbrata, ut ſingulis imaginibus, quæ artificiosô penicillô elaboratæ in periſtylio noſtri cœnobii Viennenſis vitas eorundem SS. Patriarcharum exhibent, ſingula epigrammata reſpondeant.

## Vita S. P. N. JOANNIS de Matha.

## IMAGO I.

Martha S. P. N. JOANNIS de Matha Genitrix Beatiſſimæ Virginis MARIÆ oraculô de ſanctitate naſcituri filii ſui edocetur.

*Martha Matris adhuc utero recubante JOANNE*
*Poſtulat auxilium Martha, MARIA Tuum.*
*Poſt pia vota monet Virgo de ſidere viſa:*
*Quem nunc fœta refers Martha Redemptor erit.*

## IMAGO II.

Artibûs liberalibûs eruditur.

*Muſarum vigilare choris ſuadebat acumen,*
*Hinc pater ad ſtudium providus ire jubet.*
*Quid præter ſtudium? ſacra nîl niſi tecta colebat,*
*Haud aliud quid erat quàm pietatis opus.*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO III.

Vitam anachoreticam amplectitur, variísque diaboli tentationibûs exagitatur.

*In deſerta migrat nullo comitante ſodale,*
*Quò non humano ſit via trita pede.*
*Horret, & hoc tolerare nequit teterrimus orcus,*
*Aggreditur variis hunc revocare dolis.*

## IMAGO IV.

Coram imagine Crucifixi Salvatoris noſtri orans jubetur interruptum ſtudiorum curſum repetere.

*Dum fervens orat, loquitur Crucifixus eidem:*
Fili! cor ſtudiis lætificato meum.
*Numinis imperium mox ùt cognoſcere cœpit,*
*Impiger obſequiô ſolvere juſſa parat.*

## IMAGO V.

S. Petri Apoſtoli apparitione recreatur.

*Scandere per celebres ſtimulavit acumen honores,*
*Hoc ſibi pro nihilo, ſub pedibúsque facit.*
*Tum S. Petrus monuit demiſſus ab alto:*
*Sis celer imperio, quod DEUS ipſe jubet.*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO VI.

Theologiæ Doctoris Laureâ coronatur.

*Inter certamen fert Palladis arte triumphos,*
*Quod ſtupet in præſens inſcia turba novum.*
*Laurea ſerta parant victrici præmia fronti,*
*Cui ſimul applaudit cœtus, & ornat opus.*

## IMAGO VII.

Sacris initiatur, ejúsque Sanctitas igneæ columnæ indiciô declaratur.

*Dignior ùt fieret ſapientia tanta JOANNIS,*
*Presbyteri ſacrum juſſus adire gradum.*
*Imponente manus capiti Paſtore JOANNIS*
*Ignea de ſurſum viſa columna fuit.*

## IMAGO VIII.

In prima lithurgia Angelum videt duobûs captivîs utrinque ſtipatum.

*Dum primam Miſſam neo-myſta litavit ad aram,*
*Cœlica contigerat viſio rursùs ei.*
*Angelus in præſens geminos dat compede vinctos.*
*Candida cûi veſtis, crux bicolórque fuit.*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO IX.

Rursùs in eremum ſe confert.

*Antra ſubingreditur nebulas vomitantia tetras,*
*Quæ ſunt haud ipſis invenienda feris.*
*Abdere vivus enim ſe mundo velle peroptat,*
*Quò poſſet meliùs reddere vota DEO.*

## IMAGO X.

In ſuis Concionibus Redemptionem Captivorum commendat.

*Juſtitiæ leges, vitæq; ſalubria juſſa*
*Ex ambone ſacro voce ſonante docet:*
*Quòd ſit Divinum peramata Redemptio munus,*
*Publicat, & miſeris ferre juvamen agit.*

## IMAGO XI.

Ejus operâ prima Redemptio inſtituitur.

*Cœlitùs ergo datum munus primordia ſumit,*
*Dum tibi tolluntur vincula turba DEI!*
*Africa terra docet, quantos ſacer Ordo redemit,*
*Ac hilares patrios fecit adire lares.*

## IMAGO XII.

A ſummo Pontifice in Dalmatiam Legati Apoſtolici nomine mittitur, ibidémque Concilio præſidet.

*Concilium celebrare ſacrum legatur ab urbe,*
*Exequitur fervens hoc pietatis opus.*

*Tum leges ſtatuit Clero, populóque ſalubres,*
*Firmáque conſolidat, debilitata levat.*

## IMAGO XIII.

### Pecunia pro redimendis Captivis ei cœlitùs ſuppeditatur.

*Ob nummos cadit gens barbara fuſte JOANNEM,*
*Sed fuit auxilio Virgo MARIA ſuo.*
*Nec ceſſat rabies, ſcindit quoque nautica vela,*
*Aſt extenſa chlamys nautica vela dabat.*

## IMAGO XIV.

### Nefandam Albigenſium hæreſim Apoſtolico fervore debellat.

*Hæretico fuerat tunc dogmate Gallia preſſa,*
*Contra quod pandit dogmata vera DEI.*
*Inquiſitoris ſimul eſt & munere functus,*
*Ut deteſtandum tollat ab inde malum.*

## IMAGO XV.

### Felici morte in cœlum evolat.

*Venit ad extremum correptus febre JOANNES,*
*Totus amore DEI mortis adivit iter.*
*Inſontis vitæ ſcandit ſuper æthera victor,*
*Fulgida quem Superûm lux comitata fuit.*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO XVI.

Poſt obitum ſuum innumerîs claret miraculîs.

*Ad tumulum demum dant lipſana dona ſalutis,*
*Cæcus habet viſum, claudus & ire poteſt.*
*Laus ſummæ TRIADI tribuenti præmia juſtis:*
*Huic Patri Sancto ſit quoque laudis honor.*

# Vita S. P. N. FELICIS de Valois.

## IMAGO I.

Eleonora S. P. N. FELICIS nobiliſſima mater, dum precibus vacat, cœleſti revelatione futuram ſanctitatem filii ſui, quem in utero geſtabat, cognoſcit.

*Eleonora precans quod quærit, ſomnus adumbrat,*
*Oedipus arcanum detegit Hugo ſacer.*
*Filius eſt FELIX mutans cruce candida ſerta,*
*Auſpice quo Cruciger prodeat Ordo ſacer.*

## IMAGO II.

S. P. N. FELIX de Valois in tenera adhuc ætate conſtitutus ſua benedictione panes multiplicavit.

*Pauperies inopes urgebat adire potentes,*
*Et pariter preſſis nulla medela fuit.*



Digitized by Google

*Ingrediens tandem nutrix penuaria clauſtra,*
*Vi manuum pueri multiplicavit opes.*

## IMAGO III.

In alia occaſione famem eodem remedio profligavit.

*Aret terra fame, pluviam quia ſidera celant,*
*In manibus pueri dulce levamen adeſt.*
*Per pueri dextram nutrix benedixerat agris.*
*Dúmque famem pellit, fama per ora volat.*

## IMAGO IV.

Sapidioribûs obſoniîs ori proprio ſubtractîs pauperes adoleſcentes cibavit.

*A teneris miſeros epulò recreabat opimò*
*Nec vacuum quemquam paſſus abire domo.*
*Mollia de tenero velamina corpore ponit.*
*Ut nudis gratam ſuppeditaret opem.*

## IMAGO V.

Ciſterc. biſterl. Tit. 27. fol. 959.

Sub diſciplina D. Bernardi prima ſanctioris vitæ fundamenta poſuit.

*Mellifluus Doctor FELICI dogmata pandit*
*Et crucis ad cœlum currere monſtrat iter.*
*Bernardina brevì FELIX pia combibit acta,*
*Expreſſit mores, munera, geſta, fidem.*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO VI.
### Mortuum reſuſcitat.

*Præcipitatur equô juvenis, moriturque repentè,*
*Hunc revocat FELIX Omnipotentis ope.*
*Hôc obſtrictus erat vinclo, cum tempore fœnus*
*Ut ſolvat, redimens agmina capta DEI.*

## IMAGO VII.
### In aſperam Brodeliæ eremum ſecedit.

*Antra colit FELIX Brodelia, ſpernit honores,*
*Et ſtrepitus mundi, regia ſceptra, thronos.*
*Vixit bis denos in montibus abditus annos,*
*Et ſolus ſoli ſolvere vota ſtudet.*

## IMAGO VIII.
### S. P. N. JOANNES cœleſtî oraculô admonitus FELICEM in eremo quæſivit.

*Quærere FELICEM cœleſti voce JOANNES*
*Juſſus, & invento jungitur ipſe comes.*
*Auſpicium cervus cruciger præſentat ad amnem,*
*Hinc referunt ſummo myſtica viſa Patri.*



Digitized by Google

## IMAGO IX.

Romam ſimul proficiſcuntur, & à ſummo Pontifice officioſiſſimè excipiuntur.

*Ingreſſi Romam, venerato Præſule ſummo,*
*Curvato memorant poplite viſa ſibi.*
*Qui ſpe ſolatur Patres, Numénque rogare*
*Admonet, ac ſpondet ſancta petita lubens.*

## IMAGO X.

Ordo SSS. TRINITATIS de Redemptione Captivorum inſtituitur.

*Ergo Pater ſummus dum ſacrifer adſtat ad aram,*
*Adſtat & Angelicus teſtis ab axe datus.*
*Inclyta firmavit redimendi munera Præſul,*
*Aſſeruitque novos Ordinis eſſe Patres.*

## IMAGO XI.

SS. Patres noſtri candida veſte, bicolore cruce inſignita, ab ipſo ſummo Pontifice induuntur.

*Confertur bicolor crux, candida veſtis Alumnis,*
*Et TRIADI primus dicitur Ordo ſacer.*
*Poſt hæc Myſta pius Divina oracula fundit:*
Hic eſt à ſolo conditus Ordo DEO.

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO XII.

### Regula propria conſcribitur.

*Præſul, & Abbates gemini meditantur amuſſim*
*Parriſiis, condunt, Roma vigere facit.*
*Regula conſociat Patres, quos mutuus ante*
*Junxerat ardenter Relligionis amor.*

## IMAGO XIII.

### Virgo DEIpara Trinitario habitu conſpicua cum S. P. N. FELICE Matutinas preces in Choro decantat.

*Dum ſopor altus habet Fratres in Virginis ortu,*
*Solus adeſt FELIX præveniendo chorum.*
*Adſuit alma choro Mater, ſimul agmina Divûm,*
*Jungitur his FELIX, ſolvit & ore melos.*

## IMAGO XIV.

### S. P. N. FELIX de Valois beato tranſitu ex hoc mundo emigrat.

*Et labor, & ſenium FELICEM ad fata redegit,*
*Hinc meritis plenos optat obire dies.*
*Fundit in amplexu CHRISTI ſpiracula vitæ,*
*Corpus humo reddit, Spiritus aſtra petit,*

IMA-

Digitized by Google

## IMAGO XV.

### Poſt mortem apparet S. P. N. JOANNI de Matha.

*Apparet Romæ FELIX poſt Fata JOANNI,*
*Mortem felicem nunciat ipſe ſuam.*
*Jam ſe ſignificat Superûm conſcendere regna,*
*Et Divûm lætis appropiare choris.*

*Sequens Chronodiſtichon annum exprimit, quo S. Religio noſtra DEI nutu fundata fuit.*

reLLIgIo trIaDos nVtV eſt fVnData ſVperno,
aVthor & IpſIVs qVIs fVIt? aLta trIas.

IN-

Digitized by Google

# INDEX
## LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
*Quæ in hoc libro explicantur.*

### GENESIS.


Cap. 1. v. 3. Dixit DEUS fiat lux. fol. 270.
v. 26. Faciamus hominem . . . ut præſit &c. fol. 291.
Cap. 2. v. 2. Requievit Dominus die ſeptimo &c. fol. 160.
v. 7. Formavit igitur Dominus DEUS hominem. fol. 270.
v. 22. Tulit unam de coſtis ejus, & ædificavit &c. fol. 145.
Adduxit eam ad Adam. fol. 296.
v. 23. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro &c. fol. 296.
Cap. 6. v. 28. Ingredieris Arcam tu, & filii tui &c. fol. 197.
Cap. 8. v. 4. Requievitque Arca ſuper montes Armeniæ. fol. 290.
Cap. 27. v. 27. Ecce odor filii mei ſicut odor agri &c. fol. 71.
v. 29. Serviant tibi populi, & adorent &c. fol. 71.
Cap. 28. v. 18. Erexit Jacob lapidem in titulum &c. fol. 159. 186.
v. 40. Unô tantum Regni ſoliô te præcedam. fol. 80.
v. 45. Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. fol. 80.
v. 44. Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio &c. fol. 188.
v. 45. Vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi. fol. 80.
v. 55. Ite ad Joſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite. fol. 80.
Cap. 47. v. 29. & 30. Non ſepelias me in Ægypto &c. fol. 80. 138. 173.
v. 31. Jura ergo mihi. fol. 298.
Cap. 48. v. 22. Do tibi partem unam extra fratres tuos. fol. 164.
Cap. 49. v. 29. Sepelite me in ſpelunca duplici, quæ eſt &c. fol. 298.
Cap. 50. v. 24. Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. fol. 80.
v. 25. Mortuus eſt, & conditus aromatibûs repoſitus eſt in loculo in Ægypto. fol. 79.


### EXODI.


Cap. 4. v. 10. Obſecro Domine, non ſum eloquens. fol. 180.
Cap. 13 v. 19. Tulit Moyſes oſſa Joſeph ſecum. fol. 79.


### NUMERORUM.


Cap. 27. v. 8. Turgentibûs gemmîs erupe-rant flores, qui foliîs. fol. 69.


### DEUTERONOMII.


Cap. 33. v. 21. Benedictus in latitudine Gad, & vidit Principatum ſuum, quod &c. fol. 137. 195.
Cap. 34. v. 6. Jubente Domino . . . Non cognovit homo ſepulchrum ejus. fol. 166.

***


## JOSUE.

Cap. 10. v. 14. Non fuit anteà, nec poſteà tam longa dies. fol. 260.
Cap. 14. v. 3. Duabus enim Tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Jordanem. fol. 58.
Cap. 24. v. 30. Congregavit Joſue omnes Tribus Iſraël in Sichem. fol. 46.
v. 32. Oſſa quoque Joſeph ſepelierunt in Sichem. fol. 308.

## JUDICUM.

Cap. 5. v. 19. Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla aſini. fol. 238.

## I. REGUM.

Cap. 18. v. 1. Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David. fol. 298.
Cap. 18. v. 18. Hoc erit monimentum nominis mei, quia non habeo &c. fol. 258.

## II. REGUM.

Cap. 6. v. 14. Saltabat totis viribûs. f. 64.
v. 15. David, & omnis domus Iſraël ducebant Arcam in jubilo. fol. 66.
v. 17. Impoſuerunt eam in loco ſuo. fol. 66.
Cap. 21. v. 12. Abiit David, & tulit oſſa Saul, & oſſa Jonathæ. fol. 297.
Cap. 22. v. 8. Sedens in Cathedra ſapientiſſimus. fol. 217.

## III. REGUM.

Cap. 3. v. 10. Ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te &c. fol. 234.
Cap. 13. v. 1. Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam &c. fol. 218.
v. 30. Poſuit cadaver ejus in ſepulchro ſuo. fol. 218.

## IV. REGUM.

Cap. 2. v. 9. Fiat in me duplex ſpiritus &c. fol. 252.
v. 14. Ubi eſt DEUS Eliæ etiam nunc. fol. 192.
Cap. 4. v. 25. usque ad 30. Venit ad virum DEI &c. fol. 225.
Cap. 13. v. 21. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei revixit homo. fol. 151. 192.
Cap. 20. v. 6. Protegam urbem iſtam propter David &c. fol. 152.
Cap. 23. v. 18. Nemo commoveat oſſa ejus. fol. 302.

## JOB.

Cap. 10. v. 11. Pelle, & carnibûs veſtiſti me, oſſibûs, & nervis &c. fol. 72.
Cap. 38. v. 7. Ubi eras, cùm me laudarent ſimul aſtra &c. fol. 313. 315.
v. 12. Oſtendiſti auroræ locum ſuum? fol. 313.

## PSALMORUM.

Pſal. 8. v. 6. Minuiſti eum paulò minùs ab angelis &c. fol. 321.
Pſal. 18. v. 1. Cœli enarrant gloriam DEI. fol. 203. 286.
Pſal. 23. v. 7. Attollite portas principes &c. fol. 305.
Pſal. 37. v. 4. Non eſt pax oſſibus meis. fol. 237.
Pſal. 44. v. 17. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. fol. 298.
Pſal. 50. v. 10. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa &c. fol. 56.
Pſal. 54. v. 8. Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. fol. 324.
Pſal. 67. v. 1. Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus. fol. 129.
v. 14. Pennæ columbæ deargentatæ. fol. 129.
Pſal. 71. v. 6. Sicut pluvia in vellus. fol. 200.
v. 11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ &c. fol. 326.
Pſal. 72. v. 25. Defecit caro mea, & cor meum DEUS cordis mei &c. fol. 171.
Pſal. 75. v. 2. Notus in Judæa DEUS &c. fol. 210.
Pſal. 76. v. 11. Hæc mutatio Dexteræ Excelſi. fol. 143.


Pſal.

Pſal. 82. v. 4. Cogitaverunt adverſus Sanctos &c. fol. 271.
Pſal. 83. v. 2. Quàm dilecta tabernacula &c. fol. 263.
v. 3. Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM &c. fol. 50.
Pſal. 84. v. 8. Salutare tuum da nobis. fol. 208.
Pſal. 101. v. 26. Opera manuum tuarum ſunt cœli. fol. 286.
Pſal. 103. v. 11. Expectaverunt onagri in ſiti ſua fol. 238.
Pſal. 109. v. 1. Dixit Dominus Domino meo. fol. 276.
Pſal. 117. v. 16. Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini &c. fol. 53.
v. 21. A Domino factum eſt iſtud. fol. 144.
v. 22. Lapidem quem reprobaverunt &c. fol. 53.
v. 27. Conſtituite diem ſolemnem in condenſis usque &c. fol. 316.
Pſal. 118. v. 166. Expectabam ſalutare tuum Domine. fol. 208.
Pſal. 121. v. 4. Illuc enim aſcenderunt Tribus, tribus Domini. fol. 265.
Pſal. 131. v. 1. Memento Domine David. fol. 118. & per alia plura.
v. 13. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam &c. fol. 325.
Pſal. 138. v. 15. Non eſt occultatum os meum à Te. fol. 289.
Pſal. 143. v. 10. Qui redemiſti David ſervum tuum &c. fol. 276.
Pſal. 150. v. 1. Laudate Dominum in Sanctis ejus. fol. 57.
v. 5. In cymbalis benè ſonantibus? fol. 57.

## PROVERBIORUM.

Cap. 4. v. 18. Juſtorum autem ſemita quaſi lux . . . creſcit. fol. 314.
Cap. 8. v. 14. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia. fol. 182.
Cap. 17. v. 6. Corona ſenum filii, & gloria filiorum Patres eorum. fol. 224. 279.
Cap. 22. v. 9. Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera. fol. 131.
Cap. 23. v. 26. Præbe fili mi, cor tuum mihi. fol. 171.
Cap. 25. v. 27. Scrutator Majeſtatis opprimetur à gloria. fol. 43.

## ECCLESIASTES.

Cap. 1. v. 7. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur. fol. 299.

## CANTICORUM.

Cap. 2. v. 10. Surge, propera amica mea. fol. 248.
v. 11. Jam hyems tranſiit &c. fol. 292.
Cap. 3. v. 4. & 5. Ne ſuſcitetis dilectam, donec &c. fol. 232.
v. 4. Tenui eum, nec dimittam. fol. 246.
v. 4 Inveni, quem diligit anima mea. fol. 246. 248.
v. 7. En lectulum Salomonis. fol. 236.
v. 9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon. fol. 119. 233.
Cap. 4. v. 12. Hortus concluſus, fons ſignatus. fol. 209.
Cap. 6. v. 12. Revertere, revertere Sunamitis. fol. 329.
Cap. 8. v. 1. Quis mihi det te, ut inveniam te foris. fol. 226.
v. 2. Apprehendam te, & introducam &c. fol. 227.
v. 6. Dura ſicut infernus æmulatio. fol. 277.

## SAPIENTIÆ.

Cap. 7. v. 26. Imago bonitatis illius. fol. 174.
Cap. 18. v. 1. Sanctis autem tuis erat lux maxima. fol. 274.
v. 14. Cùm ſilentium contineret omnia. fol. 232.



Digitized by Google

## ECCLESIASTICI.


Cap. 42. v. 8. Datum verò, & acceptum omne deſcribe. fol. 116.
Cap. 48. v. 14. Mortuum prophetavit corpus ejus. fol. 78.
v. 15. in vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia. fol. 78.
Cap. 49. v. 12. Pullulent de loco ſuo. fol. 114.
v. 18. Oſſa ipſius viſitata ſunt. fol. 147. 150.
v. 27. Joſeph natus eſt homo. fol. 165.


## I S A I Æ.


Cap. 6. v. 1. & 2. Solium excelſum, & elevatum. fol. 256.
v. 3. Sanctus, Sanctus. fol. 146.
Cap. 11. v. 10. In illa die radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum &c. fol. 51.
v. 10. Et erit ſepulchrum ejus glorioſum. fol. 317.
Cap. 22. v. 20. In die illa vocabo ſervum meum Eliacin. fol. 327.
Cap. 33. v. 20. Reſpice Sion civitatem ſolemnitatis noſtræ &c. fol. 59.
Cap. 40. v. 5. Revelabitur gloria Domini. fol. 280.
Cap. 43. v. 1. & 2. Redemi te . . . meus es tu. fol. 276.


## J E R E M I Æ.


Cap. 1. v. 7. Neſcio loqui, quia puer &c. fol. 180.


## THRENORUM.


Cap. 3. v. 20. Memoriâ memor ero. fol. 58


## EZECHIELIS.


Cap. 1. v. 23. Unumquodque duabis alis velabat ſuum, & alterum corpus. fol. 257.


## O S E Æ.


Cap. 12. v. 3. Directus eſt cum Angelo. fol. 180.


## II. MACHABÆORUM.


Cap. 1. v. 22. Tempus affuit, quo ſol reſulſit. fol. 289.


## M A T T H Æ I.


Cap. 1. v. 21. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum &c. fol. 175.
Cap. 2. v. 10. Et gaviſi ſunt gaudiô magnô. fol. 160.
Cap. 3. v. 17. Hic eſt filius meus dilectus. fol. 168.
Cap. 5. v. 9. Beati pacifici, quoniam &c. fol. 251.
v. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus &c. fol. 272.
Cap. 6. v. 21. Ubi eſt theſaurus tuus &c. fol. 172.
Cap. 8. v. 16. Omnes malè habentes curavit. fol. 176.
Cap. 10. v. 18. Ad præſides, & ad reges ducemini. fol. 294.
v. 5. & 6. In viam gentium ne abieritis: ſed potiùs ite ad oves &c. fol. 294.
v. 22. Qui autem perſeveraverit usque in finem &c. fol. 239.
Cap. 13. v. 44. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. fol. 141.
Cap. 16. v. 14. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? fol. 167.
v. 17. Tu es Chriſtus filius DEI vivi. fol. 219.
v. 17. Caro & ſanguis non revelavit tibi. fol. 168.
Cap. 17. v. 1. & 2. In montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt &c. fol. 219.
Cap. 21. v. 19. Secus viam . . . nunquam ex te &c. fol. 283.
Cap. 24. v. 28. Ubicunque fuerit corpus, il-


Digitized by Google

illic congregabuntur & aquilæ. fol. 137.
Cap. 26. v. 7. Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum &c. fol. 303.
v. 12. Ad ſepeliendum me fecit. fol. 303.
v. 26. Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. fol. 77. 269.
Cap. 27. v. 57. Homo dives ab Arimathea nomine Joſeph, ipſe diſcipulus erat JESU. fol. 308.
v. 60. Poſuit illud in monumento ſuo novo. fol. 144.
v. 61. Erat ibi Maria Magdalena &c. fol. 305.
v. 66. Muniverunt ſepulchrum .... ſignantes lapidem. fol. 63.
Cap. 28. v. 6. Venite, & videte locum. fol. 53. 305.
v. 9. Acceſſerunt, & adoraverunt. fol. 63. 169.
v. 19. Baptizantes eos in nomine &c. fol. 175.
v. 20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibûs diebûs &c. fol. 133. 169. 239.

## MARCI.

Cap. 15. v. 43. Audacter introivit ad Pilatum. fol. 144. 172. 307.
v. 45. Donavit corpus Joſeph. fol. 144. 172.
v. 46. Poſuerunt eum in monumento. fol. 44. 320.
Cap. 16. v. 1. Ut venientes, ungerent JESUM. fol. 44
v. 6. JESUM quæritis Nazarenum. fol. 53.

## LUCÆ.

Cap. 1. v. 30. Concipies in utero. fol. 245.
v. 35. Quod enim ex te naſcetur &c. fol. 168.
v. 66. Poſuerunt in corde ſuo. fol. 58.
Cap. 2. v. 25. Homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon &c. fol. 208.
Cap. 5. v. 8. Exi à me, quia homo peccator ſum. fol. 242.
Cap. 10. v. 40. Reliquit me ſolam .... dic ergo &c. fol. 244.
Cap. 13. v. 6. Plantatam in vinea. fol. 282.
Cap. 15. v. 9. Convocat amicas .... Congratulamini &c. fol. 46.
Cap. 23. v. 46. Commendo ſpiritum meum. fol. 201.
v. 50. Qui erat vir bonus .... & juſtus. fol. 278.
Cap. 24. v. 21. Nos autem ſperabamus. fol. 53.
v. 26. Nónne oportuit pati Chriſtum, & ità intrare &c. fol. 322.
v. 37. Exiſtimabant ſe ſpiritum videre. fol. 73.
v. 39. Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. fol. 73. 168.

## JOANNIS.

Cap. 1. v. 10. Et mundus eum non cognovit. fol. 164.
v. 12. Dedit poteſtatem filios DEI fieri. fol. 239.
v. 14. Vidimus gloriam ejus, quaſi &c. fol. 194.
Cap. 2. v. 10. Bonum vinum ſervâſti usque adhuc. fol. 136.
Cap. 6. v. 28. Hunc enim PATER ſignavit DEUS. fol. 275.
v. 57. In me manet. fol. 161.
v. 59. Qui manducat hunc panem. fol. 77.
v. 59. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. fol. 212.
v. 61. Durus eſt hic ſermo. fol. 167.
Cap. 10. v. 10. Ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. fol. 212.
Cap. 11. v. 44. Ligatus pedes, & manus. fol. 301.
Cap. 12. v. 28. Clarificavi, & iterum clarificabo. fol. 323.
Cap. 13. v. 3. Omnia dedit ei PATER in manus. fol. 174.
v. 23. Quem diligebat JESUS. fol. 255. & 282.

Cap. 14. v. 8. Oſtende nobis PATREM, & ſufficit nobis. fol. 138.
v. 17. Vos autem cognoſcetis eum. fol. 221.
v. 18. Non relinquam vos orphanos. fol. 149.
v. 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. fol. 307.
Cap. 15. v. 14. Vos amici mei eſtis. fol. 239.
Cap. 16. v. 6. Vado, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? fol. 148.
v. 17. Exivi à PATRE, & veni in hunc mundum. fol. 194.
Cap. 19. v. 11. Non haberes in me poteſtatem &c. fol. 172.
v. 19. JESUS Nazarenus Rex &c. fol. 49.
v. 27. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam. fol. 170.
v. 34. Unus militum lanceâ latus ejus &c. fol. 253.
v. 34. Continuò exivit ſanguis &c. fol. 299.
Cap. 20. v. 4. Currebant duo ſimul. fol. 63.
v. 15. Mulier, quid ploras? fol. 157.
v. 15. Si tu ſuſtuliſti eum, dicito &c. fol. 168. 244. 303.
v. 17. Noli me tangere. fol. 228.
v. 19. & 20. Erant diſcipuli congregati ... oſtendit eis manus, & latus. fol. 74.
v. 25. Niſi videro in manibus ejus &c. fol. 74.
v. 27. Vide manus meas &c. fol. 74.
v. 28. Dominus meus, & DEUS meus. fol. 306.
Cap. 21. v. 20. Recubuit ſupra pectus JESU. fol. 255. 282.


### ACTORUM.


Cap. 2. v. 29. Patriarcha David defunctus eſt, & ſepulchrum eſt apud nos. fol. 217.
v. 2. Factus eſt repentè de cœlo ſonus &c. fol. 200.
Cap. 7. v. 49. Cœlum mihi ſedes eſt. fol. 203.


### AD ROMANOS.


Cap. 8. v. 17. Filii, & hæredes. fol. 259.
v. 23. Nos ipſi primitias ſpiritus habentes &c. fol. 224.
v. 23. Gemimus expectantes Redemptionem corporis noſtri. fol. 224. 275.
v. 29. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit &c. fol. 175.
Cap. 15. v. 3. Chriſtus non ſibi placuit. fol. 201.


### I. AD CORINTHIOS.


Cap. 6. v. 15. Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? fol. 320.


### II. AD CORINTHIOS.


Cap. 2. v. 15. Chriſti bonus odor ſumus. fol. 71.


### AD GALATAS.


Cap. 2. v. 20. Vivo ego, jam non ego. fol. 280.


### AD EPHESIOS.


Cap. 4. v. 10. Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit. fol. 320.
Cap. 5. v. 15. Non quaſi inſipientes, ſed ùt ſapientes, redimentes tempus. fol. 123.


### II. AD TIMOTHEUM.


Cap. 1. v. 11. In quo poſitus ſum ego Prædicator Apoſtolus &c. fol. 158.


### AD HEBRÆOS.


Cap. 1. v. 3. Figura ſubſtantiæ ejus. fol. 280.


APO-

## APOCALYPSIS.

Cap. 5. v. 1. In dextera ſedentis. fol. 190.
v. 5. Ecce vicit leo, aperire librum. fol. 190.
Cap. 6. v. 1. Et vidi, quòd aperuiſſet agnus. fol. 190.
v. 2. Ecce equus albus,& qui ſedebat &c. fol. 222.
v. 12. Sol factus eſt .... tamquàm ſaccus cilicinus. fol. 261.


# INDEX

## *Rerum memorabilium in hoc libro contentarum.*


### A.

*Advocatus* eſt S. JOANNES de Matha totius Hiſpaniæ, quia S. Corpus ejus in illa aſſervatur. fol. 187 & ſequentibus.
*Admiratio* naſcitur ex novitate. fol. 53.
*Agatho* Epiſcopus, quomodo Corpus S. Bartholomæi Apoſtoli exceperit. fol. 229.
*Agonizantes* Altare, & ornatus illius, quod erexerunt RR. PP. Agonizantes. fol. 108.
*Alexander* Magnus grandi magnificentiâ corpus S. Prophetæ Jeremiæ collocavit. fol. 216.
*Alexandria* ab excidio liberata fuit propter cineres Aſii. fol. 197.
R. N. P. *Alexander à Conceptione* N. S. Ord. Generalis eximius Promotor cultûs S. P. N. JOANNIS. fol. 87. 90. 96. 94. 122. & ſæpiùs.
*Altare* quod fecerunt RR. FF. Miſericordiæ ejusdémque ornatus. fol. 103.
*Amantes* extenuant ſua obſequia, quando illa amati celebrant. fol. 237.
*Amicitia* quomodò definita fuerit à priſcis Philoſophis. fol. 247.
*Amor* nequit otioſus eſſe. fol. 44.
Eò magis excreſcit, quò major ipſi cum amante ſimilitudo intercedit. fol. 279.
Eſt pondus, quod amantem ad amatum ſuaviter detrudit. fol. 305.
*Anaël* regit, ac gubernat planetam Veneris. fol. 206.
*Aquæ* ſunt ſymbolum populorum. fol. 115.
*Arca Teſtamenti* in variis locis collocata fuit. fol. 64.
Deſcriptio interioris Arcæ, in qua Corpus S. JOANNIS de Matha quieſcit. fol. 92.
Deſcriptio Arcæ exterioris, ejúsque Architecturæ. fol. 93.
Arcæ celebres ſunt. Arca Noë, Arca veteris Teſtamenti, & Arca S. P. N. JOANNIS. fol. 121. & ſeq.
*Arcus Triumphales* apud veteres ſigna erant ingentium meritorum. fol. 257.
*Area.* Deſcriptio elegantiſſimi Altaris, quod PP. Trinitarii Excalceati in ſua area condiderunt. fol. 100.
*Athenienſes* oſſa eorum, qui in bellis occubuerant, arcis includebant. fol. 127.
*Auguſtiniani.* Altare RR. PP. Calceatorum hujus Ordinis, ejúsque ornatus. fol. 108.
Altare RR. PP. Diſcalceatorum ejusdem Ordinis. fol. 103.
*Agcris.* Quomodo aures gaudere poſſint. fol. 56.
*Avis* figura eſt pii Religioſi. fol. 51.
Penes ſepulchrum Orphei ſuaviùs quàm alibi cantant. fol. 124.

### B.

*Bel.* Idolum antiquum. fol. 157.
*Beneficium* receptum profundè memoriæ eſt imprimendum. fol. 59.


Si

Si citò obtinetur, vileſcit: diu dilatum, deſiderium acuit. fol. 136.
Voluntatem illius, qui beneficiò afficitur, in captivitatem redigit. fol. 301.
Qui alteri beneficium confert, illud non tanquàm alienum, ſed tanquàm proprium reſpicere debet. Ibid.

## C.

*Cajetani.* Altare, quod erexerunt RR. PP. Cajetani, ejúsque ornatus. fol. 105.
*Campana* quotquot in urbe Madritenſi reperiuntur, pulſatæ fuerunt ob Declarationem Identitatis Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 40.
Romæ prodigioſus earum pulſus ortus eſt in noſtro Conventu, cùm noctu Corpus S. Patriarchæ noſtri penès illum transferretur. fol. 28.
Earum linguæ æquivalent labiis. f. 56.
*Capitulum* S. Petri corpus S. JOANNIS de Matha donat Trinitariis Excalceatis. fol. 86.
Capitulum Parochorum, aliorúmque Presbyterorum ſæcularium ſuâ præſentiâ honorat Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 310.
*Capucini.* Altare RR. PP. Capucinorum ejúsque mirificus ornatus. fol. 110.
*Carolus. V.* Quale lemma columnis Herculis impoſuerit, quando priorem earum inſcriptionem ſuſtulit. fol. 227.
*Cenſura* contra illos fulminatæ fuerunt, qui Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha clanculum ſurripuerunt. fol. 31.
*Chriſtus*, Syllabus eorum, qui jus aliquod in ſacratiſſimum ejus corpus allegârunt. fol. 255.
In ſpecie globi lucidiſſimi S. Joanni morienti apparet. fol. 18.
*Civitas.* Felix dicenda eſt, quæ in ſuo gremio Reliquias alicujus Sancti complectitur. fol. 152. & ſeq.
*Clavis.* Quibusnam datæ fuerint claves Arcæ, Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha continentis. fol. 96.
*Cœli* prædicant gloriam DEI. fol. 203 & ſeq.
*Columba* hanc avem veteres Paleſtinæ incolæ ceu deam venerabantur. fol. 120.
*Comadorum.* ſplendidiſſimum Altare, ejúsque exquiſitus ornatus. fol. 102.
*Communitas.* Omnes Communitates Religioſæ adfuerunt Feſtis, ob donationem, & collocationem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha celebratis. fol. 61.
*Concilium* in Dalmatia, cui præſedit S. P. N. JOANNES de Matha. fol. 18.
Interfuit quoque Lateranenſi. fol. 18.
*Concordia* inter PP. Trinitarios Calceatos, & Diſcalceatos circa Corpus ſui S. Patriarchæ. fol. 32.
*Conditio* ſub qua Ordini noſtro donatum fuit Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 89.
*Congregatio* JESUS Nazareni. Altare, quod extruxit, ejúsque ornatus. fol. 111.
*Conſilium* Regium Caſtellæ Feſtivitatem quartæ diei in honorem S. P. N. JOANNIS de Matha celebravit. fol. 179.
Idem fecit ſupremum Conſilium S. Inquiſitionis die quinta. fol. 207.
*Conſolatio* magna eſt, ſi id inveniatur, quod avidè quæritur. fol. 226.
*Contentio* quæ exarſit propter arma Achillis. fol. 228.
*Contradictiones* magnæ emerſerunt adversùs declarationem Identitatis Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 35.
*Cor* apud veteres fuit hieroglyphicum ſepulchri. fol. 149.
*Corona* hanc conſequuntur Trinitarii Diſcalceati ob tres triumphos. fol. & ſeq.
*Corpus* S. P. N. JOANNIS de Matha Innocentius III. P. M. in magnifico ſepulchro marmoreo collocavit. fol. 20.



Digitized by Google

Diſtillavit magnam copiam fragrantiſſimi olei. fol. ibid.
Permanſit Romæ ultra quatuor ſæcula. fol. 45.
Furtô ablatum ex Eccleſia S. Thomæ de Formis, & quomodò. fol 24 & ſeq.
Madriti ſub forma Depoſiti ſexaginta ſex annis aſſervatum fuit. fol. 45.
Tribûs vicibûs Eccleſia ei Sanctorum honores decrevit. fol. 257.
Hiſpaniæ novus ſplendor ex ejus poſſeſſione accedit. fol. 268.
*Crux.* Ornatus, quo area Parochialis Eccleſiæ S. Crucis refulſit. fol. 106.
*Cultus* tribûs vicibûs negatus fuit Corpori S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 53.
*Cura* in tranquillitatem convertitur, quando poſſeſſio illius rei obtinetur, quæ avidè deſiderabatur. fol. 17.

D.

*Dalmatia.* Ad hoc regnum miſſus fuit à ſummo Pontifice S. P. N. JOANNES de Matha, ubi etiam cuidam Concilio Præſedit. fol. 18.
*Dare.* Quod datur, & recipitur pro æterna memoria ſolicitè eſt litteris annotandum fol. 116.
Qui aliquid dat, victoriam, & honorem conſequitur fol. 131.
*David* eſt imago Superioris. Fol. 66.
S. Petrus de ejus ſepulcluri poſſeſſione ſibi gratulatus eſt. Fol. 217.
Vovit Deo templum ædificare, & inſudat probare Arcæ identitatem. Fol. 28.
*Declaratio* Identitatis Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 35.
Decretum hujus Declarationis. Fol. 36.
*Defenſio* adverſus imminentia mala eſt Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 129.
*Depoſitum* eo prorſus modô eſt repetendum, quo traditum fuit Fol. 34.
*Deſiderium*. quantò eſt ardentius, tantò celeriùs ad rem cupitam tendit. Fol. 39.
*Devotus* quidam Altare conſtruxit, cujus ornatus deſcribitur. Fol. 101.
*Diogenes* immodicô gaudiô confectus obiit. Fol. 210.
*Diſcalceata Familia Trinitaria* eſt mons Sion, quem ejus S. Patriarcha inhabitare elegit. Fol. 119.
Per poſſeſſionem ejus S. Corporis ad ſuum *Auge* conſcendit. Fol. 227.
Prophetico ſpiritu vaticinatus eſt noſter V. Reformator F. Joannes à Conceptione, eam conditam fuiſſe pro cultu ſuorum SS. Patriarcharum augendo. Fol. 165.
Evicit Declarationem eorum cultûs immemorabilis. Fol 249.
Jus habet ad poſſeſſionem Corporis ſui S. Patriarchæ, quia ejus Magiſter, & Pater fuit. Fol. 306 & ſeq.
Obtenta poſſeſſione ejus S. Corporis meliorem ſtatum obtinuit. Fol. 165.
*Diſcipuli.* quidam de Identitate Corporis Chriſti dubitârunt. Fol. 73.
*Diſcreti* ſunt illi dicendi, qui nôrunt tempus redimere. Fol. 123.
*Divitiæ* Excalceatorum Trinitariorum omnes ſunt repoſitæ in poſſeſſione Corporis ſui S. Patriarchæ. Fol 277.
*Doctor Eminens* Pariſiis appellatus fuit S P. N. JOANNES de Matha. Fol. 18.
*Dolor* S. Mariæ Magdalenæ pro delirio reputatus fuit. Fol. 44.
*Dominica dies* illa eſt, quæ apud veteres nomen à Sole habuit. Fol. 260.
*Dominicani.* Altare, & ornatus illius, quod excitaverunt RR. PP. Dominicani. Fol. 106.
*Dominium* tres actus diſtinctos in ſe complectitur, proprietatem nimirum, poſſeſſionem, & uſumfructum. Fol. 267.
*Donatio* transfert dominium rei donatæ in eum, qui donum aliquod accipit. Fol. 274.
Duæ ſpecies donationis. Fol. 237.
Illa donatio eſt glorioſiſſima, qua totum in alterum transfunditur. Ib. & ſeqq.



Digitized by Google

*Largitio*, qua Capitulum Vaticanum Trinitariis Diſcalceatis Corpus S. JOANNIS de Matha dedit, fuit vera Donatio. Fol. 88.
Sed fuit pariter reſtitutio. Fol. 172. & ſeq.
Inſtrumentum hujus Donationis. Fol. 88.

*Donum* animum ejus abripit, qui donum accepit. Fol. 131.
Donum, quo totum alteri datur, eſt ſignum ſingularis amoris. Fol. 183.

*Dos*, Dotes naturæ, aut gratiæ aliis communicare, eſt peculiare amoris argumentum. Fol. 183. & ſeq.
Nequeunt ſimul conſiſtere libertas eas communicandi cum anxiis deſideriis eas quærendi. Fol. 245 & ſeq.

*Dux de Medina Cæli* ſolemni Feſtivitate honoravit Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 230.
Ejus Excellentiſſima conjux urnam hujus S. Corporis pretioſiſſimis cimeliis exornavit. fol. 42.

## E.

*Eccleſia* noſtri Conventûs Madritenſis, quali ornatu refulſerit, quando in ea collocatum fuit Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 40.

*Eliſeus* in vita, in morte, poſt mortem patrat miracula. fol. 79.
Idem fecit S. JOANNES de Matha. fol. 78.

*Eloquens*, quas in ſe dotes complecti debeat, ut talis haberi poſſit. fol. 134

*Epitaphium*, quod Innocentius III. P. M. ſepulchro S. P. N. JOANNIS de Matha impoſuit. fol. 21.

*Epitome* Vitæ S. P. N. JOANNIS. fol 1. & ſeq.

## F.

*Felicitas* Hiſpaniæ conſiſtit in poſſeſſione Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 124. & ſeq. 127.

*Felix* ille cenſendus eſt, qui bonum obtinet, quod deſideravit. fol. 86.

*S. Ferdinandus*. Huic thronum regium vaticino ſpiritu prædixit S. P. N. JOANNES de Matha. fol. 217.

*Filius*. Hoc nomine tribûs vicibûs inſignivit S. P. N. JOANNES de Matha, per quandam imaginem locutus, Trinitarios Diſcalceatos. fol. 223.
Patrem ſe illis exhibet, quia eos pro filiis agnoſcit. ibid. & ſeq.
Quanto filii ſunt juniores, tantò efficaciùs amorem ſuorum parentum abripiunt. fol. 228.
Ex eorum procedendi modo agnoſcitur, an legitimô thorô ſint procreati fol. 249.
Imitantur perfectiones ſuorum parentum. fol. 251.
Filii DEI vocantur, qui Chriſtum in ejus officiis imitantur. fol. 251.
Filii legitimi ſunt ex aſſe hæredes ſuorum parentum. fol. 253.
Filiorum maxima gloria ſunt parentes eorum. fol. 279.

*Fontes* quò plures ſunt, eò magis eorum aquæ deſiderantur. fol. 87.

*Franciſcani*. Altare RR. PP. Franciſcanorum, ejúſque ornatus. fol. 107.

## G.

*Gaudium* magnum parit delirium. fol. 45.
Lacedæmonius quidam gaudii magnitudine extinctus fuit. fol. 210.
Plenum eſſe non creditur, ſi ſocietate careat. fol. 46.
Immodica gaudii demonſtratio eſt interdum partus prudentiæ. fol. 62. & ſeq.

*Gentiles* ſe felices exiſtimabant, ſi oſſa eorum, quos venerabantur, poſſiderent. fol. 153.

*Gloria*. Deſideriô gloriæ vincuntur difficultates. fol. 87.
Qui gloriam adipiſci deſiderat, magnos ſubeat labores, neceſſe eſt. fol. ibid.



Digitized by Google

*Gratia.* Optima ratio gratiam aliquam conſequendi hæc eſt, ſi quis judicet, ſe eam non mereri. fol. 242.
Una gratia conceſſa jus præbet ad alias plures petendas. fol. 244.
*Gregorius XI.* confirmavit Patribus Trinitariis Calceatis reditus, & poſſeſſiones Eccleſiæ S. Thomæ de Formis. fol. 23.

## H.

*Hieronymitani.* Altare RR. PP. Hieronymitanorum, ejúsque ornatus. fol. 110.
*Hiſpania.* Ex hac provincia duxit originem S. P. N. JOANNES de Matha, quæ propterea jus habuit ad prætendendam poſſeſſionem ejus S. Corporis. fol. 295.
*Honorius III.* Quid de Religione Trinitaria dixerit. fol. 18.
*Hoſpitale.* Altare quod erexit Hoſpitale Dominorum Arragoniorum, ejúſque ornatus. Fol. 104

## I.

*Jacob.* Corpus hujus Patriarchæ admirabilem fragrantiam exhalavit. Fol. 71.
*Identitas.* Diſcalceati Trinitarii evicerunt Declarationem Identitatis Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 35.
Hæc Declaratio viam ſtravit ad ejus poſſeſſionem obtinendam. Fol. 163. & ſeq.
*JESUS Nazarenus.* Ejus imago à Mauris capta, plurimisque contumeliis affecta tandem à PP. Trinitariis Excalceatis redempta fuit. Fol. 287.
Altare, quod erexit nobiliſſima Congregatio JESUS Nazareni, ejúſque ornatus. Fol. 111.
*Imperium Romanum* ad quantam ruinam ſit prolapſum. Fol. 22.
*Infantes Caſtellæ* ſolemnem Feſtivitatem adornârunt in honorem Corporis S. JOANNIS de Matha. Fol. 155.
*Infortunium* eſt plerumque prodromus felicitatis. Fol. 17.
*Innocentius III.* fuit diſcipulus S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 18.
Veneratus eſt Corpus hujus Sancti poſt illius mortem, eíque juſta ſuprema perſolvit. Fol. 19.
Extruxit magnificum ſepulchrum, & in eo Corpus hujus Sancti collocavit. Fol. 20.
Præcepit, ut officium Divinum de eo recitaretur, ejúſque imagines in altaribus expoſitæ colerentur. Fol. 21.
*Inſcriptiones* vetuſtiſſimo more ſepulchris inſculpi ſolent. Fol. 54.
*Inſtantia* facta eſt adversùs Decretum, quo Identitas Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha declarata fuit. Fol. 38.
*Inſtitutum* Redemptionis Captivorum eſt encyclopædia omnium aliorum ſacrorum Inſtitutorum. Fol. 284.
*S. Joannes Baptiſta*, cujus corpus diſcipuli ejus Samariam tranſtulerunt, illúdque in honorifico ſepulchro tumulaverunt. Fol. 293.
*S. JOANNES de Matha* natus eſt annô milleſimô, centeſimô, ſexageſimô, vixítque quinquaginta tribûs annîs. Fol. 18. & ſeq.
Incoluit eremum. Ibid.
Cognominatus eſt Pariſiis Doctor *Eminens*, miſſúſque fuit ab Apoſtolica ſede tamquam Legatus à latere in Regnum Dalmatiæ. Fol. Ibid.
Interfuit Concilio Lateranenſi. Fol. ib.
Præſedit cuidam Concilio in Dalmatia. Fol. Ibid.
Adhuc vivus Romæ ſummam venerationem habuit. Fol. 81.
Fuit CHRISTO valde ſimilis. Fol. 175
Solo fluctuum attactu horribilem tempeſtatem diſpulit. Fol. 77.
Fuit avis myſtica in Redemptione Captivorum. Fol. 264.
In ſe quidem fuit unicus, ſed in ſuis excellentiis multos referebat. Fol. 158.
Poſt mortem ſuam grandia miracula patravit. Fol. 19.

Eum Urbanus IV. in Album Sanctorum retulit. Fol. 21.
Poſt mortem non minores favores erogare perrexit, ac in vita ſua. fol. 149. & ſeq.
Illîs flagellîs, quibûs carnem ſuam in vita diſcerpſit, comprobavit Identitatem oſſium ſuorum poſt mortem. fol. 72.
Beneficia, quæ in vita ſua præſtitit, faciunt, ut majora ab eo poſt mortem ipſius ſperare poſſimus. fol. 192.
Locutus eſt tribûs vicibûs per quandam imaginem ſuam. fol. 223.
Apparuit ſub forma ſolis, à filiis ſuis Diſcalceatis tamquàm radiîs quibûsdam circumdatus. fol. 279.
His poſſeſſionem ſui S. Corporis attribuit, quia ſe gratum exhibere voluit. fol. 173.
*Iſaac.* Benedictio ejus fuit figura Decreti Innocentii XIII. circa identitatem Corporis S. JOANNIS. fol. 71.
*Itali.* Altare quod excitavit Hoſpitale Dominorum Italorum, ejúsque ornatus. fol. 109.
*Jupiter.* Conſilium devoravit, ut Palladem è ſuo cerebro gigneret. fol. 178.
Dominatur in diem Jovis, eámque gubernat. ibid.
*Jus* in re habuerunt Diſcalceati Trinitarii ad Corpus ſui Patriarchæ. fol. 171.
*Juſtitia* ad proprietatem Corporis S. JOANNIS de Matha eſt ipſa hujus Sancti voluntas. fol. 131.

## L.

*Lapides* eriguntur in ſignum gratitudinis. fol. 159.
*Lapilli* prodigioſi S. P. N. JOANNIS. fol. 366
*Lauretum.* Altare quod ibi conſtruxerunt quidam devoti, ejúsque ornatus. fol. 104.
*Laus* ex alieno ore prodire debet. fol. 165.
*Luna* peculiari quadam virtute aquas ad ſe trahit. fol. 125.
*Lux* poſt nubila diſpulſa gratiùs promicat. fol. 288.

## M.

*Madritum* felicitatem ſuam ſtabilivit Corpore S. P. N. JOANNIS de Matha. fol. 193. & ſeq.
In hac civitate aſſervantur Corpora S. Franciſci Borgiæ, & S. Iſidori agricolæ. fol. 258.
Nonam Feſtivitatem inſtituit in honorem Corporis S. JOANNIS de Matha. fol. 311.
*Magdalena.* Ornatus, qua religioſæ fæminæ, quæ ab hac Sancta nomen habent, ſuam aream decorârunt. fol. 104.
*Marcellus Durazo* Nuncius Apoſtolicus in Hiſpania Corpus S. JOANNIS de Matha ſub forma Depoſiti in Conventu Madritenſi Excalceatorum Trinitariorum collocavit. fol. 32.
*S. Marcus Evangeliſta.* Ejus corpus Venetias ditat. fol. 150.
*Mare* turbulentum placavit S. JOANNES fol. 77.
Idem præſtitit ejus reliquia. fol. 76.
*Memoria* duplex eſt fol. 58.
*Mercenarii.* Altare RR. PP. Mercenariorum Calceatorum, ejúsque ornatus. 106.
Altare RR. PP. Mercenariorum Diſcalceatorum, ejúsque ornatus. fol. 108.
*Mercurius* à poëtis dictus fuit deorum Nuncius, & felicitatum tabellarius. fol. 155.
Pictores eum repræſentârunt ſedentem, ejúsque lateri Fortunam addiderunt fol. ibid.
*Fr. Michaël à S. Joſepho* in Curia Romana ſolicitavit donationem Corporis S. JOANNIS de Matha. fol. 87.
*Miracula* quæ in vita ſua operatus eſt S. P. N. JOANNES de Matha compro-



Digitized by Google

bârunt Identitatem ejus Corporis. fol. 79.
*Miracula* plurima S. JOANNIS poſt mortem. fol. 333. & ſeq. latè.
*Monaſterium S. Thomæ de Formis* quomodo fuerit deſertum, & cur? fol. 21.
Convertitur in noſocomium. fol. 22.
Reſtituitur rurſus PP. Trinitariis. fol. ibid.
*Moyſes*. Sepulchrum hujus Sancti ſemper manſit ignotum. fol. 166.

## N.

*Nilus* ejicit ſerpentes è ſuis undis. fol. 216.
*Nova* ſi fauſta ſint, lætitiam pariunt. fol. 56.
*Nuncius*. Cùm eſſet in Hiſpania Nuncius Apoſtolicus Don Camillus de Maximis, ei Corpus S. JOANNIS de Matha, Romæ ſurreptum, in manus traditum fuit. fol. 31.
Ejus Succeſſor Dominus Aldobrandini jubet renovari Depoſitum S. Corporis. fol. 34.
In tertio feſto ob declaratam Identitatem Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha ritu Pontificali ad aras operatus eſt. fol. 84.
Idem præſtitit die prima Feſtivitatum ob collocationem hujus S. Corporis celebratarum. fol. 115.

## O.

*Objectum*. Ejus Majeſtas ſermonem ſuſlaminat. Fol. 43.
*Obſequium*. Urbs Madritenſis jus acquiſivit ad poſſeſſionem Corporis S. JOANNIS de Matha propter obſequia, quæ ei exhibuit. Fol. 301.
*Olympus*. Hunc montem veteres Jovi dedicârunt. Fol. 178.
*Oleum* fluit ſalutiferum ex corpore S. JOANNIS. Fol. 20.
*Onager* tanta ſiti conflictatur, ut eam integrè nunquam extinguat. Fol. 238.
*Oratorium* N. V. P. F. Thomæ à Virgine Corpori S. P. N. JOANNIS de Matha multîs annîs hoſpitium præbuit. Fol. 32.
*Ornatus* illius loci, in quo collocatum fuit Corpus S. JOANNIS de Matha. Fol. 90. & ſeq.
*Orpheus*. Macedones ejus memoriæ columnam conſecrârunt. Fol. 124
*Os*. Oſſa Joſephi magna veneratione translata fuerunt. Fol. 47.
Oſſa Orphei gentiles in pretioſa urna aſſervârunt. Fol. 124.
Ægyptii mortuorum oſſa tamquam res ſacras colebant. Fol. 127.
Apud veteres oſſa erant hieroglyphica propagationis, & hæreditatis. Fol. 254.
Oſſa S. JOANNIS de Matha glorioſum triumphum obtinuerunt. Fol. 50. & ſeq.
Diffundunt per totum mundum ſplendorem ſuæ magnificentiæ. Fol. 54.
Eis certa ratione Canonizationis honor exhibitus fuit. Fol. 147. & ſeq.

## P.

*Paulani*. Altare RR. PP. S. Franciſci de Paula, ejúſque ornatus. Fol. 109.
*Pater* ſuam opem filio ſubtrahere nequit. Fol. 214.
Gloria parentum eſt pretioſiſſima corona filiorum. Fol 224.
S. JOANNES de Matha ſe Trinitariis Excalceatis peculiariter Patrem oſtendit, quando eis poſſeſſionem ſui ſacri Corporis contulit. Fol. 222. & ſeq.
Parentes filiis plus largiuntur, quàm habent. Fol. 252.
*An Petrus* & Joannes ad ſepulchrum currentes contra modeſtam gravitatem egerint? Fol. 63.
*Petrus de Alcantara*. Altare Religioſiſſimorum Patrum S. Petri de Alcantara, ejúſque ornatus. Fol. 107.
*Phœnix* Romam glorioſam reddidit. F. 158.
Eſt idem, & alius. ibidem.
*Potentia*. Hanc adepta eſt Hiſpania poſſeſſione Corporis S. JOANNIS de Matha. Fol. 178. & ſequentibus.

*Poſſeſſio* Corporis S. JOANNIS de Matha viam aperuit ad Declarationem ejus Identitatis. Fol. 169. & ſeq.
Ei poſſeſſio debetur, qui depoſitum incepit habere. Fol. 254.
Eſt jus retinendi, & conſervandi rem poſſeſſam. Fol. 268.
*Preces* ſanctorum ligant manus Divinæ Juſtitiæ ejúsque rigores mitigant. Fol. 283.
*Principes* quantò ſunt nobiliores, tantò profundiùs ſe humiliant in favorem parvorum. Fol. 230.
Majores gratias à Principibus reportant, qui eorum perſonis ſunt vicini. Fol. 281.
Principes Aſturiæ ſecundam Feſtivitatem celebraverunt in collocatione Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 135.
*Proceſſio* ſplendidiſſima, quæ inſtituta fuit in collocatione Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 112.& ſeq.
*Proprietas* eſt jus diſponendi de re aliqua ad proprium arbitrium. Fol. 274. & ſeq.
Hanc in captivos obtinet, qui illos redimit. Fol. 276.
Magis acquiritur jus proprietatis, quando alicui libertas confertur, quàm dum ei eſſentia datur. Fol. 276. & ſeq.

## R.

*Reges* Hiſpaniæ primam Feſtivitatem adornârunt in Collocatione Corporis S. P. N. JOANNIS de Matha. Fol. 116.
*Religio* Trinitaria ſingulari quadam ratione à SSS. TRINITATE fabricata fuit. Fol. 313.
*Reliquia*. Horrenda tempeſtas ſedata fuit unâ Reliquiâ S. JOANNIS de Matha. Fol. 77.
Unica Reliquia è Corpore hujus Sancti eandem obtinet virtutem in prodigiis patrandis, quam totum Corpus. Fol. ibid.
Capitulum Vaticanum unam Reliquiam de Corpore noſtri Sancti poſtulat. Fol. 89.
Reliquiæ S. P. N. JOANNIS de Matha in omnes ſuum influxum effundunt. Fol. 220.
*Regeſtrum* factum eſt circa Corpus S. JOANNIS de Matha. Fol. 32.
Et circa Arcam, quæ S. ejus Corpus aſſervavit. Fol. 38.
*Res* magni momenti ſummo labore obtinentur. Fol. 87.
*Romani* tales patronos adoptabant, quos potentes, affabiles, & ad auxilium ferendum promptos eſſe conſtabat. Fol. 238.
*Romulus* centum Senatores elegit, quos *Patres* appellavit. Fol. 215.
*Ros aureus* quem poëtæ confinxerunt, ſymbolum fuit maximorum bonorum, & gratiarum. Fol. 115.

## S.

*Samuel*. Ejus ſacra lipſana Conſtantinopolim tranſlata fuerunt. Fol. 146.
*Sancti* poſt mortem hominibus plura beneficia præſtant. Fol. 151.
Suîs favoribûs, & gratiis ſe manifeſtant, ſed perſonas ſuas occultant. Fol. 271.
Duplici gloria in ſuis corporibus perfruuntur. Fol. 275.
*Saturnus*. influxus ejus in fructus, & fertilitatem tendunt. Fol. 230.
*Schiſma* Eccleſiæ funeſtum eſt. fol. 23.
*Scriptura* quædam manſit in ſepulchro S. JOANNIS de Matha, & qualis? Fol. 29.
*S. Sebaſtianus*. Altare, quod Parochia S. Sebaſtiani condidit, ejúſque ornatus. Fol. 105.
*Sepulchra* nonnulla tacendo loquuntur. Fol. 55.
*Serpens* ſe renovat pellem deponendo. Fol. 123.
Ejus prudentia in hoc potiſſimum elucet,

cet, quòd de ſervando capite ſemper ſolicitus ſit. Fol. 162.
Eſt Hieroglyphicum immortalitatis. ibid.
Thebani ſculptum quendam ſerpentem in columna ſui regis ſepulchro impoſuerunt. Fol. 129.
Virulentus in monaſterio S. Thomæ de Formis invenitur. Fol. 22.
*Silentium* interdum eloquentiæ vices gerit. Fol. 43.
*Situs* quem occupat Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha, ejúsque diſpoſitio, ac ornatus. Fol. 90.
*Societas JESU.* Altare AA. RR. PP. Societatis JESU, & ornatus illius. Fol. 107.
*Sol* eſt ſymbolum pietatis, & misericordiæ. Fol. 260.
*Solatium* ſequitur poſt afflictiones. Fol. 17.
*Spes* protracta linguam comprimit, ſed in effectum deducta eam in jubila relaxat. Fol. 208.
*Sphæra* Martis eſt tota ignea. Fol. 134.
*SPIRITUS S.* indeſinenter mundum ſuis favoribûs locupletat. Fol. 200.
Altare, quod erexerunt RR PP. de SPIRITU SANCTO, ejúsque ornatus. Fol. 110.
*Succeſſus* memorabiles ne oblivione ſepelirentur, varia mnemoſyna veteres excogitârunt. Fol. 57.
*Symbolum* quoddam ingenioſum, Solem repræſentans. Fol. 227.

## T.

*Templum.* Ornatus illius, in quo Collocatio Corporis S. JOANNIS de Matha celebrata fuit. Fol. 97.
*Tempus* eſt continuus motus inſtantium, præteritorum, & futurorum. Fol. 120.
*Theſaurus* abſconditus tutus eſt, publicus direptioni patet. Fol. 141.
Qui theſaurum invenit, ejus dominus cenſetur. Fol. 163.
*Teſtamentum* valde diverſum condidit Pater Jacob, & filius ejus Joſeph Fol. 80 & 81.
Teſtamentum Joſephi eſt cynoſura translationis Corporis S. P. N. JOANNIS. Fol. 81.
*Thronus* Salomonis, in quem finem tantâ magnificentiâ fuerit fabricatus? Fol. 233.
Fuit ſymbolum Arcæ, in qua Corpus S. P. N. JOANNIS de Matha aſſervatur. Fol. 234.
*Titulus* Crucis CHRISTI gloriam Ejus exanimis Corporis declarabat. Fol. 49.
Titulus filii jus fundat ad aliquid ex juſtitia petendum. Fol. 253.
*Tituli* S. JOANNIS de Matha. Fol. 18 & Fol. 127.
Tituli Religionis Trinitariæ. Fol. 59.
*Translatio* Reliquiarum S. P. N. JOANNIS de Matha ad novam Arcam qualiter peracta fuerit. Fol. 96.
*Tributum* honoratis perſonis majus exhiberi nequit, quàm bonâ Famâ illas ubique celebrare. Fol. 259.
*Trinitarii Calceati* poſtulant Corpus S. JOANNIS de Matha à Diſcalceatis amoveri. Fol. 33.
Altare RR. PP. Trinitariorum Calceatorum, ejúsque ornatus. Fol. 105.
*Trinitaria Excalceata* peculiares honoris demonſtrationes exhibent Corpori S. JOANNIS de Matha. Fol. 41.
Altaris deſcriptio, quod in honorem ſui ſancti Patriarchæ erexerunt. Fol. 102.
*Triumphus* maximus conſiſtit in conſecutione maximorum honorum Fol. 50.
Cauſa Triumphi apud Romanos Fol. 52.
Triumphus Veterum deſcribitur. Fol. 50.

## U.

*Venus* cœleſtis dominatur in feriam ſextam, quæ ab ea dies Veneris dicitur. Fol. 206.

Victo-

Digitized by Google

*Victoria* eſt, ſi quis ad grandia nitatur, quamvis ea non aſſequatur. Fol. 180.
*Videre.* Qui videt, quod deſiderat, nihil ulteriùs videre concupiſcit. Fol. 209
*Vulnus.* Cur Chriſtus vulnera ſua Diſcipulis ſuis congregatis oſtenderit? Fol. 74. & 75.
Alluditur ad Identitatem Corporis S. JOANNIS. Ibid.
*Virga* Moyſis flores, & fructus parturiit. Fol. 69.
Fuit collocata in Arca Teſtamenti. Ib.
Quæ diſtinctio inter virgam Aaronis, & Moyſis? Fol. 70.
*Virga* Aaronis prodigioſa ſymbolum S. P. N. JOANNIS. Fol. 69. & 70.
*Urbanus IV.* S. P. N. JOANNEM de Matha canonicè in Sanctorum ſyllabum retulit. Fol. 21.
*Urbanus V.* reſtituit PP. Trinitariis Eccleſiam S. Thomæ de Formis. Fol 23.
*Urbanus VI.* univit Monaſterium S. Thomæ de Fomis bonis Capituli Vaticani. Fol. 23.
*Utilitas* quæ Hiſpaniæ accedit ex poſſeſſione Corporis S. JOANNIS de Matha. Fol. 269.

## Z.

*Zelus* qui oſtenditur in præſtandis obſequiis, fiduciam præbet conſequendæ poſſeſſionis. Fol. 226.
*Zelus*, & indefeſſus labor N.R.P. Alexandri à Conceptione totius N. S. Ordinis Generalis circa cultum, & venerationem N. S. P. JOANNIS de Matha. Fol. 87 & ſæpè ſæpiùs in toto hoc libro dilaudatur.

# F I N I S.

Digitized by Google

# Ad Benevolum Lectorem.

**Et ſi nulli induſtriæ pepercerim, ut liber iſte quàm emendatiſſimus in lucem prodiret, cavere tamen non ſatìs potui, quin menda quædam furtivè quaſi irreperent, quorum elenchum nunc ſubjicio.**

FOl. 29. Lin. 4. Romæ fuit. Leg. Romæ mortuus fuit.
Fol. 76. l. 4. ab inf. fuerint. leg. fuerunt.
Fol. 82. l. 18. mibi. leg. mihi.
Fol. 87. l. 26. P. Pr. leg. P. Fr.
Fol. 105. l. 13. cumulativè. leg. cumulatè.
Fol. 113. l. 15. tympanotriba. leg. cum tympanotriba.
Fol. 141. l. 12. ab inf. per ſe feneſtras. leg. per feneſtras.
Fol. 144. l. 16. ab inf. adornandas. leg. adorandas.
Fol. 165. l. 8. ab inf. fuerunt. leg. ferunt.
Fol. 184. l. 1. ſcindeba tur. leg. ſcindebatur.
Fol. 193. l. 14. laurum. leg. lauream.
Fol. 218. l. 18. molagmate. leg. malagmate.
Fol. 224. l. ult. banc. leg. hanc.
Fol. 248. l. 15. ab inf. tamqnam. leg. tamquam.
Fol. 256. l. 14. ab inf. magis. leg. majus,
Fol. 262. l. 12. ab inf. obtingat. leg. obtinget.
Ibidem. nobis. leg. vobis.
Fol. 269. l. ab inf. Hiſpania. leg. Hiſpania.
Fol. 280. l. 19. tefert. leg. refert.
Fol. 283. l. 11. Origines. leg. Origenes.
Fol. 287. l. 7. ab inf. Evengelio. leg. Evangelio.
Fol. 303. l. 7. ab inf. malovolorum. leg. malevolorum.
Fol. 304. l. 10. ei venerunt. leg. evenerunt.
Fol. 323. l. 9. priorum. leg. priorem.
Fol. 345. l. 16. incrudelitatis. leg. incredulitatis.
Fol. 351. l. 9. tantôs. leg. tantô.
Fol. 352. l. 12. lipſonotheca. leg. lipſanotheca.
Fol. 355. l. 16. excitata. leg. excita.
Fol. 358. l. 7. ab inf. ineundem. leg. ineundum.
Fol. 369. l. 22. ab inf. delatæ. leg. delati.

**Si quos alios nævos lector fortaſſis offenderit, eum aut non morabuntur, aut ejus ingeniô facilè emendabuntur.**

MAG 2014623
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google